DEVOTI.

INSTITUTION

CANONICARU

3

BX1935
D4
v.3
1854

007651

JOSÉ RAMON DE LA PEÑ...

1080016090

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

INSTITUTIONUM
CANONICARUM.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quid adhuc quæris examen, quod apud Sedem Apostolicam factum est?—S. Augustinus *Oper. imperf. contra Julianum lib.* 2 *opp. tom* 10 *col.* 995 *ed. Maurin. Venet.* 1733.

JOANNIS DEVOTI

ANANIENSIS EPISCOPI

INSTITUTIONUM CANONICARUM

LIBRI IV

A CL. AUCTORE EXPOLITI ET ADDITIONIBUS DITATI.

NOVISSIMA EDITIO

cui supplementa ac notationes, de iis maxime, quæ ad Hispanicæ Ecclesiæ disciplinam spectant, inseruit

DOCT. CAROLUS RAYMUNDUS FORT.

TOMUS III.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Universitaria
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria
44428

MATRITI: 1854:
Apud Joseph. C. Peña.

BX1935
D4
V.3
1854

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
ALERE FLAMMAM VERITATIS

CAPILLA ALFONSINA
FONDO BATTERIO
VALVERDE Y TELLEZ
144129

PIO SEXTO
P. O. M.

JOANNES, EPISCOPUS ANANIENSIS,

FELICITATEM.

MAGNA, ac singularis est, quod Tu plane nosti, PIE PONTIFEX OPTIME MAXIME, Canonici Juris præstantia, non solum in regulis, quæ honesta imperant, prohibentque contraria, sed etiam in ordine, et ratione judiciorum, in quibus jus suum unicuique redditur. Cum enim Jus civile sæpe misera, attenuataque diligentia, sæpe inanitate verborum, et formularum, aut longa, implexaque methodos spinosiora peperisset, laqueisque pene inextricabilibus litigantes irretisset; Jus Canonicum, omnibus amputatis tricis, et ambagibus, iisque patefactis, et illustratis, quæ involuta, obscuraque erant, judiciorum methodum dedit aptam, concinnam, sobriam, cui nihil deesset, neque ali-

007351

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quid redundaret, quod esset ad hominum usum, communemque intelligentiam accomodatum. Quo factum est, ut jam antiquata methodo judiciorum, quam Jus civile proposuerat, ubique fere invaluerit ratio illa judiciorum à Jure Canonico constituta; quod sane fecerunt non tantum ii, qui cum Tua ac veritatis Cathedra cohærent, sed etiam qui ab ea disjuncti, ac dissociati sunt.

Hanc ego partem Juris Canonici, quæ ad judicia pertinet, complexus sum tertio hoc Institutionum libro, qui nunc iterum in amplissimo Tuo nomine divulgatur. Nam tibi primum, Tibi item alterum obtuli earumdem Institutionum librum; nunc tertium offero; deinceps offeram et quartum (vide quo progrediar, Tua fretus humanitate, ac facilitate animi incredibili, planeque singulari, ut offerre audeam confidenter, quod offerre exquisiti beneficii habendum loco est); offeram, inquam, et quartum, quem brevi me in lucem emissurum spero. Erit autem quartus liber de judiciis criminalibus; tertius hic civilia judicia complectitur. Equidem eorum ordinem, rationemque explicavi, qualis à Jure Canonico constituta est, et qualis in Foro viget; indicavi ea, in quibus Jus Canonicum à civili discrepat, itemque ea, quæ nunc obsoleverunt; aliquas etiam illustravi civiles leges, quas enucleatius esplicandas putavi, quasque in primis ad propositum, et materiam suscepti operis pertinere animadverti. Non enim (quod Te, omni doctrina præstantem, Optime, Sapientissimeque Pontifex, minime fallit) recte cognosci res Canonica, et percipi potest, nisi quis omnes habeat Juris Civilis notos, et tractatos locos; nec qui tantum artis præcepta percepererunt, quicquam sine fori usu, et exercitatione consequi possunt; ut proinde mihi neque rem ipsam, neque suas vires satis æstimasse videantur, qui scribunt Institutiones Juris Canonici, cùm semper procul fuerint à pulvere, et acie forensi, neque unquam Jus civile didicerint.

Initium hujus libri feci titulum de judiciaria Ecclesiæ potestate; in quo quidem titulo paulo longiorem me esse oportere existimavi, ut satisfacerem ratiunculis quorumdam, qui cum Du-Pinio, Bodino, Fevretio, Giannonio, Van-Espenio, ceterisque similibus, antiquissima ætate Ecclesiam vera judicia, qualia nobis sunt, exercuisse inficiantur. Ego do, et concedo libenter, ab Ecclesiæ judiciis abfuisse captiones illas, ambagesque forenses, quas civiles leges invenerant; sed in his profecto vis, et natura judicii nequaquam inest. Ecclesia sine illis laqueis, et involucro solemnitatum, ac formularum, celeriter judicia expediebat, audito actore, et reo, utriusque expensis probationibus, lata demum absolutionis, aut condemnationis sententia, cui litigantes vel inviti parere cogebantur. ¿An non hoc verum judicium est; an non in judice, qui imperio utitur in repugnantes, vera potestas, et jurisdictio? Titulum etiam de Appellationibus paulo longius producendum putavi, ut jus earum in Primatu, quem à Deo accepisti, penitus insitum, et affixum, adversus invidos vituperatores Sedis Apostolicæ, vindicarem. Qua in re mihi maximæ agendæ, et habendæ sunt gratiæ Cl. Viro, quitotam hanc tractationem de Appellationibus ad Sedem Apostolicam, quam literis mandavi hoc tertio Institutionum libro, in Germania Typis evulgavit (*), ut refelleret Scriptorem quemdam Historiæ appellationum in tribunalibus Ecclesiasticis, qui jura certissima Sedis Apostilicæ audacter, et imperite in discrimen revocaverat. Fecit id quidem ille gratia, et benevolentia in me sua, non merito aliquo meo, ut tenues labores tam gravi, tamque exquisito judi-

(*) Edita est hæc tractatio in Germania anno 1789 cum titulo: *De Appellationibus in ecclesiasticis tribunalibus genuinum systema, compendiose exceptum ex pretiossisimo quodam opere non ita pridem vulgato, quo retunditur cacoethes novitii Auctoris Historiæ appellationum in Tribunalibus Ecclesiasticis, pro dilucidatione articuli 22 Congressus Emsensis, nuper Bonnensibus typis, Francoforti nomine ementito, editæ.*

cio comprobaret; sed ego in illo majorum vigiliarum opere, quo complectar, si vita, viresque suppetant, rem Canonicam universam, totum hoc argumentum, plenius, et uberius explicabo. Interim his Institutionibus ea collegi, quæ præsertim bene cognita, et comperta esse oportere existimavi, atque in iis paulo longiori sum usus oratione, ut mature discant adolescentes jura Ecclesiæ, ejusque Capitis Romani Pontificis, cunctisque instructi præsidiis in ipso ingressu studiorum suorum, pro iis propugnare viriliter assuescant; quod me efficere non posse intellexi, si jejune, et exiliter de his rebus disputarem. Eadem hæc causa est, propter quam superioribus quoque libris locos quosdam Juris Canonici plenius, et uberius pertractandos existimavi; sed caute tamen in notas conjeci quidquid Institutionum sobrietati non satis apte congruere videbatur. Ipsa hac methodo, et ratione Petrus Leopoldus Guadagnius, qui non multis ab hinc annis cessit è vita, Juris civiles institutiones tradidit, quas utinam absolvisset! nihil jam esset amplius, quod in hoc genere desideraremus.

Hoc mihi unum optandum maxime restat, idque à Tua præclara, et excellenti natura magnopere expetendum est, ut quemadmodum eo me hactenus honore dignatus es, ut labores meos non improbares, ita pari bonitate, benignitate, clementia, tertium hu[illegible] accipias librum, quem iterum valde auctum, et amplificatum, in lucem emitto. Judicium Tuum, non tantum quod es Summus Pontifex, sed quod talis es Pontifex, qualem Te omnes admirantur, tantum, ac tam præclarum est, ut majus, atque præclarius esse non possit. Ac Tu quidem nunc, etiam in maximis occupationibus, quibus distensus es, atque in hac excelsa, cœloque proxima Dignitate, fere quotidie refers animum ad studia literarum, et in illa Tua optimis referta libris Bibliotheca versaris, et scribis literas, præsertim cum res Ecclesiæ postulant, quas equidem legens (legi autem sæpius, eæque mihi in his Institutionibus magno adjumento fuerunt), mihi videor audire loquentes Leonem, et Gregorium Magnos, quorum ut pietatem in Deum, ita doctrinam, atque sapientiam imitaris. Itaque hoc perpetuo Tuo vitæ instituto effecisti, ut omnes intelligerent, quam scienter, egregie, perite, simul et illa optima studia exerceas, et populis imperes, et Ecclesiam modereris. Quarum quidem rerum omnium ubique sunt monumenta, non impressa leviter ad exigui prædicationem temporis, sed fixa ad memoriam hominum sempiternam. Ea qui intuentur (intuentur autem, et admirantur omnes), maximas agunt habentque gratias immortali, ac præpotenti Deo, qui tam bene Ecclesiæ suæ, humanoque generi consuluit, cum in hac rerum perturbatione, Te, PIE SEXTE, Vicarium inter homines constituit, ut malis omnibus Tua in Se ipsum fides, consilium, fortitudo, constantia mederetur. His porro armis, non illis, quæ sunt, vastitatis, cædisque sociæ, Transalpinum illud malum, quod jam undique serpebat, propulsasti, et amorem auxisti populorum, quos imperio regis, atque admirationem Orbis Terrarum universi. Sed ut hoc placuit Deo, quo volente, aut saltem permittente, geruntur ea, quorum nostrum non est scrutari causas, ut nobis adversa illa evenirent, sic eidem placebit, ut Christianæ Reipublicæ dignitatem Tua virtus, et Sapientia in veterem integritatem, splendoremque restituat, nosque, à summis ærumnis, et difficultatibus ereptos, ad summam tranquillitatem, felicitatemque traducat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

LIBER III.

TITULUS I.

DE JUDICIARIA ECCLESIÆ POTESTATE.

1. OMNIS BENE CONSTITUTA RESPUBLICA SUOS HABET MAGISTRATUS CUM IMPERIO, ET JURISDICTIONE.—2. ECCLESIA DISTINCTA EST A CIVILI REPUBLICA, QUÆ SUOS HABET CUM IMPERIO, ET JURISDICTIONE MAGISTRATUS.—3. POTESTAS JUDICIARIA PARS EST HUJUS IMPERII, ET JURISDICTIONIS.—4. EAM HABET ECCLESIA, NON HOMINUM BENEFICIO, SED SUO IMPERIO, ET JURISDICTIONI COHÆRENTEM.—5. JUDICIARIA POTESTAS VEL IN PERSONAS, VEL IN RES, QUÆ AD REMPUBLICAM PERTINENT. 6. IN QUIBUS ÆQUA SIT ECCESIASTICÆ, CIVILISQUE REIPUBLICÆ CONDITIO; IN QUIBUS HÆC AB ILLA DIFFERAT?—7. ET 8. POTESTAS A CHRISTO ECCLESIÆ DATA, TUM IN INTERIORI, TUM IN EXTERIORI FORO.—9. LOCUS JOANNIS, ET LUCÆ EXPENDITUR.—10 ET 11. POTESTAS, QUAM APOSTOLI EXERCUERUNT.—12. PAULUS ECCLESIASTICUM JUDICIUM EXPRESSE MEMORAT.—13. ET 14. APOSTOLORUM SUCCESSORES, ETHNICIS DOMINANTIBUS, NON SOLUM IN INTERIORI, SED ETIAM IN EXTERIORI FORO JUDICIA EXERCUERUNT.—15 ET 16. ATQUE HI QUIDEM VERI JUDICES ERANT, NON ARBITRI LITIGANTIUM VOLUNTATE ELECTI.—17 ET 18. EORUM JUDICIIS NIHIL DEERAT, QUOD VERUM, PERFECTUMQUE JUDICIUM REQUIRIT.—19. CONCORDIA SACERDOTII, ET IMPERII SUB CHRISTIANIS IMPERATORIBUS.—20 UTRIUSQUE POTESTATIS REGIMEN, ET ADMINISTRATIO.—21. ECCLESIÆ COERCITIO.—22. JUDICIA ECCLESI- SUB CHRISTIANIS IMPERATORIBUS.—23 LEGES PRINCIPUM CHRISTIANORUM DE CLERICORUM CAUSIS TANTUM AB ECCLESIASTICIS JUDICANDIS.—24. CIVILES QUOQUE LAICORUM CONTROVERSIAS EPISCOPI JUDICARUNT; VERUM EX VOLUNTATE LITIGANTIUM.—25. CUR ECCLESIASTICUM JUDICIUM SÆPE A FORENSI DISTINGUATUR.—26. ORDO JUDICIORUM A JURE CANONICO CONSTITUTUS ETIAM IN FORO CIVILI RECEPTUS.

1.

Ecclesiam visibilem esse societatem, et ideo visibili regendam esse gubernatione, sine qua nulla hominum societas diu stare, et conservari potest, superiore loco demonstratum est (1). Hæc autem gubernatio non tantum pertinet ad ferendas leges, quibus jubeantur, quæ facienda sunt, prohibeanturque contraria, sed etiam comprehendit jus curandi, et providendi, ut hæ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

leges vim, atque exitum obtineant. Frustra enim leges feras, nisi etiam cures, ut his obtemperent, et obediant, qui societate continentur; et frustra cures, nisi imperium, et potestatem habeas, per quam repugnantes ad parendum cogas. Quare in omni bene constituta republica magistratus esse oportet, qui non tantum cura, et providentia, sed etiam imperio, et jurisdictione faciant, ut ab omnibus observentur leges, quæ sunt ad societatis commodum, utilitatemve comparatæ.

(1) Confer ea, quæ diximus in Prolegomenis cap. 1 §. 4 et seq. et c. 2 t. 1 p. 3 seq.

2. Christus Ecclesiam constituit ad instar republicæ à civili distinctæ (1), eique dedit magistratus, qui huic hominum societati cum imperio præessent (2). Quare in hos magistratus omnem contulit potestatem, qua opus est, ut recte administretur, regaturque respublica, atque ut optimis abundet legibus, quibus cuncti pareant, et repugnantes etiam in officio pœnis coerceantur. Nam quomodo stabit respublica sine magistratibus, aut cum magistratibus otiosis, et inanibus, qui jurisdictione, imperioque careant?

(1) Consule, quæ dicta sunt in Prolegomenis c. 1 §. 6 p. 4 et seq. t. 1, et quæ complexus solide, copiose, diligenter est doctissimus Mamachius in epist. ad Febron. 11 §. 18 seq. p. 205 seq. t. 1 ed. Rom. an. 1776 et antiquitat. christianar. lib. 4 c. 3 p. 270. seq. t. 4.

(2) Magistratus à Cujacio ad tit. 2 de orig. jur. opp. t. 1 col. 629 ed Ven. 1758 definitur *qui juri dicendo, et assidua jurisdictione servando præest.* Atqui hanc à Christo Episcopis datam in Ecclesia potestatem constat; et huc etiam spectat Apostolus ad Hebræ. XIII. 17: *obedite Præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Quibus quidem verbis imperii potestas in Ecclesiæ Præpositis sine dubio continetur. Nam si christiani obedire, et subjacere jubentur præpositis suis, in his certe imperandi potestas esse debet. Similium præceptorum plenæ sunt literæ Ignatii Martyris, qui in Joannis Apostoli disciplina fuit: *studeamus*, inquit ipse in ep. ad Ephes. n. 5 apud Cotelerium PP. Apostol. t. 2 p. 15 ed. Antuerp. 1698., *Episcopo non resistere, ut simus subjecti Deo.* Magnesianos similiter n. 13 p. 21 vult *subjectos esse Episcopo, ut Christus Patri, et Apostoli Christo.* Iisdem pene verbis alloquitur Trallianos n. 2 p. 22; Philadelphenos n. 2, 9 p. 31, 35; Smyrnæos n. 9 p. 37. Atque ætate quidem Origenis, quæ pertinet ad exitum sæculi II., aut initium III., ita certum, atque exploratum omnibus erat, Episcopos in Ecclesia gerere magistratum, et habere illam, quæ magistratus est propria, jurisdictionem, et potestatem, ut id tamquam certissimum ipse Origines adversus Celsum proponat, Ecclesiamque conferat cum republica, et cum civilibus ecclesiasticos magistratus, contr. Cels. l. 3 p. 466 et 467 to. 1 ed. Paris. 1735. Memorat etiam Ecclesiæ imperium, et magistratus S. Gregorius Nazianzenus orat. 17

n. 15 opp. t. 1 p. 271 ed. Coloniæ 1690. *Vos quoque*, inquit, *imperio meo, ac throno lex Christi subjicit. Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præstantius, ac perfectius; nisi vero æquum est, spiritum carni fasces submittere, et cœlestia terrenis cedere.* Hinc ipse Gregorius ep. 46 Africano p. 807, Episcopatum, *incruentum magistratum*, et S. Joannes Chrysostomus hom. 3 in ep. ad Coloss. to. 11 p. 349 ed. Montfaucon. Paris. 1734, *spiritualem magistratum* vocat. Quin omnes universe græci Patres Episcopatum, hoc est *magistratum*, aut *Principatum* appellant. Similiter omnes græci, et latini patres ex divina institutione repetunt hunc ecclesiasticum magistratum, ejusque potestatem, et jurisdictionem. Quare nihil agunt, qui tantum *potestatis, et auctoritatis*, non item *jurisdictionis* vocabulum ab Ecclesia usurpatum putant ante ætatem S. Gregorii M., qui certe eo vocabulo usus est ep. 8 l. 14 opp. t. 2 col. 1266 ed. Maur. Paris. 1705. Nam si Ecclesia ipsius Christi voluntate, et instituto semper habuit magistratus cum potestate condendi leges, coercendi, infligendi pœnas, habuit certe jurisdictionem: nihil autem refert, num Ecclesia jus suum potestatis, et auctoritatis, an potius jurisdictionis vocabulo explicaverit; modo Ecclesiæ detur, quod certe habet à Christo, otiosum est de vocabulis disputare.

3. Hæc autem jurisdictio, quam habent in republica magistratus cum imperio præpositi, sine dubio comprehendit judiciariam potestatem. Nam qui leges condit, atque ab omnibus observandas curat, imperioque tuetur, qui in subditos habet jurisdictionem, is etiam suam explicat potestatem in judiciis, in quibus ortæ inter subditos controversiæ dirimuntur, legumque observatio præscribitur. Itaque judiciaria potestas non cujusquam hominis beneficio data est Ecclesiæ, sed penitus affixa, atque insita est in potestate condendi leges, in imperio, atque in jurisdictione, quam Christus in eam contulit.

4. Qui hanc potestatem aut Ecclesiam habere negant, aut eam ab hominum beneficio repetendam putant, ii magistratus et omnem jurisdictionem Ecclesiæ adimant necesse est (1). Nam pugnantia hæc sunt, esse in republica magistratus cum imperio, ac jurisdictione, et hos magistratus non habere judicandi potestatem, quæ eorum juri, et officio cohæret, quæque in primis est hujus imperii, et jurisdictionis propria. Atqui Ecclesiam habere magistratus, quorum administratione, cura, potestate, imperio illa Christianorum hominum societas, illaque à civili distincta republica regenda sit, hoc est, Episcopos à Christo constitutos, inter catholicos omnes constat.

(1) Primum Aætius omnem Ecclesiæ jurisdictionem, et legislativam potestatem eripere conatus est; ejus errorem sequuti sunt Valdenses, Joannes Husius, Marsilius Patavinus, Jandunus, Lutherus, Calvinus, Grotius, qui falso putarunt, nullam Ecclesiæ esse jurisdictionem, sed omnem ejus in dirigendo, et suadendo positam esse auctoritatem. Horum exemplo protestantes

omnes, qui jus Principis in sacra tuentur, Ecclesiæ adimunt judiciariam potestatem. Qui cum Puffendorfio Ecclesiam non distinctam rempublicam, aut statum, ut inquiunt, sed tantum collegium esse contendunt, ut Moshemius, Bohemerus, Budæus, aliique, omnem Ecclesiæ esse negant judiciariam potestatem, sed hanc ad jus majestatis Principis sæcularis, pertinere arbitrantur, atque Ecclesiæ tantum jus collegiale tribuunt. Joannes Bodinus l. 3 de Republic. ecclesiasticæ jurisdictioni, ac foro vehementer adversatur, atque eum sequutus est Carolus Loysæus in suo «Traite de Seigneuries.» In eodem luto hæsitat P. la Borde, qui opusculo cui titulus: «Principes sur l'essence, la distinction, et les limites des deux puissances, spirituelle, et temporelle,» datam à Christo Ecclesiæ potestatem non solum dirigendi per consilia, et suasiones, sed etiam jubendi per leges, cogendique, et pœna coercendi eos, qui pœna sunt digni, labefactare, ac tollere conatur, atque ecclesiasticum ministerium ita sæculari potestati subjicit, ut ad hanc pertinere contendat de externa omni, ac sensibili gubernatione cognoscere, ac judicare. Pravum, ac perniciosum opusculum damnavit Benedictus XIV, const. *Ad assiduas* 44 t. 4 ejus Bullar. p. 165 ed. Rom. seu Ven. 1758, et similis Marsilii Patavini, et Janduni error multo ante damnatus est à Joanne XXII, const. *Licet juxta doctrinam* apud Raynaldum t. 5 p. 347 ed. Lucæ. Morinus in opere de pœniten. administr. l. 1 c. 10, forum contentiosum Ecclesiæ non distinguit à foro pœnitentiali, atque illum tantum post XI. aut XII. sæculum Ecclesiam habuisse putat. Cum Morino sentit Van-Espenius Jur. eccles. univers. l. 3 tit. 1. Fevretii celebre est opus de abusu, quo ipse ecclesiasticam jurisdictionem, et judiciariam potestatem acriter insectatur. Inde du Pinius de Antiqua Eccl. disciplin. diss. VII. §. ult. judicium ecclesiasticum in civilibus, et criminalibus clericorum causis, et potestatem ex Principis permissu repetit. Petrus Giannonius in histor. civil. regn. Neapolit. l. 2 c. ult. t. 1, hostis infensissimus contentioso Ecclesiæ foro, omnem ejus potestatem in docendo, orando, suadendo, et per censuras corrigendo ponit, et Morino etiam assentitur. Jacobus quoque Gothofredus ad l. 47 cod. Theodos. de episc. et cleric. t. 6 p. 105 et seq. ed. Lipsiæ 1743, et Jacobus Cujacius in paratit. eod. de Episcopal. audien. opp. t. 2 col. 30 ed. Ven. 1758, judiciariam Ecclesiæ potestatem negant. Novissime Canonicus Litta in opere iterum edito Ticini an. 1785 «del Diritto di disporre gl' impedimenti dirimenti nel matrimonio, e di dispensarne» to. 2 p 125, Morini sententiam ad VIII. sæculum contraxit, atque ante hoc tempus Ecclesiæ veram judicandi potestatem solum in rebus Religionis adscribit. Plures viri docti hanc Ecclesiæ potestatem vindicarunt, quos inter præstant Ven. Moneta adv. Cathar. et Valden. l. 5 c. 13 §. 5 et seq. p. 532 ed. Rom. 1743, Dadinus Altaserra in opere de jurisdict. eccles. adversus Fevretium, et in libro peculiari adversus Gothofredum, Jo. Antonius Bianchi Della potesta e della polizia della Chiesa l. 1 c. 5, Joannes le Gendre *Judicium Episcopale adversus calumnias J. Gothofredi acerrime vindicatum*, doctissimus Mamachius Epist. 2 ad Febronium §. 19 seq. p. 285 tom. 1 et p. 300 seq., et Auctor operis «Le storte idee raddrizzate,» c. 5. Videndus est etiam Fleuryus disc. 7 sur l' Histoir. Eccles. «de la Jurisd. essent. à l' Eglise.»

5. Jamvero pars hæc jurisdictionis, quam judiciariam potestatem vocamus, in omni republica vel in res, vel in personas à magistratibus explicatur. Nam qui reipublicæ cum imperio præpositi sunt, in omnia, quæ ad rempublicam pertinent, habent potestatem; hoc est, in personas, ex quibus ea constat, atque in res, quibus utuntur, fruuntur personæ ad vitam traducendam. Quare etiam Ecclesiæ magistratus in res, et personas suæ republicæ habere debent judiciariam potestatem, quam in res, et personas suarum rerumpublicarum habent ceteri magistratus.

6. His in rebus æqua est conditio civilis, et ecclesiasticæ reipublicæ, quæ utraque imperium habet in res, et personas suas; verum ecclesiastica respublica habet etiam præcipuam spiritualem potestatem, qua civilis respublica prorsus caret. Scilicet Christus, non tantum Eccclesiam instituit, quæ esset perfecta respublica, et ideo juribus frueretur ceterarum rerumpublicarum; sed etiam ejus unius esse voluit præesse rebus sacris, atque divinis, et curam gerere eorum, quæ ad æternam hominum felicitatem pertinent. Itaque Ecclesiæ potestas non tantum est potestas propria cujusvis reipublicæ, sed etiam sese exerit in stabiliendis fidei, morumque regulis, in sacramentis administrandis, in cultu Religionis, in sacris ritibus, in ceteris generis ejusdem.

7. In hæc quidem omnia Christus expresse dedit uni Ecclesiæ potestatem; et vero ita dedit, ut in ipsum Christum contumax haberetur quisquis Ecclesiæ præceptis non obediret (1). Hæc autem potestas à Christo data duplex est, altera, quæ in interiori, altera, quæ in exteriori foro exercetur. Primam expressit Christus his verbis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (2); alteram his: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc, unum, vel duos testes; si non audierit eos, dic Ecclesiæ* (hoc est Conciliis, seu Episcopis, accepta eo loco Ecclesia ex sententia sudæorum, quales erant Apostoli, quos Christus compellat; Judæi vero Ecclesiam appellarunt, aut conventum in Synagoga habitum, aut Principes Synagogæ); *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus* (3), quos Judæi à synagoga excludebant. Habes hic omnia, quæ sunt exterioris judicii propria: accusatorem, reum, judicem, causæ cognitionem, sententiam, coercitionem.

(1) «Qui vos audit, (inquit Christus apud Lucam X. 16), me audit; qui vos spernit, me spernit.» Latinis autem, uti et Hebræis, et Græcis, *audire* idem «st ac *obedire*. Porro ei parendum, cui jubendi jus est.

(2) Joannes XX. 23.

(3) Matthæus XVIII. 15 seq. Vide Auctorem operis «des Deux puissances.»

chap. 5 t. 3 p. 154 et seq., in primis autem vide Cl. Mamachium Ep. 1 ad Auctorem operis inscripti *Quid est Papa?* n. 15, p. 60 seq. ed. an. 1787.

8. Potestas in hæc à Christo Ecclesiæ data nominatim est, quoniam eam nonnisi à Christo aceptam, Ecclesia habere potuisset. De reliqua potestate, quæ ad Ecclesiam pertinet eo jure, quod ipsi cum ceteris Rebuspublicis commune est, nullas Christus leges separatim dedit, neque profecto eas dare necesse erat Nam cum Ecclesia tanquam propria, et distincta respublica ab eo instituta fuisset, cum ejus reipublicæ status, et gubernatio constituta, cum ei dati magistratus, atque inter eos unus, qui omnibus dignitate, et jurisdictione præeset, consequens erat, ut haberet omnem potestatem, quæ reipublicæ propria est; neque Christus inter homines versabantur, ut rerumpublicarum imperium, et jura constitueret, sed ut sanciret leges, quæ ad Religionem pertinent, atque ad æternam felicitatem eorum, qui hac republica continentur.

9. Ea de causa declaravit, *regnum suum non esse de hoc mundo* (1), et ortam controversiam super familia erciscunda judicare noluit, quoniam ejus rei judex à nemine constitutus fuerat (2.) Non hæc certe dixit, quod in *hunc* etiam *mundum* non haberet potestatem, aut quod ab hominibus judex constitui deberet, qui omnium dominus erat, quique à Patre *omne judicium* acceperat (3); sed ut demonstraret, maxime se esse solicitum de rebus Religionis, deque æterna hominum felicitate (4). Verum post Christi mortem Apostoli utramque potestatem exercuerunt, et quam à Christo nominatim acceperant in res sacras, atque divinas, et quam habebant tanquam magistratus Christianæ reipublicæ cum imperio præpositi (5).

(1) Joannes XVIII, 36. Locum hunc expendens Augustinus tract. 115 in Joan. n. 2 opp. t. 3 col. 792 ed. Ven. 1729, rectissime, verissimeque animadvertit, Christum non dixisse, regnum suum non esse in hoc mundo, sed dixisse solum, non esse de hoc mundo: quibus verbis significare voluit, regnum suum non ab humanis causis, atque ab hominum electione, sed aliunde, hoc est, ab ipso Patre originem habuisse. *Hic non ait*, inquit ipse Augustinus, *regnum meum non est in hoc mundo: sed non est de hoc mundo. Non ait, nunc regnum meum non est hic, sed nunc regnum meum non est hinc.* Confer Cl. Mamachium «del Diritto libero della Chiesa» l. 1 c. 1 n. 8 p. 64 seq. t. 1 et l. 2 §. 3 p. 93 seq. t. 2 par. 1.

(2) Lucas XII, 24. Vide eumdem Mamachium l. c. l. 1 c. 1 §. 3 p. 37 et seq. t. 1.

(3) Joannes V, 22, 27.

(4) Aptissime S. Thomas 3 p. q. 59 art. 4 ad 1 «Christus, inquit, quamvis esset Rex constitutus à Deo, non tamen in terris vivens, terrenum regnum administrare voluit. Similiter etiam judiciariam potestatem exercere noluit super res temporales, qui venerat homines ad divina transferre. Unde Ambrosius..... nec judex dignatur esse litium, et arbiter facultatum, etc.»

(5) «Obedite (inquit Paulus ad Hebræos XIII, v. 17) Præpositis vestris, et jubjacete eis.» Apostoli autem constituerunt legem, quæ divina certe non erat, de sanguine, et suffocato. Id vero non fecissent, nisi à Christo potestatem accepissent. Hinc Paulus Act. XV, v. 41, perambulabat Syriam, et Ciliciam... præcipiens custodire præcepta Apostolorum, et Seniorum. Negat quidem Witacherus, hoc in græcis codicibus extare; sed in vetusto Codice Alexandrino reperiri, eruditus Milius Anglus in hoc cap. et v. Act. Apostol. confitetur. Fac tamen non extare; quid tum? Lucas cap. 16 v. 4 dicit hæc: «Cum autem pertransirent Civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, et Senioribus, qui erant Hierosolymis.»

10. Itaque non tantum de rebus, quæ ad Religionem, et Ecclesiæ gubernationem pertinerent, tum voce, tum scripto præcepta constituerunt, quorum quidem sacri libri pleni sunt; sed etiam legibus repugnantes, statumque reipublicæ pervertentes, pœnis compresserunt. In primis Paulus, cujus plura, quam alius cujusquam Apostolorum, scripta extant, *virgam* minatur Corinthiis (1); profitetur, habere se *in promptu ulcisci omnem inobedientiam, ex potestate, quam dedit*, ait, *nobis Dominus* (2): ac ne eos denuntiatione potestatis frustra *per epistolas terrere* videretur, *quales sumus*, inquit, *verbo, tales et præsentes in facto.*

(1) I. ad Corint. IV. 21. Adessis Mamachium lib. 2 «del Diritto libero della Chiesa,» cap. 1 §. 3 p. 131 seq. Tom. 2 Part. 2.

(2) II. ad Corint. X, 6 seq.

11. Thessalonicensibus quoque imperat, ut sibi obediant, et si quis non paruerit, eum à Christianorum societate exterminandum jubet: *Si quis*, inquit, *non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo* (1). Quam eamdem pœnam pluribus quoque criminibus constituit (2); et eadem etiam coercuit tum Hymenæum, et Alexandrum in fide naufragos (3), tum Corinthium incestus in novercam reum (4). Quin ne sola severitate jus sacræ potestatis exercere videretur, eumdem Corinthium, postea resipiscentem, Ecclesiæ communioni restituit (5).

(1) Apostolus II. ad Thessalonicen. III, 14.
(2) I ad Corint. V.
(3) I ad Timot. I. 20 et II. ad Timot. IV, 15.
(4) I ad Corint. V, 1 seq.
(5) II ad Corint. II, 6 seq.

12. Qui tantam in Ecclesiæ subditos habet potestatem, ut eos omnino ad parendum cogat, pœnis coerceat, in eorum crimina animadvertat, ¿an non etiam tribunal habere poterit, in quo eorum controversias judicet? Certe Paulus (1) vehementer objurgat Corinthios, quod extra Christianam rempublicam judices quærerent, qui eorum sæcularia negotia cognoscerent, et abjectum quemque hominem è Christianis, aptiorem ad judicandum dicit, quam potentiorem quemlibet, qui Christianus non sit. Tum *nescitis*, inquit, *quoniam Angelos judicabimus: ¿quanto magis sæcularia?* Ipse Paulus (2) Thimotheum docet judicii methodum, quam Episcopum contra Presbyterum servare oportet.

(1) Apostolus I. ad Corint. VI. v. 1 et seq., quem locum ita interpretatur Jo. Chrisostomus Hom. 16 in I. Ep. ad Corint n. 2 p. 136 t. 10 opp. ed. Mont. faucon. Paris.: «Volens nos docere quodcumque tandem fuerit, non oportere nos externis committere, cum objectionem, vel quæ talis esse videbatur, movisset, prius illam solvit. Hoc enim vult significare. Fortasse dicet quispiam, nullum esse apud vos sapientem, neque ad judicium ferendum aptum, sed contemptibiles omnes. Et quid hoc? Etiamsi enim nullus sit sapiens, inquit, vos minimis permittite. Hoc autem ad verecundiam vestram dico, etc.»

(2) I ad Timoth. V, 10. Confer Tertulianum contr. Marcion. l. 5 c. 12 p. 477 ed. Ven. 1744. Atque hæc quidem ab Apostolo proposita judicii contra Presbyterum agendi ratio, tamquam firma, constansque regula in omnibus ecclesiasticis judiciis observanda semper agnita est, uti ostendunt Theodoretus Histor. Eccl. l. 1 c. 21 p. 47 ed. Taurin. 1748, et Acta Cleri Gallicani *De la Jurisd. Eccles.* p. 2 p. 30 seqq. t. 6 ed. Paris. 1716.

13. Vita functis Apostolis, eorum Succesores suam semper exercuerunt potestatem non solum in interiori, sed etiam in exteriori foro (1); habueruntque judicia, non tantum de rebus fidei, morumque regulis (2), sed etiam de controversiis, quæ inter Christianos oriebantur. Id vero factum, est non modo cum Christiani, sed etiam cum ethnici imperio potirentur. Hoc enim temporis intervalo semper Ecclesiæ Magistratus, hoc est, Episcopi, ea curarunt, quæ ad Religionem pertinent, atque etiam pœnis coercuerunt crimina Christianorum, præsertim pœna excommunicationis, qua nulla gravior est, et quam servato ordine judiciario infixerunt (3).

(1) Joannes Morinus de Administr. sacram. pœniten. l. 5 c. 26 n. 18 et 19 et l. 6 c. 25 n. 12 demonstrare conatur, per plura sæcula in Ecclesia censuras à publica pœnitentia distinctas non fuisse; recentiori autem disciplina inductum fuisse, ut censuræ sint actus judiciales in foro contentioso, qui ex jurisdictione procedunt, atque has à publicis pœnitentiis distingui, et tanquam judiciales actus haberi cœpisse, cum forum exterius ab interiori

distinctum est. Verum falsa prorsus hæc sententia est, et veteri Ecclesiæ disciplinæ adversatur. Certissimum enim est, semper ab Ecclesia censuram fuisse distinctam à publica pœnitentia, atque habitam tanquam sententiam, qua servata judicii methodo reus criminis condemnabatur, ita ut prorsus à Christianorum societate repelleretur, et cum eo reliqui fideles nullam societatem, rerumque communicationem haberent. At vero publica pœnitentia non ita gravem afferebant pœnam, atque, ut plurimum, erat signum reconciliationis, quoniam sæpe imponebatur iis, quibus dabat Ecclesia pacem, posteaquam ipsos ab se omnino rejecerat. Qui publicæ pœnitentiæ subjectus fuerat, semper eclesiasticæ communioni restituebatur, eaque imponebatur pœna, ut post emensa legitimæ pœnitentiæ spatia restitueretur; sed alia erat censurarum ratio. Similiter exploratum est, Ecclesiam semper habuisse forum exterius ab interiori, et pœnitentiali distinctum, neque aliquis ignorare potest, eam semper contra reos criminum accusationes, et denunciationes accepisse, audivisse testes, cuncta expendisse, ac denique sententiam in reum protulisse. Certe ad interius forum non spectat Paulus I ad Timoth. V. 19, cum vetat Episcopum adversus Presbyterum accusationem recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus. Canon autem Apostolorum 66 et 67 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 451 ed. Amstelæd. 1724, itemque Concilium Antiochenum sub Julio I. can. 5, et Carthaginense I. can. 10 apud Labbæum t. 2 col. 590 et 1247 ed. Ven. ut mittam cetera monumenta, quorum magnus est numerus, solemnis judicii formam, quæ in exteriori foro adhibetur, disertissime proponunt. Videndi quoque sunt Balsamon, et Zonaras in can. 37 Apostolor. apud Beveregium tom. 1 p. 25, à quibus multæ de ecclesiasticis judiciis afferuntur. Quin etiam certus erat judicii exercendi dies, nimirum feria secunda, uti tradit Auctor const. Apostolic. l. 2 cap. 47 apud Cotelerium t. 1 p. 257 ed. cit. Consule Jo. Antonium Bianchi «della Potestà, è della polizia della Chiesa» l. 1 c. 5 §. 2 n. 11 t. 3 seq. p. 443 seq. et Mamachium lib. 2 «del Diritto libero della Chiesa» tom. 2 part. 1 p. 131 seq.

(2) Confer Doujatum Prænot. canonic. l. 2 c. 2.

(3) Cyprianus Ep. ad Cornelium apud Labbæum t. 1 col. 716 ed. Ven., «Nam cum statutum sit, inquit, omnibus nobis, et æquum sit pariter, ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum..... oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, et fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi et accusatores habere, et testes sui criminis possunt.» Habes hic accusatores, testes, sententiam; quid aliud ad verum judicium, forumque constituendum requiritur? Ipse Cyprianus l. c. narrat solemne judicium actum adversus Privatum, et adversus Jovinum, ac Maximum, qui omnes re primum diligenter quæsita, et cognita, plurium Episcoporum sententia damnati sunt. Hoc etiam referendus est Tertullianus, qui in Apologet. c. 39 p. 31 ed. Par. 1675, «Coimus, inquit, in cœtum, et congregationem..... Ibidem etiam exhortationes, castigationes, et censura divina. Nam et judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu: summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, et conventus, et omnis sancti commercii relegetur.» Quibus ex verbis intelligitur, censuram ecclesiasticam, ac præsertim excommunicationem, de qua Tertullianus loquitur, fuisse actum judicialem, eamque ab Ecclesia, re primum cognita, et expensa diligenter, ferri consuevisse. ¿Quid dicam de Concilio Eliberitano, quod habitum est an. 305? In eo duo sunt canones, nimirum can. 71 et 75, in quibus agitur

de accusationibus, quæ contra clericos proponuntur, gravesque contra calumniatores inducuntur pœnæ, ac ea de re tota agi dicitur in conventu clericorum. Duo hi canones sine dubio pertinent ad judicia ecclesiastica, ut rectissime observat Albaspinæus in Not. opp. p. 185 ed. Neapol. 1770.

14. Temporales quoque causas Christianorum, ethnicis dominantibus, ab Ecclesiæ magistratibus judicatas fuisse, vel ex eo intelligitur, quod per tria sæcula aliquæ certe inter illam hominum multitudinem exsistere debuerunt controversiæ, quæ ne defuerunt quidem initio Ecclesiæ, ac vivis Apostolis, et tamen nullus unquam Christianus eas detulit ad ethnicos magistratus. Manebat enim alta mente repostum præscriptum Pauli, quod Christianos coram ethnicis magistratibus litigare vetabat, et ideo qui Christianæ reipublicæ cum imperio præerant, hanc etiam sui imperii, et oficii partem in suum cuique reddendo explicabant (1).

(1) Secundum Apostoli præceptum Auctor constit. Apostol. l. 2 c. 45 apud Cotelerium PP. Apostol. t. 1 p. 256 edit. Amstelædam. vetat, ne quis «adeat ad judicium gentilium, imo ne patiamini, ait, ut sæculares magistratus de causis vestris judicent.» Et c. 46 pag. ead. ne igitur, inquit, disceptationes vestras gentiles cognoscant. Concilio Hipponensi ann. 393 can. 37 t. 2 col. 1441 coll. Labbæi, ed. Ven. item statuitur, quod catholicus, qui causam suam, sive justam, sive injustam, ad judicium alterius fidei judicis provocat, excommunicetur. Hinc S. Augustinus in Psalm. 218 Serm. 24 opp. t. 4 col. 1340 et de Oper. monach. c. 39 n. 37 col. 499 t. 6 ed. Maurin. Ven. 1730, ex Apostoli præcepto repetit judicandi munus, quo ipse tanquam Episcopus fungebatur. Uterque hic Augustini locus dignus est, qui sedulo expendatur, ut pateat, Ecclesiæ judicia, vera fuisse judicia, et veros item judices fuisse Episcopos, non arbitros litigantium consensu constitutos, eamque Augustini fuisse sententiam, quod Episcopi ex Apostoli lege judicia exercerent. Inquit enim ipse Augustinus cit. Serm. 24: «Maligni infirmos premunt, et causas suas ad nos ferre compellunt, quibus dicere non audemus: dic, homo, *quis me constituit judicem, aut divisorem inter vos?* Constituit enim talibus causis ecclesiasticos Apostolus cognitores, in foro prohibens jurgare Christianos.» Habes hic judicia acta ab Episcopis in invitos, non in eos, qui illos sua voluntate tamquam arbitros elegissent. Hæc autem ipse Augustinus de Oper. monach. cit. cap. 29 dicit: «mallem manibus aliquid operari..... quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis sæcularibus vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis. Quibus nos molestiis idem affixit Apostolus, non utique suo, sed ejus, qui per eum loquebatur arbitrio.» Locus hic ostendit, Episcopos non solum fuisse arbitros controversiarum, neque solum eas officiis composuisse, quo spectant verba «vel interveniendo præcidendis», sed etiam veros fuisse judices, quo referenda sunt verba «vel judcando dirimendis», et hæc quidem judicia habuisse tumultuosissimas perplexitates, quibus verbis judicialis strepitus, cursusque multiplex indicatur. Hoc ipsum Apostolicum præceptum agnoscit Concilium Carthaginense III

can. 9 t. 2 col. 1041. Collect. Labbæi, et Concilium Carthaginense V can. 1 col. 1454 eod. t. 2.

15. At enim Ecclesiæ Magistratus arbitri potius erant, qui mutuo litigantium consensu dissidia componebant, quam veri judices, cum neque jus coercitionis haberent, neque jus rederent servatis judiciorum solemnitatibus, neque litigantes eorum sententiis parere cogerentur. Sed primum nego, tantum ex consensu litigantium, non item jure suo, et proprio, Ecclesiæ Magistratus fidelium controversias judicasse. Apostolus Christianos apud ethnicos litigare vetuerat, neque id consilii, sed præcepti loco constituerat (1); et vero consequenti ætate Christiani omnes huic Apostolico præcepto paruerunt. Si Christiani apud ethnicos judicium exercere non poterant, consequens est, ut ea agerent vel apud *Sapientem*, quem Paulus eligendum suaserat, quique eligi non poterat sine auctoritate eorum, qui reipublicæ præerant, vel apud Apostolos, et Episcopos, hoc est, apud illos, qui summum in Christiana Republica magistratum obtinebant.

(1) Verba Pauli cit. Ep. I. ad Corinth. VI. sunt: *Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos?* Qui tam graviter objurgat eos, qui hoc audent facere, nonne evidenter ostendit, indignum esse hoc facinus, ac nullo modo ferendum? Quare qui in illis Apostoli verbis non præceptum, sed consilium inesse putant, ii mihi non videntur animadvertisse, Paulum legem dedisse adversus ausum, quem ipse graviter reprehendendum putabat, et in hunc quidem ausum non consilium, sed præceptum cadere debebat. Consilii quidem est electio Sapientis, qui possit judicare inter fratrem suum; sed quam disimili ratione id Paulus urget, quam diversis hoc loco verbis utitur! Revera Apostoli præceptum memorant Auctor epistolæ ad Jacobum, apud Cotelerium t. 1 p. 611; Auctor constitutionum et ceteri, quorum paulo ante facta mentio est; et Concilium Hipponense l. c. excommunicationis pœna plectit catholicum, qui ad judicium alterius fidei judicis provocat. Adde observantiam trium sæculorum, quo spatio temporis neminem è Christianis ad ethnicos judices ivisse scimus. An id tam longo temporis cursu, atque inter ingentem illam hominum multitudinem tam diligenter observatum fuisset, nisi Christianis omnibus persuasum fuisset, ab Apostolo datum non consilium, sed præceptum, cui omnes parere oportebat? Ipse Augustinus Enchirid. de Fide spe et charitate c. 78 opp. t. 6 col. 226 ed. ind. Paulum illis, quæ supra descripsi, verbis non merum dedisse consilium, sed terribiliter vetuisse docet, ne Christiani extra Ecclesiam judicia exercerent. Neque vero obtrudi potest factum Pauli, qui ad Cæsarem provocavit: Act. Apostol. 25. Ipse enim comprehensus à Festo Præside, qui ei vim inferre volebat, necessario provocare debuit ad Cæsarem, hoc est ad eum, cui Festus suberat, quique ejus vim reprimere posset.

16. Itaque Christianorum judicium in aliorum Christianorum

controversiis non voluntarium erat, quodque à litigantium arbitrio penderet, sed necessarium, quoniam ipsi extra Christianam rempublicam judices quærere prohibebantur. Atque hi quidem judices omnem habebant potestatem, et jurisdictionem, qua præditos esse oportet Magistratus, qui reipublicæ cum imperio præsunt, et quam Apostoli non semel ostenderant, præsertim Paulus, qui se in *promptu habere* declaraverat *ulcisci omnem inobedientiam* (1), qui Alexandrum, quod verbis suis *restiterat*, *devitari* jusserat (2), qui eum, qui sibi non obediebat, *notari*, et cum reliquis fidelibus *commisceri* noluerat (3). Revera toto illo temporis cursu, quo ethnici imperio potiti sunt, adeo certum, fixumque Christianis erat, controversias suas ab Ecclesiæ magistratibus esse definiendas, seque eorum judicio parere oportere, ut nemo adversari, atque ad ethnicos judices adversus illorum sententiam querelas deferre ausus fuerit.

(1) Apostolus II ap Corint. X, 6 seq.
(2) II ad Timoth. IV, 15.
(3) II ad Thessalonic. III, 14.

* Notandum quod de proposito habet Can. *André, Dict. Jur. Canon.* art. *Vicaria*, edit. Matrit. alibi citatæ; nempe: «Durante el tiempo de las persecuciones de la Iglesia en los tres primeros siglos, los obispos juzgaban todas las causas civiles de los cristianos; porque entonces era imposible recurrir á los tribunales seculares, por dos motivos: por el temor de descubrirse; y por el de apostatar, pues *se hacia jurar por el jenio del Emperador.*» Ita D Pauli prohibitionem: *Audet aliquis vestrum* etc. explicare tentat eruditissimus Scriptor.»

17. Quod si Ecclesiæ magistratus formidolosis illis temporibus jus non reddebant ea pompa, et splendore, quo ethnicorum judices, si non erant stipati ministris, qui adversus repugnantes vim adhiberent, si illas judiciorum ambages, et solemnitates non observabant, non inde certe effici potest, quod ii Christianorum controversias non judicaverint. Quando Christiani non alios habere judices poterant, quam Ecclesiæ magistratus, quando hi in Ecclesia imperium, et potestatem habebant, quando ipsis cuncti parere cogebantur, quis neget, eos vera judicia exercuisse, aut saltem, quoties opus fuit, suo jure exercere potuisse? Pompa, ministri, solemnitates nihil ad judicii naturam pertinent. An non etiam summarium judicium, in quo hæ solemnitates omittuntur, verum judicium est?

18. Judicium faciunt duo litigantes, quorum alter actor, alter reus est, causa, seu controversia, et magistratus, qui judicat, suaque sententia controversiam dirimit. Quando hæc sunt,

verum judicium est; cetera non inhærent in rei natura, atque usu fori extrinsecus accesserunt. Itaque si Christiani controversias, judicia etiam habuerunt, et harum controversiarum judices non alii esse potuerunt, quam qui Christianæ reipublicæ cum imperio præerant, quibus omnes parere debebant semperque paruerunt.

19. Atque hæc quidem in Ecclesia judiciorum ratio fuit, donec ethnici rerum potiti sunt. Delato ad Christianos imperio, consequens erat, ut illa inter ecclesiasticam, civilemque rempublicam conciliaretur concordia, quæ inter Christianorum, atque ethnicorum societatem esse nequiverat. Ecclesiæ magistratus curam abjecerunt earum rerum, quas antea administraverant, quod dedeceret, ethnicos magistratus miscere se in rebus Christianorum, curamque retinuerunt rerum spiritualium, atque omnem in clericos potestatem. Nam utraque respublica, civilis, et ecclesiastica, in suo genere perfecta, ac distincta est, utraque suos habet magistratus, et subditos, certasque res suæ potestati subjectas.

(N. S. Ergo in Hispania nostra, à tempore scilicet quo Gotthi Catholicam Religionem amplexi sunt, tanta fuit inter Sacerdotium, et Imperium concordia, ut nec Episcopi præscriptos à Principe Canones constituere, nec Reges ipsi ad ferendas pro regimine populi Constitutiones, Episcopos sibi adsciscere dedignati fuerint. Porro Reccaredus ipse, post ejuratam Arianam hæresim, decernendum voluit à Patribus Concilii Tolet. III, quod Symbolum fidei inter Missarum sollemnia, ad Orientalium Ecclesiarum exemplum, caneretur; cujus quidem pietatem æmulati, qui sequuti sunt Reges, condendorum Canonum *Tomum* in Conciliis proferre consueverant. Et eadem Syn. Tolet III, ejusdem Reccaredi consentiente clementia, sancivit can. 14, ne Judæi publicis officiis præficerentur; id quod agente potissimum Sisenando, confirmavit Syn. Tolet. IV can. 65, alias 64. Demo sequutis temporibus, moribus inductum est, ut coactis à Regibus Episcoporum, et Procerum Conventibus, nedum de Ecclesiastica reformanda disciplina, sed et de Principis electione, de honore officii Palatini Viris debito, et de infimæ plebis coercendis excessibus ageretur.

Fortunata hæc utriusque Potestatis concordia, irruentibus Saracenis extincta, sæculo IX reviviscere visa est. Unde in Syn Oveten. sub Alphonso III an. circiter 873, in Legion. sub Alphonso V an. 1020, in Cojacen. sub Ferdinando, et Sanctia an. 1050, in Oveten. sub Urraca, ejusque Filiis, et Sororibus, ipsarumque Filiis an. 1115, in Palent. sub Alphonso VII an. 1129. Episcopis, Abbatibus, et Illustribus Viris undique collectis, Canones constituti sunt ad Ecclesiæ simul, et populi negotia spectantes. Quocirca præf. Syn. Legion. cap. 6 decrevit, quod *judicato Ecclesiæ Judicio, agatur causa Regis, deinde populorum.* Et Compost. an. 1114 cap. 14, quod omnis causa *in præsentia Pontificis, Judicum, et Canonicorum intimetur, et definiatur.*

Porro Hispaniarum Patres, Apostoli doctrinam sequentes, quotidiana lai-

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

corum jurgia discutiebant, terminabant. Inter hæc vero præcipua eorum cura erat, ut divites si quid adversus pauperum, viduarum, aut orphanorum bona molirentur, coercerent: Syn. Tolet. I can. 11, et Tolet. IV, can. 32, alias 31. At ne inde colligas, Patres nostros sese hujusmodi causis quasi Judices immiscuisse. Episcopi illi, uti Pastores populi decebat, nonnisi ut compescerent simultates, vitarentque litigantium odia, *arbitratorum more*, piis, et Evangelicis exhortationibus, frequentia laicorum dissidia terminanda suscipiebant; qui si nihil proficerent, sæculare judicium adeundum erat, *ut quos Sacerdotalis admonitio non* flectebat *ad justitiam, Regalis Potestas ab improbitate* coerceret: Syn. Tolet. *præfat.* Can 32. Quin et si quæ in laicorum bonis decernenda esset ab Episcopo coactio, *Regii executoris instantia* peragenda erat: ead. Syn. Tolet. IV can. 3

Hanc judicandi methodum, quum sæcularem Potestatem nedum non offendere, quin potius præstantissimum esse cavendis criminibus remedium, piissimi Reges animadverterent, tantum abest, ut eam improbarent, quin et ipsi quandoque Reges Episcopos hujusmodi cognoscendis causis Judices constituerent: Syn. Tolet. IV can. 31, al. 30. Unde quum in quibusdam Hispaniæ partibus parentes nonnulli, humanitatem exuti, filios, ut liberius libidini inservirent, interimere non perhorrescerent, Reccaredus Judicibus injunxit, *ut hoc horrendum facinus cum Sacerdote perquirerent, et adhibita severitate* cohiberent: Synod. Tolet. III can. 17 Recesvinthus quoque decrevit, ut ab injuria à Judicibus illata, ad Episcopum provocari posset, qui coacto aliorum Episcoporum, et Nobilium Conventu, cogeret judicem sententiam emendare; quo renuente, Episcopus posset per semetipsum sententiam ferre: Leg. 38 tit. 1 lib. 1 *Fori Judic.* Quam quidem confirmasse videtur Syn. Tolet. IV. can. 3: *Omnes, qui causas adversus Episcopos, aut Judices, aut potentes, aut contra quoslibet alios habere noscuntur, ad idem Concilium concurrunt.* Postremo Ervigius in Syn. Tolet. XIII can. 2 constituit, ut in nullum ex Palatini ordinis Viris animadverti posset, nisi is *in publica Sacerdotum, Seniorum, atque Gardingorum discussione reductus, et justissime perquisitus, aut obnoxius reatui detectæ culpæ Legum pœnas excipiat, aut innoxius judicio omnium comprobatus adpareat.*

Hæc Episcoporum potestas in laicorum dijudicandis causis, obtinuisse adhuc sæculis XI, et XII colligitur ex præf. Syn. Legion. can. 6, et Palent. cap. 11. At sæculo XIII, licet Reges Comitia ex utriusque Ordinis hominibus congesta habere consueverint, Ecclesia tamen suos sola Conventus celebrare cœpit, uti Synodum Penna-fidelensem an. 1302, Vallisoletanam an. 1322, etc. Tum Collectio *Decretalium* Gregorii IX, ad Civilis juris exemplum adornata, *Partitarum* Codex ad præscriptum ejusdem Collectionis digestus, frequens Legatorum cum amplissimis facultatibus adventus; hæc in causa fuere, quod Ecclesiæ Forum à civili penitus discerneretur, ita ut Guillelmus, Episcopus Sabinensis, et Apostolicæ Sedis Legatus, in præfat. Synod. Vallisolet. cap. 3, adserere non dubitaverit: *Ecclesiastica Jurisdictio à sæculari distincta dignoscitur.* Igitur inductis sæculo XIII Gregorii IX, et *Partitarum* Codicibus, Episcoporum in causis sæcularibus potestas abolita est; ita ut Alphonsus XI laicis inhibuerit, ut in causis profanis Ecclesiasticis se sisterent Judicibus: leg. 7 tit. 1, lib. 4 *Novis. Compilat.* Et juramenta in contractibus mere temporalibus interponi vetuit: leg. 6 tit. 1 lib. 10 *ibid.*

Quod vero ad causas capitales, seu criminales attinet, tanquam Episcopi munus habebatur, deprecatoris vicem apud civilem Magistratum suscipere pro iis, qui capite erant damnati, et illis veniam impetrare. Hoc munere non semel Ambrosius, et Augustinus functi sunt: Paulinus *in Vita Ambros.*,

Augustinus *Epist.* 159, Syn. Sardicensis can. 7. Cave tamen putes Episcopos ea mente facinorosorum hominum patrocinium suscepisse, ut publicæ Justitiæ viam obstruerent; at vero duabus potissimum de causis. 1 Ut delerent notam illam nimiæ crudelitatis, quam christianis persæpe gentiles inurere studuerant, omnibus significantes, Ecclesiam, utpote piam parentem, à sanguine, et nece, licet improborum, abhorrere. 2 Ut miseri, et male conciliati illi, qui capite plectendi erant, mortem vitantes, suum ævum producerent, et laboriosis pœnitentiæ operibus sua crimina possent expiare.—In hisce etiam criminalibus causis Episcopi Hispaniæ vetabantur esse judices: Syn. Tarracon. can. 4, Emerit. can. 15, et Tolet. XI can. 6; præsertim quando crimen capitis sententia dignum censeretur: Syn. Tolet. III can. 17. In eo tantum casu poterant, quum *jurejurando supplicii indulgentia promittatur, non ubi discriminis sententia præparetur*, uti decrevit Syn. Tolet. IV *præf.* can. 21. Mansuetudo quippe à Christo Sacerdotibus commendata, adeo alte Patrum nostrorum mentibus insederat, ut eos ab effusione sanguinis absterreret omnino; unde Patres Syn. Tolet. IV omnes, num 69, Sisenandum exorarunt, ut in capitis sententia ferenda, servata in offensis mansuetudine, non severitas magis, quam indulgentia polleret. Videsis can. 75 § *Te quoque.*

Sed hic animadvertere abs re non erit, ex Ambrosio *de Officiis* lib. 3 cap. 9, Episcopos in causis civilibus, ac præsertim pecuniariis, nunquam apud Judices precatores accessisse; cujus rei satis idoneam profert rationem his verbis: *In causis pecuniariis intervenire non est Sacerdotis, in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alius, qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur*).

20. Ad Ecclesiam pertinet divinarum sacrarumque rerum administratio, atque in his nulla clericorum, et laicorum distinctio est, sed omnes qui per Baptismum inter Ecclesiæ filios recepti sunt, ejus potestati subjiciuntur. Civilis potestas curat res temporales, et in his quidem in omnes suos cives imperium exercet, uti etiam Ecclesia imperio utitur in cives suos, qui clerici sunt. Utraque respublica omnem habet potestatem in res, civesque suos, utraque imperat pœnisque coercet eos, qui latis ab se legibus non obtemperant.

21. Sed ecclesiasticæ coercitionis summus est gradus ejectio eorum, qui in religionem, vel in societatem peccarunt. Si quis religionem violare ausus fuerit crimine, schismate, hæresi, neque monitus redierit in bonam mentem, eum, sive clericus, sive laicus sit, Ecclesia ejicit à sacris, et societate Christianorum, propter potestatem, et officium, quod habet in omnes Christianos, curandi, regendique cuncta, quæ ad religionem pertinent. Qui aliquo crimine societatem læsit, si clericus sit, Ecclesiæ judicio subest, non propter rem ipsam, quæ propria est civilis reipublicæ, sed propter personam, quia scilicet ecclesiasticæ reipublicæ civis est. Itaque in eum Ecclesia animadvertit carcere, aut alia pœna corporali (1): et si gravius crimen sit, cui

non parem habeat pœnam Ecclesiæ lenitas, et mansuetudo, cum de gradu dejicit, hoc est, non amplius suæ reipublicem civem esse sinit, sed ad instar ceterorum laicorum, subjicit civili potestati, ipsa vero in hunc hominem, qui jam suæ reipublicæ civis est, imperium exercet, quod habet in reliquos cives suos, eumque coercet morte, ceterisve pœnis, quæ sunt à civilibus legibus constitutæ.

(1) Agam de his pœnis copiose Libro 4, ubi de criminali Ecclesiæ potestate disserendum erit. Interim, quoniam carceris feci mentionem, hoc animadvertam, jam inde à IV sæculo Ecclesiam ad puniendos clericos criminum reos, carceres habuisse, qui *Decanica* appellabantur. Patet id ex Arcadii, et Honorii constitutione, quæ est L. 30 cod. Theod. *de Hæret.* Hos carceres memorant etiam Justinianus Novel 79 c. 2, et Capitularia Caroli M. l. 5 c. 378 apud Baluzium t. 1. col. 604 ed. Ven. 1772, ubi dicitur *in decanicis*, alii *in catenis*, *Ecclesiæ recludatur*; *competenter pœnas luiturus*. In Græcorum paratitlis apud Henricum Justellum Biblioth. jur. canon. t. 2 1335, habentur hæc: *in claustrum ecclesiasticum conjiciuntur*. Eorumdem carcerum mentio est apud Basilium Diaconum in libello ad Theodosium, et Valentinianum in actis Concil. Ephesini par. 1 c. 30 n. 3 col. 977 t. 3 concilior. collect. Labbæi ed. Ven. et apud Gregorium II. in Ep. ad Leonem Isaur. t. 8 concilior. col. 671 ejusdem collect. Consule Du-Fresnium comment. in Paul. Silent. p. 594, et Jacobum Gothofredum in cit. Leg. 30 cod. Theodos. t. 6 p. 166 edit. Lipsiæ cit., qui tamen vir doctissimus hoc loco deridendum se præbet, cum fatetur *in decanicis*, *quæ procul dubio loca conclusa fuere, inmorigeros clericos asservari* consuevisse; inquit tamen, quod *Ecclesia his temporibus jurisdictionem proprie non haberet, sed audientiam tantum*. Sed quomodo sine jurisdictione potuisset Ecclesia clericos in careceres detrudere, in iisque conclusos, et custoditos retinere? An signum esse luculentius, et præclarius jurisdictionis potest? Decanica Secretarii partem fuisse putat Binghamus Orig. eccl. l. 8 c. 7 §. 9 t. 3 p. 264 ed. Halæ Magdeburg. 1758. De verberibus, exilio, mulctis pecuniariis, ceterisque pœnis, quæ ab Ecclesia dabantur, sequenti libro suus erit agendi locus. Confer præterea la Cerdam Adversar. c. 39 n. 3.

22. Ita sane postquam ad Christianos Imperatores rerum summa delata est, Ecclesia non solum de rebus spiritualibus (1), sed etiam de civilibus clericorum controversiis (2), adhibitis solemnitatibus, quæ in veris, perfectisque judiciis adhibentur (3), et in suo quidem foro (4) judicavit. Quin etiam, ne qui clericus, minus ecclesiastico judice contentus, ad laicum iret, graves constitutæ sunt pœnæ, quibus hujusmodi facinus coerceretur (5). Hæ autem clericorum controversiæ, ut plurimum, in provinciali synodo (6), sed sæpe etiam Episcopi judicio dirimebantur (7).

(1) Cunctas de religione controversias à sola Ecclesia definiri posse, ac

semper definitas fuisse, inter catholicos omnes constat. Sed in his definiendis judiciariam quoque methodum adversus hæreticos adhibitam fuisse, facile intelliget quisquis ad ea advertat, quæ in conciliis gesta sunt. Nicæni Patres, antequam in Arium sententiam ferrent, eum ad synodum vocarunt, tum eum, tum ejus accusatores audiverunt, denique re cognita, expensaque diligenter, cum plane convictus esset, adversus eum sententiam protulerunt, sicuti patet ex Socrate l. 1 c. 6 p. 11 ed. Vales. Cantabr. 1720 aliisque. A Patribus Ephesinis ter citatus, atque ad synodum vocatus est Nestorius, ut adesset juxta canones (quorum nomine Beveregius cod. can. Primitiv. Eccles. vindic. l. 1 c. 5 n. 4 apud Cotelerium PP. Apost. Tom. 2 p. 23 designari putat can. Apostolor. 74); *quoniam nihil*, inquiebant, *ex iis omnibus, quæ ad ecclesiasticum ordinem pertinent, prætermittere par est.* Legatorum, quos postremo misit Concilium, monita fuerunt, *quod nisi coram de omnibus, quæ scripto contra te allata fuerint, sive citra scriptum, te expurgaveris*, eum Synodus condemnasset. Vocatus bis, et tertio Nestorius venire noluit, atque in contumacem, et absentem sententia lata est, quæ omnia narrantur in relatione Concilii ad Cælestinum Pont Tom. 3 Conc. Labbæi Ven. ed. col. 1190. Vide etiam Bossuetum Remarques sur l' Histoir. des Conc. d' Ephese et de Chalcedoine de M. Dupin. t. 15 ed. Leod., et Cl. Card. Gerdilium Confutazione di due libelli contro il Breve etc. t. 1 p. 319 seq., à quibus ostenditur, quemadmodum totum illud judicium contra Nestorium jussu Cælestini P. actum fuerit. Trina monitione Eutyches à Concilio Constantinopolitano, et trina item monitione Dioscorus vocatus est à Concilio Chalcedonensi; ac denique expensis omnibus, contra utrumque lata sententia est: quæ omnia patent ex relatione ejusdem Concilii ad Leonem apud Labbæum t. 4 col. 1778 et col. 1811. Quid aliud hic restat, ut omnes judiciorum solemnitates adhibitæ videantur? Concilii Patres, qui ejus controversiæ judices sunt, reum citari jubent, repetunt bis, et tertio citationem; quæ solemnitas judiciorum est à legibus inducta, ut nonnisi post unam peremptoriam, aut tres simplices citationes, adversus contumacem reum sententia proferatur. Emissis tribus citationibus, itemque secundum judiciariam methodum elapsis terminis, sententia emittitur. Quid aliud egisset judex laicus, si de re sui fori propria judicare debuisset? Atque in omnibus aut Episcoporum depositionibus, aut hæreticorum condemnationibus occurrunt accusationes, citationes, testes, judices, cetera ad verum, perfectumque judicium necessaria.

(2) Concilium Nicænum can. 5 t. 2 collect. Labbæi ed Ven. col. 35. Constantinopolitanum I. Can 6 cit. t. 2 col. 1128 Carthaginense I Can. 10 col. 1217 eod. t. 2. Carthaginense IV. Can. 23 eod. t 2 col. 1439. Andegavense Can. 1 col. 18 t. 5 col. 526. Agathense can. 32 cit. t. 5 col 526. Aurelianense III. Can. 32 eod. t. 5 col. 1281. Aurelianense IV. Can. 20 cit. t. 5 col. 1367. Venetticum can. 9 col. 81 eod. t 5. Matisconense I. Can. 8 col. 662 t. 6. Innocentius I. Ep. 11 ad Victric. Rothomag. c. 3 apud Constantium Epist. Pontific. Roman. col. 742. Gelasius P. can. 13 c. 11 q 1 Joannes VIII. Can. 11 dist. 96.

(3) Ecclesiam in exercendis judiciis adhibuisse methodum judiciariam, ostendunt tum ea, quæ paulo ante diximus præsertim de Nestorio, Eutyche, Dioscoro, tum indoles ipsa rerum, de quibus Ecclesiæ judicio agendum erat. Definiendæ erant controversiæ, quæ fervebant inter duos, pluresve clericos, qui ad laicos judices ire non poterant. Quomodo hæ controversiæ sine vero, perfectoque judicio definiri potuissent? Revera in hoc judicio erat causa, actor, reus, judex, non deerat citatio, testes, probationes, cuncta demum, quæ in judiciis requiruntur. Judex expendebat actoris petitionem, reique ex-

ceptionem, ac denique, cum explorata erant omnia, sententiam ferebat, cui clerici, qui judicium illud egerant, parere cogebantur. Quid aliud agebat judex laicus in causis, quæ ad ejus tribunal deferebantur? Fateor, hæc judicia, quæ ab ecclesiasticis fiebant, cursum, atque exitum habuisse celeriorem, quam ea, quæ à laicis exercebantur, atque ab illis procul fuisse tricas, ambagesque forenses; verum hæc non pertinent ad intimam judicii naturam, neque iis neglectis minus verum, minusque perfectum judicium videri potest. In summa, judicia ecclesiastica vera erant judicia, quæ ex litigantium contentione, ex judicis potestate, imperioque fiebant, ac judex, audito actore, et reo, expensisque probationibus, absolutoriam, vel condemnatoriam sententiam proferebat, cui litigantes parere cogebantur. Jam pars illa, inquit S. Joannes Chrysostomus de Sacerd. lib. 3 c. 17 t. 1 opp. p. 399 ed. Par. 1718, *quam Episcopum tractare in judiciis convenit, infinita certe odia, infinitas offensiones parit.* Hæc certe in judicem odii, et offensionis causa, quem alium attingere potest, præter litigantem, qui condemnatus est, ac sententiæ parere invitus cogitur? Simile est, quod habet Concilium Tarraconense I. Can. 4 apud Labbæum t. 5 col. 698 ed. Ven. quo sancitum est, *ut nullus Episcoporum, aut Presbyterorum, vel Clericorum die dominico propositum cujuscumque causæ negotium audeat judicare.* Ergo clerici exercent actus vere judiciarios, et contentiosæ jurisdictionis, qui die dominico fieri non possunt. Verum etiam, perfectumque judicium ecclesiasticum memorat Sidonius Apollinaris l. 2 Ep. 12 col. 522, et l. 6 Ep. 2 et 4 ed. Sirmondi int. ejus opp. ed. Ven. 1728 col. 575 et 577. Synesius autem Ep. 105 p. 248 ed. Petav. 1633, Episcopum vult esse legum Doctorem, ut, quæ legibus consentanea sunt, loquatur. Sed videndus est in primis Ambrosius, qui graviter reprehendit Syagrium, Veronensem Episcopum, quod in judicando non eam adhibuisset methodum, quam adhibere oportebat: Ep. 5 opp. t. 5 p. 479 ed. Maur. Ven. 1781; ex qua quidem epistola manifestum est, qua solemnitate ab Episcopis judicia agerentur, et quemadmodum in iis nihil omitteretur eorum, quæ ad verum, et perfectum judicium requirebantur. Quin et Episcopos non solum judicasse, sed et judices suo arbitrio dedisse, testatur Socrates histor. lib. 7 c. 37 pag. 387 ed. Valesii Cantabrig. 1720, qui narrat, Silvanum, Troadis Episcopum, cum suos clericos, quos dirimendis controversiis dare judices solebat, aliquod inde lucrum quærere animadverteret, laicos judices elegisse, qui controversias illas definirent. Hi laici, qui Episcopi jussu, et clericorum loco judicabant, quam in judicando methodum servare debebant? Adde ea, quæ in causa S. Athanasii à Liberio Pontifice dicta sunt adversus Constantium Imperatorem, qui sanctissimum illum virum vehementer condemnari cupiebat apud Constantium epist. Roman. Pontific. col. 433 seq. Ex quibus intelligitur, quam accurate, diligenterque ab Ecclesia judicia agerentur, diu multumque audito reo, datis ei defensoribus, excussis omnibus probationibus, servatis demum omnibus, quibus opus erat, ut verum, perfectumque judicium haberetur.

(4) Qui Ecclesiam vera, et propria judicia exercuisse inficiantur, ii negant, habuisse territorium, et forum, in quo jus diceret: atque ajunt, Episcopale judicium non verum, propriumque judicium, sed *audientiam*, hoc est arbitrium appellari. In primis autem obtrudunt Novellam Valentiniani III. quæ est novel. 12 de episc. judic., et qua scriptum extat: *Quoniam constat, Episcopos forum legibus non habere, nec de aliis causis, quam de Religione posse cognoscere, ut Theodosianum corpus ostendit; aliter eos judices esse non patimur, nisi voluntas jurgantium sub vinculo compromissi procedat; quod si alteruter nolit, sive laicus, sive clericus sit,*

agent publicis legibus, et jure communi. At si territorii nomine intelligimus locum intra certum terminum positum, in quo magistratus jus dicit, et suam jurisdictionem exercet, quis neget, jam ab ipso initio Ecclesiam territorium habuisse? Cum divisæ sunt diœceses, cum instituta sunt jura metropolitica, quæ sane Titum, et Timotheum habuisse constat, cum item jura patriarchica, quorum initia aut ab Apostolis sunt repetenda, aut certe Nicæno Concilio antiquiora sunt, nonne Episcopis, Metropolitis, Patriarchis datum est territorium, in quo jus dicerent, suamque potestatem exercerent? Concilio Nicæno can. 6 apud Labbæum t. 2 col. 35 ed. Ven. designata sunt certa loca, *quorum omnium* Alexandrinus, et Antiochenus Episcopus *haberent* potestatem. An non his locis eorum Episcoporum territorium est? Postremo ipsum *territorii* vocabulum expresse memorat Zosimus P. ep. 5 apud Labbæum collect. concil. t. 3 col 409 ed. Ven. *Omnes sane*, inquit, *admoneantur, ut quique finibus, territoriisque suis contenti sint.* Quod si Episcopi habebant territorium, in quo imperabant, jus dicebant, pœnis coercebant, consequens est, ut etiam forum habere debuerint. Nam forus locus est, in quo inter litigantes jus dicitur. Neque refert, quod non hoc ipsum fori vocabulum occurrat; nam satis est, quod fuerit res ipsa, hoc est potestas, et locus reddendi juris, ut deesse non potuerit forus, quo tandemcunque vocabulo appelletur. Quid quod constitutiones Apost. l. 2 c. 47 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 257 ed. Amstelædami 1724, expresse memorant *forum*? Quod vero *audientiæ* nomine interdum ecclesiastica judicia nuncuparentur, id certe argumento esse non potest, quod vera judicia non essent, sed potius arbitria haberentur, quæ sententia est Cujacii in Paratit. cod. de ep. aud. opp. t. 2 col. 30, Caroli Loysei des Seigneuries c. 15, Fevretii in libro de Abusu l. 4 c. 1, itemque Van-Espenii jur. eccles. par. 3 tit. 1 c. 3, Jacobi Gothofredi in extravag. de episcopal. jud. cod. Theod. t. 6 p. 340 ed. Lipsiæ 1743, aliorumque, maxime protestantium. Principio; apud Jurisconsultos in juris civilis voluminibus *audire* causam idem significat, ac *rite cognoscere, et judicare* litem l. 1. c. de lit. contest. l. 2 c. Si ex fals. instrum. veltest. l. 6 §. super his c. de appellat., et *auditorium* sæpe pro tribunali, foroque judiciario usurpatur l. 54 ff. de re jud. l. 5 ff. de offic. Adsess. Deinde vero ad ecclesiastica officia designanda utrumque vocabulum, et *judicii*, et *audientiæ* usurpatum constat; quod evidenter ostendit, veteres inter hæc duo vocabula nullum discrimen posuisse. Certe *judicium* ecclesiasticum, non *audientiam* memorant S. Leo M. ep. 2 ad Rustic. Narbon. opp. t. 1 col. 1424 ed. Ballerin. 1753, S. Augustinus ad Bonifac. l. 3 c. 5 t. 10 col. 456 et serm. 351 n. 10 t. 5 col. 1559 ed. Ven. 1731, S. Ambrosius ep. 5 ad Syagr. episc. Veron. opp. t. 5 p. 479 ed. Maurin. Ven. 1781, Sozomenus hist. l. 1 c. 9 p. 21 ed. Valesii Cantabrig. 1720, Gratianus Imperator ep. ad Aquilin. apud Constantium ep. Roman. Pontific. col. 530, qui ecclesiastico judicio vim tantam attribuit, ut ad Imperatorem appellare vetet eos, qui sunt *condemnati judicio recte sentientium Sacerdotum.* Mitto loca alia sexcenta Patrum, et Conciliorum; ac mitto etiam titulum Codicis Theodosiani, qui est *de Episcopali judicio*: quoniam de eo paulo post suus erit agendi locus. Deinde vero titulus ille codicis Justinianei *de Episcopali audientia* editus est, posteaquam multæ prodierant superiorum Imperatorum constitutiones, quibus judiciaria Ecclesiæ potestas confirmata fuerat, adjectis legibus, ut quod ab Episcopis judicatum fuisset, ab omnibus ratum, firmumque haberetur. An judicia tam solemnia, tam firma, quibus omnes parere coguntur, mera arbitria videri possunt? Extat ea de re Constantini Constitutio in extravag. de Episcop. jud. cod. Theodos. t. 6 p. 339, qua sancitum est, ut *omnes causæ, quæ vel prætorio ju-*

re, vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur, nec liceat ulterius retractari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit. Falsam hanc constitutionem putant Gothofredus, Fevretius, Loyseus l. c., sed eam late vindicant Altaserra de juris. eccl. l. 1 c. 7, Baronius ad an. 314 n. 38 t. 3 p. 572 ed. Lucæ, Sirmondus in append. cod. Theod. t. 7 p. 5 ed. Gothofredi Lipsæ 1745, Valesius in not. ad Euseb. de vit. Constant. l. 4 c. 27 p. 640 ed. Cantabrig., Seldenus de Synedr. l. 1 c. 10, Jo. Antonius Bianchi della potesta, e della Polizia della Chiesa t. 3 p. 704, Fr. Florens de jurisdict eccl. t. 2 p. 35 ed. Norimb 1756, Doujat, prænot. can. l. 2 c. 2; ac Joannes le Gendre *Episcopale judicium advers. calumn. Gothofredi acerrime vindicat.* Atque ad hanc quidem legem spectare videntur Eusebius de vit. Constant. l. 4 c. 27 p. 550 ed. Valesii Cantabrig. 1720, et Sozomenus l. 1 hist. c. 9 p. 21 ed. ejusdem, cum de Constantino scribit, quod *litigantibus permissit, ut ad Episcoporum judicium provocarent, si magistratus civiles rejicere vellent; eorum autem sententia rata esset, aliorumque judicum sententiis prævaleret, perinde ac si ab Imperatore ipso data fuisset.* Patet ex hoc loco, Episcopos habuisse forum, et contentiosam jurisdictionem, secus enim, quomodo episcopale judicium, potius quam sæculare litigantes elegissent? Ac patet etiam, sententias Episcoporum exitum, et vim tantam habere debuisse, quantam habere maximam poterant, et ideo non arbitria fuisse, quæ forte despici potuissent. Eamdem Constantini legem, cujus nunc facta mentio est, memorant etiam, atque confirmant capitularia Caroli M. l. 6 c. 366 t. 1 col. 658 ed. Baluzii Ven. 1772, ubi ea *sumpta dicitur ex sextodecimo Theodosii Imperatoris libro cap.* 11, qui locus nonnullos in eam opinionem adduxit, ut crederent, illam legem à Carolo M. non Constantino, sed Theodosio adscriptam fuisse. Sed falluntur egregie; quoniam, ut observat Baluzius in notis t. 2 col. 819, iis verbis Theodosianus Codex designatur. Cum Constantino consentiunt Arcadius, et Honorius, quorum est constitutio in l. 8 cod. de episc. audient., qua imperatores inquiunt: *Episcopale judicium ratum sit omnibus, qui se audiri à sacerdotibus elegerint: eamque illorum judicationi adhibendam esse reverentiam jubemus, quam vestris deferri necesse est potestatibus, à quibus non licet provocare.* Quis, nisi plumbeus in jurisprudentia sit, merum arbitrium dicat, episcopalem sententiam, cujus tanta vis est, ut ei cuncti parere debeant, atque ab ea ne provocare quidem liceat? Est etiam de Episcopali judicio lex Marciani Imperatoris, quæ est leg. 13 cod. de Episcop. audient., et ex qua similiter patet, Episcopos non meros fuisse arbitros, sed veri judicis partes egisse. Idem etiam ostendit lex Theodosii, et Valentiniani in l. 47 cod. Theodos. de Episc., ex qua intelligitur, Episcopalem *audientiam* verum fuisse judicium, et ab eo tantum nomine discrepasse. Quod si episcopale judicium verum erat, propriumque judicium, profecto cum Tribonianus in titulo Codicis *audientiæ* vocabulo usus est, nullum inter audientiam, et judicium discrimen posuit: præsertim cum in ipso titulo *de Episcopali audientia* leges descripserit, in quibus judicii vocabulum usurpatur, quæque ad verum judicium pertinent. Cum autem tot præclara habeamus Episcopalis judicii monumenta, nulla prorsus habenda ratio est constitutionis, quam edidit Valentinianus III., ut Episcopis jus suum adimeret, quamque ejus successor Marc. abrogavit, uti ostendit Baronius ad an. 452 num. 52 t. 8 p. 134 ed. Lucæ.

(5) Conc. Antiochenum an. 341 can. 5 t. 2 col. 590 collect. Labbæi ed. Ven., Carthaginense III. can. 9 col. 1401 eod. t. 2, Chalcedonense can. 9 col. 1686 t. 4, Aurelianense IV. can. 20 col. 1567 t. 5, Matisconense I. can. 7 et 8 col. 659 et 660 t. 6, Toletanum III. can. 13 col. 700 cit. t. 6, Parisiense V. can. 3 col. 1389 eod. t. 6, Cabillonense I. can. 11 col. 398 t. 7.

(6) Id sane Nicæno Concilio statutum est can. 5, et à Sardicensi can. 3 t. 2 collect. Labbæi col. 35 et 659.

(7) Concilium Chalcedonense can. 9, Toletanum III. can. 13 l. c. Eodem se munere sæpe functum testatur Augustinus, qui illud ex Apostolico præcepto repetit, uti demonstratum supra est. Atque in ejus vita opp. August. t. 10 col. 270 c. 19, Possidius narrat, qua ipse diligentia, ac pietate causas judicaret, idque, inquit Possidius, *secundum sententiam Apostoli, dicentis: Audet quisquam etc.* Idem quoque Ambrosium præstitisse, testatur ipse Augustinus Confess. l. 6 c. 3 t. 1 col. 121 cit. ed.

(N. S. Concilii nempe Tolet. III can. 13 vetantur *Clerici conclericos suos, suo neglecto Pontifice, ad judicia publica pertrahere:* dein subjungitur: *Si quis hoc facere præsumpserit, et causam perdat, et à communione efficiatur extraneus*).

23 Ipsi etiam Christiani Principes non solum sponte sua, sed etiam hortatu sanctissimorum Episcoporum, quibus certum, atque exploratum erat, clericos ad laicos judices non esse trahendos (1), æquissimas tulere leges (2), quibus cautum est, ut clerici suarum controversiarum judices nonnisi ecclesiasticos haberent. Quin etiam dignitas Episcopatus, et præclara virtus illorum, qui eo fungebantur, diu fecit, ut Episcopi civilium quoque controversiarum, quæ inter laicos fervebant, judices constituerentur (3). Verum id fiebat consensu litigantium, qui coram Episcopo litigare malebant, quam coram sæculari magistratu, et concessu Principum, qui ab Episcopis, quorum sapientiam exploratam habebant, civium suorum causas judicari cupiebant.

(1) S. Hilarius Pictaviensis Episcopus, ad Constant. August. l. 1 n. 1 opp. t. 2 col. 555 ed. Veron. 1730. *Provideat et decernat clementia tua*, Constantio imperatori inquit, *ut omnes se ubique judices, quibus provinciarum administrationes creditæ sunt, ad quos sola cura, et solicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religiosa se abstineant; neque posthac præsumant, atque usurpent, et putent se causas cognoscere clericorum.* Extat autem in l. 12 cod. Theodos. de Epis et cleric. Constantii lex, qua cautum est, ut clericorum causæ nonnisi ab Episcopis judicentur; atque hanc quidem legem Hilarii hortatu editam, putat Baronius ad an. 355 n. 82 p. 555 t. 4 ed. Lucæ. Eadem est Ambrosii sententia ep. 21 n. 2 t. 6 p. 52 opp. ed. Maur Ven. 1781, qui laudat ea de re Valentiniani legem, qui *sacerdotes de sacerdotibus voluit judicare*; eademque etiam Martini Turonensis, uti testatur Severus hist. sac. l. 2. c. 50 t. 2 p. 263 ed. Veron. 1754. Abutuntur autem auctoritate Patrum quorumdam ii, qui judiciariam potestatem Ecclesiæ negant, eorumque sententias detorquent, praveque interpretantur. Nam locus Lactantii de divin. instit. l. 5 c. 20 t. 1 p. 412 ed. Paris. 1748, pertinet ad infideles, qui inviti ad fidem compelli non possunt; Chrysostomus de Sacerdot. l. 2 n. 3, opp. t. 1 p. 374 ed. Montfaucon. Paris, non

negat imperium, et potestatem Ecclesiæ, quam imo certam habet, cum illud Apostoli ad Timot. 4 «præcipe, ac doce» ita explicat homil. 13 n. 1 p. 617 t. 11 *vides ut imperare sacerdotem necesse sit*; tantum dicit Ecclesiam non habere potestatem arcendi homines à delictis, et si haberet, eam inutilem futuram, *cum Deus noster non necessitate submotos à peccato, sed propria sese sponte abstinentes sit remuneraturus.* Hieronymus in can. 23 caus. 23 q. 5, inquiens, quod *regum proprium officium est facere judicium et justitiam*, non id dicit quasi id tantum ad reges, non etiam ad Ecclesiam pertinere statuat; imo in Jerem. l. 4 c. 22 opp. t. 4 col. 987 ed. Vallarsii Veron. quidquid regibus in Scriptura, id et Sacerdotibus datum ostendit. Denique Bernardus de consider. ad Eugen. l. 1 c. 6 col. 417 ed. Paris. Mabillon., inquit: *stetisse denique lego Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego;* non ut judiciariam Ecclesiæ potestatem adimat; sed ut reprehendat eos, qui neglectis illis, quæ potiora sunt, judicandi studio rapiuntur. Atque ad hæc fere revocari omnia possunt patrum loca, quæ contra judiciariam Ecclesiæ potestatem opponuntur.

(2) Confer ea, quæ paulo ante diximus de legibus à Constantino, Theodosio, et Arcadio, ac Marciano latis. His vero adde leges Constantii ac Theodosii, quæ sunt l. 12 et l. 47 cod. Theod. de episc. et cleric., tum Justiniani Novellam 76, quæ ad monachos pertinet, qui tantum Episcopali judicio subduntur, præterea leges, quas à Theodorico, licet Gotho, et Ariano, editas memorat Cassiodorus Var. l. 1 ep. 9 p. 7 t. 1 ed. Rotomag. 1679. Quod si aliquando clericos ad laicos magistratus ivisse, memoriæ proditum est, id quidem aut per vim, et injuriam factum est, aut factum à clericis audacibus, et protervis, qui se despicere impune putabant posse ecclesiastici judicis imperium, aut interdum etiam ab ipsis Ecclesiæ magistratibus, ut civilis quoque magistratus imperio homines in officio continerentur, eorumque sententiæ exitum haberent faciliorem. Atque huc referenda sunt exempla universa, quæ de hoc rerum genere ex ecclesiastica historia desumi possunt.

(3) Huc spectat lex Constantini, cujus feci paulo ante mentionen, quæque extat in codice Theodosiano de Episcopal. judic. præterea l. 8 et 9 cod. de Episcopal. audien. Repete etiam ea, quæ paulo ante de Augustino, deque Ambrosio dicta sunt.

(N. S. Ad Hispaniam quod spectat, Episcopi, qui sub Evangelicis regulis, de profanis laicorum causis uti arbitratores dijudicabant, potiori jure de Clericorum etiam dijudicasse credendum est. Et sane nihil aliud ex Syn. Illiberit. can. 53, Tolet. I can. 19, Tarracon. can. 5, Herd. can. 11 colligitur, quam quod Ecclesiasticarum personarum dissidia, et delicta Episcoporum judicio examinata fuerint, et terminata. Neque in florentissimis Gotthorum sæculis VI et VII, quibus nedum Catholici, sed et addictissimi quoque sese Ecclesiæ professi sunt Reges, imminuta est hujusmodi potestas. Coram ipsis Supremis Regni Moderatoribus constituti sunt tot illi Canones, quibus Clericorum causæ ad Episcoporum Concilium adduci decernuntur: scilicet can. 13 Synod. Tolet. III, can. 33, alias 32 Tolet. IV, post *Caput.* 10 Bracar. II, can. 1 Tolet. XVII. Quin et in Syn. Hispal. II can. 9 sancitum, ut Ecclesiæ Œconomus ex Ecclesiastico ordine eligatur, hac adducta ratione, ne laicus in Ecclesia judicaret. Quocirca Fulgentium Astigitanum inter, et Honorium Cordubensem suscitata lis in Synod. Hispal. II discussa, et finita est can. 2. Potamius Bracar., ob lapsum carnis, depositionis pœna dignus habitus est in Syn. Tolet. X, et in eadem Martini Bracar. et Recimiri Dumiensis testamenta perscrutata sunt. Postremo exsecranda Sisberti Toletani conjuratio discussa est in Synod. Toletana XVI, et in eum perpetuæ depositionis pœna

contorta est. Eadem quoque Clericorum immunitas viguisse videtur in Hispania restaurationis epocha; uti evincitur ex Syn. Legion. an. 1020 can. 6, et Compost. an. 1114 cap. 13. Nunquam tamen Clericis, si forte à Judicibus Ecclesiasticis prægavati forent, supremum Regis patrocinium denegabatur: Syn. Tolet. XIII can. 12.

Nemo unus tamen sibi inde persuasum habeat, Clericos ita Episcopali judicio addictos esse, ut nunquam eis coram judice laico stare licuisset. Porro quum tam multi sint Canones, qui eos Episcopo dijudicandos subjiciant, nulla vero sanctio sæculare judicium ab ipsis omnino effugiendum esse constituit, si vel à laico ad Regium Tribunal compelleretur, vel ad se venire ab ipso judice compulsus esset Clericus, præsertim ubi de causis mere profanis ageretur, in quibus Clericis ex Principum Gotthorum Legibus judicandi erant: leg. 2 tit. 1 lib. 2 *Fori Judic.*

Profecto nulla habemus vetusta hujus doctrinæ exempla; verum lis inter Abbatem Monasterii Cardinensis, et quosdam Burgis convicinos populos, de aquarum usu pro molendinis suscitata, à tribus sæcularibus judicibus examinata est, et Gotthis legibus terminata an. 932, Castellæ Optimates sententiam juxta Gotthorum quoque leges tulerunt in causa, quæ de jure pascuorum inter Abbatem etiam Cardinensem, et Viros nobiles Vallis de Orbaneja exarserat an. 1073. Inter ejusdem etiam Monasterii Abbatem, et oppida Penna-fidelem, et Castrillum lis mota est de bonis à Comite Castellæ Ecclesiæ donatis, quam Comes Gomezius ex Regio mandato terminavit an. 1175. Videsis Cl. Vir. D. Petrum Cantos Benitez in Præf. *ad Scrut. Monet. à* §. 46.

Atque id eo nobis verosimilius adparet, quod Ferdinandus, et Constantia simul, et Infans Leonor constituerunt, ut duo instituerentur Judices Ecclesiasticis causis judicandis: Sandoval in vita Alphonsi Imper. cap. 65. Verum sæculo XIII, sicut penitus immutata est judiciorum forma, ita Clerici á laico Tribunali segregati sunt, exceptis causis feudalibus, aliisque).

24. Nam Ecclesiæ potestas, atque judicium tantum pertinet ad res sacras, ac divinas, atque ad personas clericorum, qui nonnisi Ecclesiæ imperio subjiciuntur. In controversiis laicorum mere civilibus, atque profanis nullæ sunt Ecclesiæ partes, sed eæ tantum spectant ad judicium, potestatemque laici Magistratus, cujus imperio illi, tamquam reipublicæ cives, subesse debent. Quare Ecclesia, cui nulla in his rebus jurisdictio est, eam exercere non potest, nisi acquirat consensu litigantium, et auctoritate Principis, qui civili reipublicæ imperat.

25. Atque intra hos quidem fines, et leges utraque respublica suam semper exercuit potestatem, ecclesiastica in rebus sacris, et divinis, negotiisque clericorum, civilis in omnibus laicorum controversiis, quæ spiritualia non attingunt. Initio Ecclesiæ judicia minoribus solemnitatibus acta fuisse videntur, ut celerius expedirentur. Hinc sæpe *ecclesiasticum* judicium *forensi* opponitur (1), quoniam ab illo procul aberant tricæ, et ambages, quæ forensem concertationem implicabant. Satis erat esse actorem, qui petitionem proponeret, reum,

qui excluderet, judicem, qui rem nosceret, et sententiam ferret, ut omnis rei ratio conclusa haberetur. Non deerat quidem, quæ ex jure naturæ procedit, citatio rei, non deerant legitimi probationum exquirendarum modi, neque cetera opportuna remedia; sed judicium sine tot solemnitatibus, quas civiles leges invexerant, celeriter expediebatur.

(1) Ecclesiasticum judicium à forensi distinguunt S. Augustinus ad Bonifac. l. 3 c. 5 opp. t. 10 col. 456 ed. Ven. cit., S. Leo M. ep. 2 ad Rustic. Narbonen. Inquis. X. col 1424 t. 1 ed. Ballerin. 1755 aliique complures. Sed hi omnes distinctionem hanc inter utrumque judicium adhibent, non quod ecclesiasticum verum non esset judicium; sed quod celerius, quam forense expediebatur, neque in eo tricæ, ambagesque forenses obtinebant.

26 Denique aucto litium numero, commodius visum est in judiciis ecclesiasticis certum ordinem, formamquæ constituere, atque in iis quasdam adhibere solemnitates, quæ partim à Jure civili desumptæ, partim ab Ecclesiasticis primum legibus constitutæ sunt. In primis autem Romani Pontifices ea de re laborarunt, proposita judiciorum methodo, quæ neque importuna brevitate officeret veritati, neque copia multiplici, et operosa solemnitatum, ac formularum litigantes irretiret. Quam hæc methodus apta, et concinna sit, et quantum ei præstet, quæ à Jure civili procedit, omnes facile intellexerunt; ideoque illa summo omnium consensu etiam in foro civili ubique recepta est.

(N. S. Jam vero antiqua in judiciis Ecclesiasticis peragendis disciplina hæc fuit. Episcopus medius inter Presbyteros consedit, veluti magistratus inter adsessores: stabant Diaconi tanquam adparitores, et ministri justitiæ. Ii, inter quos lis intercedebat, vel qui de aliquo crimine accusati fuerant, coram aderant, suas causas acturi. Judicium erat summarium, procul ambagibus forensibus. Porro Episcopi partes erant, non modo quod justum, rectumque ipsi videretur, decernere, verum et partibus persuadere, simultatem, et iram abstergere, avaritiamque, et nimiam ad terrena bona propensionem corrigere. Qua de re Episcopus jubebatur suum tribunal, sive *audientiam* diebus Lunæ habere, ut partibus integra superesset hebdomada, qua conciliari possent, omnemque, si quem contraxissent, livorem deponere: et sic die Dominica, juxta Apostoli monitum I ad Timoth. II v. 8, *puras manus sine ira, et disceptatione* levarent. Auctor Constit. lib. 2 cap. 47.

Hæc judicia exercendi methodus obtinuit in Ecclesia ad medium usque sæculum XII, uti ex Gratiano *Caus.* 15 *Q.* 7 colligere datur. Si quæ graviora incidissent negotia, quibus definiendis civile presbyterium, sive Urbis Episcopalis Presbyteri satis non esse viderentur, Synodus Diœcesana, ad quam omnes totius diœceseos Presbyteri, vel etiam Provincialis, ad quam omnes totius Provinciæ Episcopi conveniebant, indicebatur.

Judiciorum forma, quæ in Hispania quondam Ecclesia viguit, à tricis quo-

que, ac recentis ævi circumlocutionibus immunis erat. Diaconus causam proponebat examinandam: Syn. Tolet. IV can. 4; cui si locus daretur discutiendæ, ingressi adstabant Petitor, et Reus, simul duo, aut tres, qui necessario ad judicium testes requirebantur ex Syn. Brac. II, can. 8. Proposita causa, ac concessa Petitori intentionem verbis, vel productis tabulis probandi, ac Reo respondendi facultate, Canonum, et Legum Codices in medio proferebantur, ex quibus, quæ de re tunc disceptata constituta essent, legebantur: Syn. Hispal. II can. 2. Non din de partium jure secundum propositos Canones, aut Leges agebatur: Syn. Tolet. XIII can. 2; ac demum ex omnium vel potioris partis consedentium suffragiis, nisi aperte ex Canonibus, et Legibus prælectis justitia patefieret, sententia ferebatur: Syn. Hispal. II can. 2. Prolata sententia, et Diaconi manu exarata, parti, cui adsertum jus fuerat, tradebatur. Si quæ tamen in bonis, vel personis peragenda esset coactio, non Episcopi, non Presbyteri opera, non alicujus Ecclesiasticæ personæ manu, sed *Regii executoris instantia* perficienda erat: Syn. Tolet. IV can. 5. Neque judicia hæc sine coacto ab Episcopo Presbyterorum collegio agebantur, de quo innumera exstant in nostris Conciliis argumenta, ab Illiberit. can. 53, ab Tolet. XVII can. 3, et Compostel. an. 1114 cap. 14. Addesis S. Isidor. lib. 18 *Origin.*, cap. 15. Si quis se ab Episcopi sententia gravatum existimaret, ad Metropolitæ, ab hoc ad alterius Metropolitæ Conciliam provocatio licebat; ac tandem ad Supremum Regis Tribunal: Syn. Tolet. XIII can. 12.

Nullus tunc erat judiciis habendis statutus dies; sed omnibus hebdomadæ diebus, Dominicis exceptis, Ecclesiastica prostabant tribunalia: Syn. Tarracon. can. 4.

Porro sæculo XII exeunte, et XIII ineunte Ecclesiastica judicandi forma sensim, et sine sensu in eam immutata est, quæ modo obtinent ex jure novo, et novissimo. Hanc mutationem duabus ex causis repetit Petrus de Marca *Conc. Sac. et Imp.* lib. 3 cap. 6. Prima est, quod potestas, quam in plerisque causis judicandis Synodi provinciales obtinebant, ad unum R. Pontificem fuerit avocata: inde enim factum est, ut in Ecclesia novus Judiciorum ordo institueretur, ad causarum cognitiones in provinciis per Rescripta dirigendas. Unde tot, ac tantæ emanarunt Constitutiones *de Rescriptis, de Judicibus Delegatis, de Officio Judicis Ordinarii, de Dilationibus, de Exceptionibus* etc. Hæc omnia olim, uti modo observabimus, non adeo exacte, et sollemniter exercebantur, uti recentiores Rom. Pontificum Decretales præscribunt.

Altera mutationis causa, quam adfert Petrus de Marca est, quod multis ex rationibus, nova pluribus in capitibus Ecclesiasticæ politiæ facies oborta est. Huc faciunt Beneficiorum ab Ordinationibus separatio, aliqua impedimenta matrimonii ad publicam tuendam honestatem noviter constituta, temperatus publicæ pœnitentiæ rigor, multiplices Monachorum Congregationes late per Europam diffusæ, indultæ Monasteriis, Capitulisque Canonicorum ab Episcopali jurisdictione exemptiones etc. Hinc novum quoque in Ecclesia judiciorum ordinem institui oportuit.

Præterea, quum Canonum Collectores Ivo, Gratianus, aliique, qui post X sæculum Canones Ecclesiasticos collegere, multa ex jure civili excerpta induxissent, atque adeo ejusdem juris civilis studium, ope præsertim Clericorum (qui supra omnes, utpote qui soli tunc temporis pro litteratis haberentur, eidem sedulam operam navarent) refloruisset; factum hinc est, ut Jus Canonicum pluribus in Capitibus Juris Civilis rationem sequi incœperit).

TITULUS II.

DE JUDICIIS, ET EORUM DIVISIONE.

1. JUDICIUM QUID? JUDEX ORDINARIUS, ET DELEGATUS.—2. QUIS DELEGATUM JUDICEM CONSTITUAT?—3. CAUSÆ NOTIO, ET MIXTUM IMPERIUM.—4. JURISDICTIO CONTENTIOSA, ET VOLUNTARIA.—5. JUDICIUM ECCLESIASTICUM, ET SÆCULARE.—6. JUDICIUM POSSESSORIUM, ET PETITORIUM.—7. ORDINARIUM, ET SUMMARIUM.—8. CIVILE, ET CRIMINALE.—9. JUDICIORUM ORDO.

1.

JUDICIUM vocamus ipsam causæ disceptationem, quæ in jure fit, quæque constare debet quatuor præsertim rebus, actore, reo, judice, et causa (1). Actor ille est, qui prior in judicium venit aliquid petiturus; reus, qui ab actore in jus vocatur, et à quo petitur; causa est ipsum quod petitur, et quod materiam judicio præbet; judex autem ille est, coram quo disputamus, et cujus decreto res absolvenda, ac definienda est. Hic si jure sui magistratus cognoscendarum, finiendarumque controversiarum habeat potestatem, judex ordinarius, si non propriam, ac suam habeat, sed ab alio mandatam, et commissam, delegatus appellatur. De utroque duo sunt tituli in Decretalibus.

(1) Cap. 10 de Verbor. signific.

2. Mandat hanc potestatem ordinarius judex, qui eam suo jure habet, et mandat utiliter, non omnibus sine delectu, sed illis qui judices dari possunt (1). Qui non propriam, et suam habet jurisdictionem, sed ab alio mandatam, is eam alteri mandare non potest (2); nisi procedat ab ipso Principe, cujus delegatus alterum recte delegat (3).

(1) L. 2 et 4 ff. de offic. ejus cui mandat. jurisd. l. 5 ff. de jurisd. Confer Donellum de jur. civil. l. 17 c. 8. §. 2 et 5 opp. t. 4 col. 1117 et 1128 ed. Luc. 1764.
(2) L. ult. ff. de offic. ejus, cap. 62 de Appellat.
(3) L. 5 cod. de Judic., cap. 28 de offic. et potest. delegat.

3. Præter judicandi potestatem, quam *notionem* dicimus, inest etiam in judice *jurisdictio*, et jus modicæ coercitionis, per quam sui munus officii exsequi, ac tueri possit, atque in eos, qui parere recusant, animadvertat. Modica hæc coercitio *mixtum imperium* dicitur (1), quod semper jurisdictioni, sed non semper judicandi potestati cohæret (2). Sunt enim judices, qui solam habent notionem, non item jurisdictionem; et hi tantum rem controversam cognoscunt, atque definiunt, imperium, quo sententiam exequantur, adjunctum non habent, ac proprie non *jus dicere* sed *judicare* dicuntur (3).

(1) Mixtum imperium dicitur, quod jurisdictioni admixtum est, ab eaque separari non potest l. 1 in fin. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisd., l. 5 ff. de jurisdict. Frustra enim magistratus causam cognosceret, atque aliquid decerneret, si non posset exequi sententiam, suæque jurisdictioni parere recusantes, coercere. Itaque verissime Paulus in l. ult. de offic. ejus cui mand. inquit, sine modica coercitione nullam esse jurisdictionem, quoniam hæc sine illa expediri, atque explicari non potest; et huc spectat Innocentius III in cap. 28 de offic. et potest. delegat. Consule Averanum interpr. jur. l. 1 c. 4 t. 1 p. 23 ed. Lugdun. Batav. 1753, Donellum de jur. civil. l. 17 c. 6 §. 6 opp. t. 4 p. 1088 ed. Luc. et Scipionem Gentilem de jurisdict. l. 1 c. 4 et 5 opp. t. 3 p. 7 et seq. ed. Neapol. 1764. Varia autem sunt modicæ coercitionis genera, quæ, præter ceteros, diligenter explicat Scipio Gentilis l. cit. c. 6 seq. p. 11 et seq.
(2) L. 5 ff. de re judic.
(3) L. 4 §. ult. ff. de Interrogat. action., l. 57 ff. de re judic. Consule Averanum l. cit. c. 5, et Scipionem Gentilem de jurisdict. l. 1 c. 28 opp. t. 3 p. 82 ed. Neap. 1764.

(N. S. Judex proprie dicitur, qui ita judicat, ut in eo publico munere fungatur. Et sane judicandi munus publicum est: *Leg.* 78 *Dig. de Judiciis.* Quare Judices omnes dicuntur habere notionem, h. e., facultatem cognoscendi jure publico constitutam: argum. *Leg.* 5 *Dig. de Re Judic.*—Unde Judicum institutio Supremæ Potestatis prærogativa est; qua tamen diuturna temporis præscriptione nonnulli Locorum domini potiuntur in Hispania, eamque ratam habuerunt Reges nostri *Leg.* 13 *Tit.* 2 *Lib.* 4 *Fori Judic. Leg.* 2 *Tit.* 4 *Partit.* 3, *et Leg.* 1 *Tit.* 1 *Lib.* 11 *Novis. Compilat.* qui si fuerint Ecclesiasticæ Personæ, non ideo possunt Judices Clericos ibidem instituere: *Leg.* 10 *Tit.* 1 *Lib.* 2 *ibid.* * Nunc locorum domini non possunt Judices constituere: Decreto 20 Jan. 1837; Constitut. 1845 art. 71*.—Improprie Judices dicuntur Arbitri, qui ex consensu litigatorum, et compromisso eliguntur: *Leg.* 25 *Tit.* 1 *Lib.* 2 *Fori Judic.* et *Leg.* 1, *et* 25 *Tit.* 4 *Partit.* 3. Profecto *privatorum consensus Judicem non facit;* Leg. 3 Cod. de *Jurisdict. omn. Judic.* Adpellantur tamen Judices propter adfinitatem, quam cum veris Judicibus habent, eo quod partibus Judicis fungantur, et Arbitria ad judiciorum similitudinem redacta sint: *Leg.* 14 *Cod. de Judiciis.* Horum porro duo sunt genera: *Arbitrorum*, ii scilicet, qui ab utraque litigantium parte ea conditione eliguntur, ut servata omnino Judiciorum forma procedant; et *Arbitratorum*, hi nimirum, qui ad componendas christiano more, et Evangelicæ charitatis regulis, lites, ex utriusque quoque partis consensu deputantur: *Leg.* 33 *Tit.* 4 *Partit.* 3.—* V. Cl. Auct. hujus lib. tit. 17. *

Judicis nomen aliquando generatim usurpatur: scilicet ut omnes complectatur, qui cognoscendi, et judicandi potestatem habent, sive illam jure Magistratus, aut vi alicujus jurisdictionis exerceant: *Leg.* 1 *Dig. de Judic.*

tol. Tit. Cod. de Jurisd. omn. Judic. et *Leg.* 1 *Tit.* 4 *Part.* 3; sive jure nudæ notionis, uti in Jure Civili Judices pedanei, in Jure vero Canonico Judices delegati. Atque hinc patet quidnam discriminis statuendum inter Judicem Ordinarium, et Delegatum. Videsis *præf. Leg.* 1.

Porro Judices Ordinarii proprie, ac primario sunt soli Episcopi, quibus veluti *essentialiter* totius Diœceseos jurisdictio convenit: *Cap.* 7 *de Officio Ordinarii in* 6. Vicarii Episcoporum Generales etiam Ordinarii dicuntur: uti in Synod. Palent. an. 1388 *Cap.* 1, et in Collect. Tarracon. an. 1591 *Lib.* 1 *Tit.* 12 *Cap.* 1: ii enim nullum distinctum constituunt forum, sed quum judicia exercent, ipsammet Episcopi personam, veluti pro Tribunali sedentem, sustinent. 'De *Vicario Generali*, ut et de Curiæ Episc. *Promotore* (vulgo *Fiscal*) actum est tom. 1 pagg. 217-21.'—Non dissimili ratione Sedis Apostolicæ Legati etiam ordinarii censentur: licet enim eis auctoritas ex speciali R. Pontificis delegatione sit impertita; attamen, quia *immediate* Pontificis gerunt vices, universamque exercent jurisdictionem, Ordinarii adpellari consueverunt.

Igitur Judex Delegatus ab Ordinario distinguitur, tum quod jurisdictionem neque propriam habet, neque suo nomine exercet, tum vero præcipue, quod munus suum alteri demandare nequit; nisi tamen sit delegatus à Papa: *Capit.* 27 *de Officio, et Potest. Judic. Deleg.*; et *Leg.* 19 *Tit.* 4 *Partit.* 3. —'V. quæ de *Delegatis* t. 1 pag. 168 indicavimus.'

Restat ut paucis complectamur, quænam personæ vel à natura, vel à jure Judicis munus suscipere, aut exercere vetentur. Ac 1 jure Judices agere nequeunt Fœminæ, quippe quæ ratione sexus incapaces sunt jurisdictionis: *Leg.* 2 *Dig. de Reg. Juris*; *Leg.* 4 *Tit.* 4. *Partit.* 3, ac *Leg.* 4 *Tit.* 1 *Lib.* 11 *Novis. Compilat.*

Excipe Reginas, quæ ratione eminentis dignitatis, qua pollent, in Regnis, ubi hujusmodi invaluit consuetudo, jus dicere non vetantur: *Cap.* 4 *de Arbitris.* Neque Hispaniarum legibus vetantur Illustres fœminæ judicia agere, dum tamen sapientis viri consilium sibi adsciscant: *Leg.* 4 *Tit.* 4 *Partit.* 3. —Quin et Abbatissæ aliquæ, uti est illa celebris Monasterii *de las Huelgas* prope *Burgos* in Hispania, vel ex consuetudine, vel ex privilegio jurisdictionem, non modo in suas Canonicas, vel Sanctimoniales exercent, verum et in Clericos sibi subjectos: quos etiam ab officio, et beneficio suspendere possunt: *Cap.* 12 *de Majoritate, et Obedientia.* Excommunicationis vero censuram infligere vetantur: excommunicandi enim potestas, clavium Ecclesiæ est, quæ fœminis traditæ non sunt. Eadem ratione suspensio, qua de loquitur indicatum *Caput* 12, neque veri nominis suspensio intelligenda est, quæ æque ac excommunicatio Clavium potestatem requirit, sed simplex prohibitio celebrandi divina, fructumque subtractio.—'De Abbatissa Hisp. Monasterii *de las Huelgas* v. t. 1 pag. 353.'

Ex Juris præscripto, à Judicis quoque dignitate arcentur Servi, et quidem quod ratione conditionis jure civili pro mortuis habentur: *Leg.* 209 *Dig. de Reg. Juris*; *Leg.* 4 *Tit.* 4 *Partit.* 3, et *Leg.* 5 *Tit.* 1 *Lib* 11 *Novis. Compilat.* Tum etiam omnes Infames *Can.* 1, *et* 11 *Caus.* 3 *Q.* 7; *præf. Leg.* 4 *Tit.* 4 *Partit.* 3, et *Leg.* 4 *Tit.* 1 *Lib.* 11 ejusd. *Compil.* Quinimmo non modo qui ob crimen aliquod damnati fuerint, verum et qui famosum aliquod admiserint scelus, quod notorium sit, Judices dari nequeunt *Leg.*: *un. Cod. de Infamibus.* Unde Hæretici, Schismatici, Excommunicati, non modo Judicis officium suscipere, verum et susceptum exercere vetantur, *Can.* 37 *Caus.* 24 *Q.* 1; *Cap.* 13 §. 5 *de Hereticis.* In nostra Hispania neque hæretici, ut vocant, *Reconciliati*, neque filii eorum, qui ob idem crimen capite damnati sunt, usque ad secundam lineam paternam, et primam maternam, Judicis officium agere possunt; *Leg.* 3 *Tit.* 3 *Lib.* 12 *Novis. Compilat.* Immo neque Judæi, uti decrevit Reccaredus in Conc. Tolet. III *Can.* 14, et Sisenandus in Tolet. IV *Can.* 65 alias 64, et Alphonsus Sapiens *Leg.* 3 *Tit.* 24 *Partit.* 7. Id tamen est animadvertendum ex Bulla Martini V *Ad evitandum*, excommunicatum jurisdictione non orbari, nisi fuerit denuntiatus, vel publicus Clerici percussor. Adhæc et Illitterati: Judici enim ad Legum, Canonumque normam sententia proferenda est: *Can.* 4 §. 1 *Caus.* 3 *Q.* 7. Videsis *Lib.* 1 *Tit.* 10 *Cap.* 4 Collect. Tarracon. an. 1591, et *Leg.* 5 *Tit* 2 *Lib.* 3 *Novis. Compilat.* Unde Jure nostro Regio cautum est, ne quis Judex instituatur, qui decem publici Juris studii annos non peregerit: *Leg.* 6 *Tit.* 1 *Lib.* 11 *ibid.*—('Advocati titulus pro nominatione in Judicem necessarius est.')—Et Syn. Trident. *Sess.* 24 *Ref. Cap.* 16 decrevit, ut eligendus in Vicarium Generalem sit laurea Juris donatus, vel aliunde idoneus judicetur. Id quod confirmavit Syn. Tarrac. an 1591 in Collect. *Lib.* 1 *Tit.* 10 *Can.* 4. Postremo à Judicis munere arcentur Regulares, quorum est solitariam vitam agere, et à fori contentionibus prorsus sejunctam: *Leg.* 4 *Tit.* 4. *Partit.* 3.

Ab natura demum Judices, agere nequeunt Surdi, Muti, Furiosi, Mentecapti, Impuberes: *Leg.* 4 *ibid.*; *Leg.* 4 *Tit.* 1 *Lib.* 11 *Novis. Compil.* Videsis Gonzalezium ad *Cap.* 15 *de Rescriptis.* At si de Minoribus quæras; aliud Jure Civili, aliud vero Jure Canonico obtinet. Jure enim Civili quicumque 18 annum explevit, potest Judex constitui: Jure tamen hodierno Hispano viginti et sex annorum ætas ad minus in Judice requiritur: *Leg.* 6 *Tit.* 1 *Lib.* 11 *Novis. Compil.* At Jure Canonico nonnisi vigesimo anno expleto potest quis judicem agere: *Cap.* 41 *de Offic. et Potest. Judicis Delegati*, Tantummodo ex partium consensu poterit Judex eligi is, qui quamquam 20 annum non pertigerit, 18 tamen jam compleverit: *indicato Cap.* 41.

Judici, uti modo innuimus, non pro lubitu, sed ad legum, Canonumque normam sententia est proferenda: quippe qui legum minister est, non arbiter: et cavere debet, ne vel ob juris imperitiam, vel quia partium studiis addictus, vel quia dona acceperit, aliter judicet, quam legibus, aut moribus est proditum: *Leg.* 15 *Cod. de Sent. et interloc.* Unde in *Novell.* 126, *cap.* 1, jubentur judices ex legum præscripto suffragium dare. Et Augustinus in Lib. de vera Relig. cap. 31: *Quum fuerint leges institutæ, et firmatæ, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas.* Potest sane Judex verba Legis, si duriora videantur, æquitate quadam flectere, ut legislatoris voluntatem custodiat: quinimmo id facere jubetur: *Leg.* 18 *Dig. de Legibus.* At ubi et verba legis sunt perspicua, et Legislatoris mens pateat; ab ipsa lege ne latum quidem unguem judici est recedendum.

At ¿quid si judici liquido constet, falsitate aliqua, vel testium, vel instrumentorum, bonam causam lædi? ¿Erit ne excusatus in foro animæ, ubi secundum adlegata, et probata eum condemnat, quem secundum privatam scientiam scit esse innocentem? Ita docuerunt quamplures ex Canonistis. Verum tutius aliis videtur, quorum sententiæ nostrum calculum addimus, ita ex actis, et probatis judicem judicare debere, ut tamen numquam judicet contra conscientiam. ¿Qui enim secundum ea, quæ probantur, judicare umquam quiverit, qui judicavit contra conscientiam? Profecto *probare* Latinis tantundem est, ac *fidem facere.* ¿Cui autem fides facienda, nisi Judici? Huic enim eorum, quæ adlegantur, examen mandatum est, et quidem ea conditione, ut ex animi sententia decernat: *Lege* 3 §. 2 *Dig. de Testibus*; et *prout religio suggerit:* Lege 79 Dig. de Judiciis. Jam vero, si ea,

quæ adlegantur, pugnent cum scientia Judicis, fidem Judici facere non poterunt, quum falsa sint; et religione, metuque justissimi Numinis, prohibebitur secundum ea judicare. Una enim, et simplex est veritas: ac proinde dividi conscientia, aut scientia Judicis in publicam, ac privatam non debet. Igitur divino, humanoque juri magis consentaneum videtur, ut si Judex talis sit, à quo nulla detur provocatio, in quæstione facti ex animi sui sententia, religione, et conscientia pronuntiet, veritatemque adserat, spretis testimoniis, quamvis ipse solus falsa ea esse certo sciat. Sin vero is Judex est, à quo provocari jus sit, satius erit eum à judicando abstinere, et testimonio suo, quantum in se est, causam ejus, cui injuria fit, apud judicem Superiorem adjuvare, ne temere publica testimoniorum spernatur auctoritas, aut aditus patefiat pravis hominibus, qui aliquando studio gratificandi falsum deponant.

Adhæc Judici maxime cavendum est, ne se muneribus, et donis devinci patiatur; *munera* enim *excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum*: Deuter. XVI v. 19. Impossibile pæne est, ut judex munusculis inescatus, à partium studio, quod est potentissimus justitiæ inimicus, sit penitus alienus.—Jure nostro Regio, in ejusmodi judices perpetuæ privationis officii pæna, et multa pecuniaria dupla recepto dono majori animadvertitur: *Leg.* 7 *Tit.* 1 *Lib.* 2 *Novis. Compilat.* Hispaniarum quoque Patres munerum receptionem in judicibus quam strictissime inhibitam voluere: Syn. Tarracon, an. 516 *Can.* 10, et Compostel, anni 1056, *Cap.* 5; sed præsertim Hispal. anni 1512 *Cap.* 60, quæ decernit, «ut judices Ecclesiastici non percipiant retributiones directe, nec indirecte pro visione processum, nec decissione illorum.» Et Tolet. an. 1582 *Act.* 3 *Decr.* 26 alias 27, quæ anteacta omnia Legum et Canonum hac in re constituta decreta ita confirmat: «Profanis, sacrisque Legibus interdictum est judicibus omnibus, ne se muneribus corrumpi patiantur, quo liberiores sint ad suum jus cuique tribuendum.»

Verum non ideo interdicta velimus, intelligas, jura illa, quæ cum Ecclesiastici, tum sæculares Judices, quasi in muneris, et laboris compensationem, solent accipere, quam quidem haud recentem consuetudinem probavit Collect. Tarracon. an. 1591 *Lib.* 1 *Tit.* 10 *Cap.* 2. Judices tamen Ecclesiastici in juribus percipiendis, omnino servare tenentur taxam in Regno constitutam, vel à Supremo Castellæ Senatu adprobatam: *Leg.* 1 et 2 *Tit.* 15 *Lib.* 2 *Novis. Compilat.*—"At sæculares Judices talia jura apud nos non percipiunt; Reg. ordinat. 27 Dec. 1851."

Actor, et *Reus*, de queis isthic agere opportunum videtur, litigatores sunt, inter quos res agitur, et quorum ille est, qui litem intendit, hic qui excipit. Igitur qui adversarium in jus vocat, Actor dicitur: *Lege* 13 et 62 *Dig. de Judiciis*. Non secus ac Fœmina, quæ jus suum in foro experitur, *Actrix* dicitur: *Lex* 41 *Cod. de Liber. caus.* Ast quamquam jure civili neque minor sine tutoris consensu, neque filiusfamilias præter patris voluntatem agere plerumque possit; uterque tamen Jure Canonico in causis beneficiarus, spiritualibus, iisdemque adnexis agere liberrime potest: *Cap. fin de Judiciis in* 6. Monachus sine Abbatis venia agere vetatur, nisi ex peculiari ejusdem facultate extra Monasterium suam vitam traducat. Jus civile nostrum quod spectat, tam Actorum, quam Reorum munia accipere prohibentur filiifamilias absque parentum licentia, nisi pro bonis castrensibus, vel quasi, aut absente patre: *Leg.* 6 *Tit* 17 *Partit.* 4; uxores sine mariti venia: *Leg.* 11 *Tit.* 1 *Lib.* 10 *Novis. Compilat.*; Regulares præter Superiorum facultatem: *Leg.* 10 *Tit.* 2 *Partit.* 5; et viginti quinque annis minores absque auctoritate curatoris: *Leg.* 7 *et* 11 *ejusdem Tit et Partit.*

Qui in causis criminalibus adversus aliquem actionem intendit, proprie dicitur accusare: scilicet judiciis criminalibus publicis, vel extraordinariis experiri, crimenque deferre. ¿Quid quod jure canonico *accusare*, et *denuntiare* non unum idemque sunt? Accusat enim, qui reum Judici deferens, ultionem exposcit, et pœnam vult ei infligi: denuntiat vero, qui criminosum quidem Episcopo defert, non tamen eum publice puniri amat, sed tantum ejus emendationem quærit ope Episcopalis redargutionis. Quamobrem denuntiationem præcedere semper debet privata, et amica monitio: *Cap.* 2 *de Accusat.* Adhæc denuntiatio necessum non est, ut in scriptis fiat cum inscriptione actionis, ac nominis denuntiatoris, ad subeundam talionis pœnam, si à congrua criminis probatione deficiat: *Cap.* 16 *de Accusat.* Quæ omnia accusationem constituunt: *Can.* 3 et 4 *Caus.* 2 *Quæst.* 7; sed dumtaxat per illam Superiori via sternitur ad inquisitionem, de qua mox. Hic *obiter* adnotandum, pœnam talionis obsolevisse ea de causa, quod homines ab accusando deterreret.

Accusatio unius est generis; at denuntiatio in multiplices formas dividitur: ac 1 in *Judicialem*, *Evangelicam*, et *Canonicam*. *Judicialis* dicitur, quæ publico defertur judici, non modo ut reus corrigatur, verum etiam ut debita pœna ad publicam utilitatem multetur. Et hæc profecto parum ab ipsa differt accusatione: quare hujusmodi denuntiatori crimen ex parte saltem probandum est, licet pœnam nullam subeat, si in probatione deficiat; nisi apertum infesti calumniatoris animum prodiderit: *Cap.* 2 *de Calumniat.* *Evangelica* est, quæ unius denuntiati utilitatem respicit: recte hoc donatur nomine; siquidem per Evangelium præcipitur: *Matth. XVIII v.* 15. *Canonica* demum dicitur, quum quis, Canonicarum pœnarum metu, aliquid Ecclesiastico Superiori detegit: e. g. alicujus matrimonii impedimenta, ad quæ Episcopo, vel Parocho detegenda quisque per publicas Parrochiales proclamationes adigitur: *Cap.* 13 *de Despons. impub.* Trident. *Sess.* 24 *Reform Matrimonii cap.* 1.

Dividunt rursus Judicialem denuntiationem in *publicam*, et *privatam*. *Publica est*, quum Episcopus in Synodo Diœcesana peculiarem constituit ministrum ad inquirendum in crimina Diœceseos, qui ea sibi in futura Synodo deferat, ut criminosos corrigere, ac punire possit: *Cap.* 25 *de Accusat.* Hanc Lateranensis Concilii sub Innocentio III Constitutionem, quæ de ministrorum electione in Provincialibus Synodis tantum loquitur, ad uniuscujusque Episcopi Diœceseos indixerunt Hispanarum Patres, quos ministros, nomine *Synodalium Testium* designabant: Conc. Arand. ad Dur. an. 1473 can. 29, «Statuimus, ait, ut per nos, et Suffraganeos nostros Viri providi, fideles, et honesti deputentur ultra provinciales testes per nos, et Coepiscopos nostros in Conciliis designandos, qui sine judiciali cognitione solicite inquirant per easdem Diœceses, quæ viderint corrigenda, et reformanda, eaque fideliter Diœcesanis denuntient.» Consonant duæ Synodi Tolet. an. 1565, Act. 3 cap. 28, et an. 1582, Act. 3 *Decret.* 50 alias 52. *Privata* dicitur, quum quis alterius crimine læsus, veluti perjurio, violato fœdere etc. prius infestum hominem monet; dein, ubi nihil privata monita proficere persentiscat, Episcopo illum denuntiat: cap. 13 *de Judiciis.*

Quum Judicialis denuntiatio parum ab accusatione differat, quotquot jus ab accusatione non prohibet, iidem et denuntiare recte poterunt Sed non omnium accusatio indiscriminatim recipitur; accusare enim jure vetantur infames, criminosi, pupilli, mulieres etc. leg. 2 tit. 1 *Partit.* 2. At de his opportunius in *Institutionibus Civilibus*. Jus nostrum quod peculiariter spectat, criminalem actionem intendere Clerici, et Monachi vetantur, nisi inju-

riam sibi illatam ulcisci velint; at simul contestentur se ab sanguinis pœna prorsus esse alienos: cap. 2 *de Homicid. in* 6. Vetatur ex diverso laicus Clericum accusare, ob reverentiam eorum dignitati debitam: can. 1 et 2 *Caus.* 2 *Quæst.* 7, ni et laicus injuriam sibi, suisque illatam persequatur: cap 14 *de Testibus*. Vetantur quoque Fiscales, nisi prævia delatione, aliquem accusare, exceptis criminibus notoriis, vel in quibus de mandato Principis inquisitio præcesserit: leg. 1 tit. 33 lib. 12 *Novis. Compilat.*, Id quod confirmatur Syn. Tolet. an. 1565 *Act.* 2 cap. 12, et Compostel. ejusd. anni *Act.* 3 *Decret.* 23.

Sunt tamen atrociora quædam crimina, ad quæ deferenda etiam alias non idonei admittuntur: uti Sacrilegium: Leg. 10 *Cod. de Episcop. et Cleric.* Delicta læsæ Majestatis: Leg. 7, et 8 *Dig. ad Leg. Jul. Majest.*, et Syn. Tolet. VI can. 11; Simonia: Cap. 7 *de Simonia*: Incestus: Leg. 2 Tit. 18 Partit. 7: Apostasia; Leg. 7 Tit. 25 *ejusd.*: Hæresis: Leg. 2 Tit. 26 *ibid.*: Raptus, si propinqui mulieris accussare noluerint: Leg. 2 Tit. 20 ead. Sodomia: Leg. 2 Tit. 21 *ejusd.* Lenocinium: Leg. 2 Tit. 22 ead. Magia: Leg. 3 Tit. 23 *ibid.*

Adhuc est et tertia in causis criminalibus procedendi ratio, scilicet *per Inquisitionem*. Nimirum ubi Judex, nullo accusante, vel judicialiter denuntiante, in crimen aliquod ex officio inquirit, tunc *per Inquisitionem* procedere dicitur. Porro uti Accusationem inscriptio, Denuntiationem benevola monitio, ita Inquisitionem præcedere debet clamosa insinuatio: fama scilicet, seu publicus rumor, et is non levis, qui facinorosum Judici veluti denuntiare videatur: Cap. 21 §. 1, Cap. 24 *de Accusat.* et Cap. 31 *de Simonia*. Atqui hoc de speciali duntaxat Inquisitione intelligas; nempe ubi contra certam personam certo quodam de crimine Inquisitio instituatur: *dicto Cap.* 24 *de Accusat.* et *Leg.* 13 *Dig. de Offic. Præs.* Est enim et Inquisitio Generalis, qua scilicet Præses inquirit, num in sua Provincia sint homines facinorosi: *dicta Leg* 13, *et Cap.* 24 *de Accusat.* Est demum et Inquisitio mixta: scilicet, quum homine quodam occiso, Judex in homicidam inquirit; vel quum de certa aliqua persona generatim inquiratur, num crimen aliquod perpetraverit; veluti ubi quis ad publicum quoddam munus, vel dignitatem est promovendus: Cap. 7, et 19 *de Elect.*—In nostro Regno, Judices licet possint ex officio Inquisitionem quorumlibet criminum instituere: leg. 12 tit. 34 lib. 12 *Novis. Comp.*; attamen vetantur generalem Inquisitionem, et clausam adversus Civitatem, Villam, vel Locum facere, nisi de mandato Regis id præstiterint: Leg. 3 *ejusd.* Tit. et Lib. tuncque ad ipsum processus transmitti debet, ut examen eorum, quæ in Inquisitione continentur, quos elegerit, suscipiant: Leg. 1 *ejusd.* Insuper vetitum est Judicibus ne Inquisitionem Alguacellis, et Notariis committant; sed ut per se ipsos, quum opus fuerit, munus hoc diligenter exerceant: leg. 8 eod.

Antiquitus tam qui agebat, sive petebat, quam qui accusabatur, sive in quem agebatur, *Rei* adpellabantur: unde Cicero Lib. 2 de Orat. *Reos adpello, non eos modo qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur.* Et Festus lib. 5. *Contestari est, quum uterque reus dicit: Testes estote.* Vulgo tamen usu nunc obtinet, ut sicuti qui agit Actor dicitur, ita is solus, cum quo agitur, Reus dicatur, et quidem *per excellentiam*, quia de re ejus præcipue judicio agitur, vel cui solum periculum imminet condemnationis.

Reus, ubi legitime à Judice interrogetur, in causa æque civili, ac criminali, num teneatur veritatem fateri, quæstio est jamdiu in Scholis agitata. Verum sanioris doctrinæ Theologi, et Canonistæ, cum S. Thoma *Secunda, Secundæ Q.* 69 *art.* 1 docent, ejusmodi reum veritatem dicere, proprium-

que crimen prodere omnino teneri; sin secus, graviter peccare. Porro si Judex non legitime interrogat, veluti quum interrogat de crimine occulto, reus veritatem fateri non adigitur; *sed potest vel per adpellationem, vel aliter licite subterfugere:* S. Thomas *ibid.*

Præcipui Curiæ Episcopalis Administri, præter Vicarium generalem et Promotorem, sunt Adsessor, et Scribæ, seu Graphiarii.

Adsessor, ita dictus ex eo, quod Magistratui pro tribunali sedenti veluti *adsideret*, et in causis discutiendis suo consilio eum dirigeret; unde etiam *Consiliarius* adpellari consuevit: leg. 5 *Dig. de Offic. Adsess.* Quum enim Magistratus jurisprudentiam profiteri non necessario debuisset; indigebat sane opera juris periti, qui sua prudentia, et consilio eum in Judiciis ferendis veluti manuduceret, atque ita recte munus suum obiret: leg. 2 *Dig. Quod quisque juris in alter. statuer.*

Magistratuum civilium exemplo permoti, cœperunt et ipsi Prælati Ecclesiastici, qui jure ordinario, vel delegato judicandi potestate fruerentur, in causarum cognitione sibi Adsessores adsciscere; tunc præsertim quum forensis judiciaria methodus in Curias Ecclesiasticas invecta est: Syn. Cantuar. Can. 27. At quia Judices non raro, nec sine contendentium partium gravamine, Adsessores, ac etiam plures sibi adjungere consueverint; hinc Bonifac. VIII Cap. 11 §. Adsessorem *de Rescriptis in* 6 sanxit, ut Judex «Adsessorem (ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter) nisi eo indigeat, quod conscientiæ relinquatur ejusdem, sibi nequaquam adjungat: alioquin de suo proprio providere teneatur eidem. Si autem indigeat.... faciat à partibus communiter provideri.»—In nostris Ecclesiasticis Tribunalibus exolevit jamdiu Adsessoris munus, quum ex Tridentini, et nostrorum Conciliorum præscripto, in Vicarium Generalem eligendus non sit, nisi qui Doctor, vel Licentiatus fuerit in Jure Canonico, vel alioqui idoneus censeatur: Collect. Tarracon. an. 1591 lib. 1 tit. 10 cap. 4.

Concilium Lateranense IV can. 38, relato in cap. 11 *de Probationibus*, Ecclesiasticis Judicibus præcipit, ut *tam in ordinario, quam in extraordinario judicio, semper vel publicam personam, vel duos idoneos viros* adhiberent, qui fideli manu omnia judicii acta exscriberent.

Persona publica, cujus hæc Decretalis meminit, non alia profecto est ab illa, quam Romani Cancellarium, lege 5 et 8 *Cod. de Adsessoribus*, nos *Scribam*, et *Graphiarium* dicimus, cujus proprium munus est, *universa judicii acta conscribere:* videlicet citationes, dilationes, exceptiones, sententias, sive definitivas, sive interlocutorias etc. et reliqua omnia, quæ tam ad officii, quam partium instantiam expediuntur, sub data illius diei, quo decreta, mandata, aut facta fuerint; eademque fideliter, diligenterque in tabulariis, sive Archivis adservare, ut ex iis semper veritas depromi queat: *dicto* cap. 11. Quum vero in Archiviis deposita erunt, Custodis Archiviorum partes erunt illa custodire, nec ulli tradere, qui prius facultatem in scriptis ab Vicario non impetrarit: II Syn. Prov. Neap. tit. 12 cap. 2. Nec ipsa Autographa inde extrahere, idque sub excommunicationis pœna imposita in præf. Collect. Tarracon. lib. 2 Tit. 5 cap. 2.

Quæ quum ita sint, viri fidelitatis quantæ maximæ Graphiarii sint oportet, non modo ut munere suo recte, fideliterque fungantur, verum etiam ut in exigendis salariis metam rationis non excedant; qua de re graviter conqueritur Bonifacius VIII cap. 11 *de Rescriptis* §. 6 in 6.

In Hispania Scribæ, seu Notarii conscribendis, vel notandis Curiæ Ecclesiasticæ Actibus deputandi, pluribus debent esse præditi qualitatibus; præsertim vero qui Majores, seu Numerarii nuncupantur ex Pragm. Sanct. Caro-

li III an. 1770, relata in leg. 6 tit. 14 lib. 2 *Novis. Compilat.*—* V. Reg. ordin. 3 Ap. 1844.*

1. Summa rerum gerendarum notitia: quo circa eligendi, quatuor saltem annos in hujusmodi munere exercitati, accuratissimum aliorum Notariorum examen coram Vicario Generali, et tribus quibusque annis ab Ecclesiastico Visitatore disquisitionem subire tenentur, quod jamdiu constituerant præf. Syn. Tolet. Act. 2 Ref. cap. 17, et Compostel. Act. 3 Decr. 26, et intra duos ab electione menses publicorum Scribarum titulum à Supr. Castellæ Senatu obtinere debent.

2. Morum gravitate, et prudentia: unde eos oportet esse viginti quinque ætatis annos majores, uti innuit quoque ead. Synod. Compostel. Act. 3 Decr. 29, quæ vigesimum secundum ad minus expetivit.

3. Integritate vitæ: quamobrem priùsquam in possessionem inducantur, plenissimum de eorum inculpata vita, et bonis moribus testimonium præcedente inquisitione habendum est, quale requirebat etiam ead. Syn. Compostel. *ibid. Decr.* 26.

4. Regiam Scribis publicis præscriptam taxam prorsus observare jubentur, sicuti olim constitutum erat leg. 1 et 2 tit. 15 lib. 2 *Novis. Compilat.* Tum 5 in ead. Pragm. Sanct. monentur Episcopi, ut Notariorum Curiæ, seu Majorum numerum secundum ejusdem Curiæ negotiorum copiam constituant, sicuti decrevit olim ead. Syn. Tolet. Act. 2 cap. 16; ut omnes quos instituant sint mere laici, uno excepto in Sacris constituto, non Regulari, ad causas criminales Clericorum, quod etiam præscripsit præf. Synod. Compostel. Act. 3 Decret. 25; et ne Notariorum Titulos quasi familiares, vel hæreditarios fieri patiantur. Unde cit. Synod. Tolet. *ibid.* cap. 15, eos vendi, aut locari prohibuit; ita ut quum vacaverint, *provideri libera voluntate* ab Episcopo *possint:* Syn. Compostel. eod. Decr. 25.

Præterea 6 alios Notarios Ecclesiasticos, Curiæ Episcopali non addictos, ad eum quoque numerum reducendos voluit Pragm. Sanctio, qui necessarius in Diœcesi existimetur, nullumque in horum numerum recensendum, nisi qui viginti quinque ætatis annos impleverit, qui quatuor in *Practica*, ut vocant, transegerit, et qui ex adcuratissimo duorum Notariorum Majorum examine deprehensus fuerit idoneus, sicuti antea decreverat Syn. Hispal. an. 1512 *Capit.* 44, atque adeo Ecclesiasticorum Visitatorum disquisitioni per triennium subjiciantur Ipsis etiam, Majoribusque interdictum est, officium suum in causis temporalibus laicorum exercere, ad præscriptum leg. 2 et 3 ejus tit. 14.

7. Demum ut Notarii minores, seu Ordinarii taxam Scribis Regiis constitutam observent, et à se conscripta Acta Majori Curiæ Notario custodienda tradant; id adjiciens Collect. Tarracon. lib. 2 tit. 5 cap. 1, quod Notarii instrumenta in *Protocollum*, ut ajunt, referenda ad longum, et non per summa capita conscripta exhibeant. Hinc colligas necesse est, Carolum Regem nostrum non aliam in hac edenda lege mentem habuisse, quam latas à Conciliis nostris Constitutiones suscitare.

Pro coronide id adjicere lubet, unumquemque ex Episcopalis Curiæ Administris in id incumbere oportere, ut dilucide omnia, et juxta æquitatis, et rationis limites, omni posthabita personarum acceptione, expediantur, ne forte in causa sint, quod Ecclesiasticum Tribunal apud pravos homines male audiat. Quocirca Syn. Tolet. *ibid.* cap. 17, cavendis Curiæ Ecclesiasticæ abusionibus ita constituit: « Vicarii, Provisores, Visitatores, Promotor Fiscalis, et alii quicumque Ecclesiastici, et Ordinarii Tribunalis Metropolitani, et Episcoporum, et aliorum inferiorum ministri, etiam hi judices, qui ad audien-

das adpellationum causas à Metropolitanis, et aliis Superioribus deputantur, quolibet triennio ab eo, qui per ipsum Metropolitanum in propria, et Episcopos in sua qualibet Diœcesi deputatus fuerit, et electus, interim propria munera exercentes, visitentur omnino, ut ex ea visitatione constare possit vera, et acta publicæ administrationis jurisdictionis, officiorum, et cujuscumque eorum muneris ratio, atque, is qui male fuerit officio functus, eo privari, et puniri possit, denique à suo Judice, et Episcopo privetur, ac puniatur. » Id ipsum Catholici Reges nostri Episcoporum curæ, et solicitudini commissum voluerunt: leg. 15 tit. 1 lib. 2 citat. *Compilat.*)

4. Est autem jurisdictio vel voluntaria, vel contentiosa (1); illa ex re appellata, quæ in volentes exercetur, ut fit in adoptionibus, in mulierum, minorumve contractibus, in ceteris generis ejusdem. Cuncta hæc geruntur extra judicium, atque inter volentes, et à Magistratu confirmantur, ut eorum rata firma auctoritas sit (2). Contentiosa jurisdictio ex re item dicta, in invitos, et contendentes exercetur, eique locus est in judiciis, quæ in invitos redduntur, et utriusque litigantis contentionem, et disceptationem habent de re controversa.

(1) Hugo Donellus l. cit. c. 8 §. 7 p. 1124 adjicit etiam mixtam, vel intermediam jurisdictionem, quæ in dandis tutoribus, aut curatoribus versatur; sed tertium hoc jurisdictionis genus inutile esse, observat Scipio Gentilis l. cit. c. 18 p. 43.

(2) Ex iis vero quædam sunt, quæ solam Magistratus auctoritatem, et approbationem, quædam, quæ permissum causa cognita, et uno verbo Magistratus decretum postulant. Cuncta explicat Donellus l. c. §. 9. p. 1126.

5. Judiciorum summa divisio est, ut alia ecclesiastica, alia sæcularia sint. Ecclesiasticum judicium agitur in foro Ecclesiæ, et in eo quæritur de causis ecclesiasticis, sive quod hæ natura sua ecclesiasticæ sunt, sive quod sunt causæ clericorum. Sæculare judicium est, in quo de rebus mere temporalibus coram laico judice disputatur. Utraque judicia multifariam dividuntur, et primo quidem in possessoria, ac petitoria.

6. Possessorium judicium est, in quo de sola possesione, aut quasi possessione quæritur, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda. Possessio est rerum corporalium; quasi possessio incorporalium. Petitorium, quod *dominii litem* Juris consultus (1) appellat, est, in quo de proprietate, vel de alio jure seorsim à possessione disputamus. Nam proprietas nihil commune habet cum possessione (2); licet interdum majores quidam judices utramque conjungant. Separata autem de possione quæstio illud efficit, ut eo finito judicio, atque uni data

possessione, victus debeat in petitorio judicio jus suum ostendere, quod nisi præstiterit, res manebit apud possessorem (3).

(1) L. 18 ff. de Usuris.
(2) L. 12 ff. de acquiren. possess.
(3) §. 4 Instit. de interdict.

7. Dividuntur etiam judicia in ordinaria, quæ et solemnia, atque in summaria, quæ et extraordinaria appellantur. Ordinaria sunt, in quibus acta omnia, et solemnia, quæ in judiciis leges præscribunt, observantur, tum in iis, quæ intimam judicii naturam, tum in iis, quæ solemnitates attingunt. Summaria judicia sunt, in quibus multiplices illæ solemnitates omittuntur, eaque tantum servantur, quæ sunt ad judicii naturam, hoc est, ad noscendam veritatem necessaria (1).

(1) Hæc quidem à Jure Civili, et Canonico divisio judiciorum traditur. Sed Pragmatici in foro judicia dividunt in ordinaria, summaria, summarissima, executiva. Et summaria quidem, atque ordinaria judicia in iis, quæ ad ordinem pertinent, apud nos fori usu fere inter se conveniunt.

8. Denique judicia alia sunt civilia, alia criminalia, quoniam omnia vel distraendarum controversiarum, vel maleficiorum puniendorum causa reperta sunt. Civilia pertinent ad privatorum controversias dijudicandas, criminalia vero crimina persequuntur, pœnasque irrogant vindices sceleris, et violatæ publicæ tranquillitatis.

9. Judiciales disceptationes ordine noscendæ, expediendæque sunt, quoniam ex inordinata rerum ratione oritur confusio, quæ jura potius obscurat, quam explicat litigantium. Ordo hic judicium etiam dicitur, et passim processus appellatur. Est autem compositio rerum aptis, et accomodatis locis, ut procul sit confusio, et perturbatio, noscatur veritas, ac suum cuique tribuatur. Et sane judiciarius ordo à legibus est constitutus, quem judicem ita dirigere, et moderari oportet, ut litigantes in recta justitiæ semita insistant (1); qua in re nihil pro arbitrio, sed omnia canonum, legumque auctoritate agenda sunt.

(1) Cap. 49 de judic., cap. 22 de Accusation.

TITULUS III.

DE PROCURATORIBUS.

1. QUIS PROCURATOR? PLURES PROCURATORUM SPECIES.—2. TAM UNUS, QUAM PLURES PROCURATORES CONSTITUUNTUR.—3. QUI PROCURATORES ESSE POSSINT?—4. IN QUIBUS CAUSIS ADHIBEANTUR? 5. QUOMODO OFFICIUM PROCURATORIS EXSPIRET?—6. SYNDICI UNIVERSITATUM PROCURATORES SUNT.—7. IN QUIBUS SYNDICI DIFERANT A PROCURATORIBUS PRIVATORUM?

1.

Judicia aut per nosmetipsos, aut per procuratores exercemus. Procurator, quem *alieni juris vicarium* eleganter Cicero appellat (1), ab Ulpiano definitur, qui aliena negotia mandato domini administrat (2). Constituitur vel ut certum negotium espediat, vel ut omnia gerat, et curet; hic generalis, ille autem specialis appellatur. Rursus procurator judicialis est, si alienam litem judicio persequitur, extrajudicialis, si aliena negotia extra judicium conficit. Generalis procurator tum judicialibus, tum extrajudicialibus rebus præpositus intelligitur, non tamen iis, quæ speciale mandatum requirunt (3). Datus autem cum libera administratione, omnia fere potest, quæ ipse dominus, et ideo quamquam donare nequeat (4), tamen res domini alienare potest, non solum cum id necessitas, sed etiam cum utilitas mandantis postulat (5). Sine hac libera administrationis potestate, generalis procurator recte distrahit tantum fructus, et cetera, quæ facile corrumpuntur (6).

(1) Cicero pro A. Cæcina n. 20 opp. t. 4. p. 629 ed. Genevæ 1744.
(2) L. 1 ff. de Procurat.
(3) Cap. 5. de Procurat. in 6.—V. leg. 15. 16. 19 tit. 5 *Partitæ* 3.
(4) Donare enim potius est perdere, quam administrare: l. 28 §. ult. ff. de pactis, l. 7 §. 3 ff. de Donation.
(5) L. 60 §. Lucius ff. Mandat., l. 58 ff. de procurat. l. 9 §. 4 ff. de Acquirend. domin. §. 45. Inst. de rer. divis.
(6) L. 65 ff. de Procurator. Confer Voetum in Pandect. l. 3 tit. 3 §. 7.

2. Procurator interdum unus, interdum plures, iique aut conjunctim, aut in solidum constituuntur. Ubi conjunctim, et eodem tempore omnes constituti sunt, alter sine altero nihil agere potest, exceptis causis electionum, postulationum, provisionum, aliorumque ecclesiasticorum negotiorum, in quibus unus ex

possessione, victus debeat in petitorio judicio jus suum ostendere, quod nisi præstiterit, res manebit apud possessorem (3).

(1) L. 18 ff. de Usuris.
(2) L. 12 ff. de acquiren. possess.
(3) §. 4 Instit. de interdict.

7. Dividuntur etiam judicia in ordinaria, quæ et solemnia, atque in summaria, quæ et extraordinaria appellantur. Ordinaria sunt, in quibus acta omnia, et solemnia, quæ in judiciis leges præscribunt, observantur, tum in iis, quæ intimam judicii naturam, tum in iis, quæ solemnitates attingunt. Summaria judicia sunt, in quibus multiplices illæ solemnitates omittuntur, eaque tantum servantur, quæ sunt ad judicii naturam, hoc est, ad noscendam veritatem necessaria (1).

(1) Hæc quidem à Jure Civili, et Canonico divisio judiciorum traditur. Sed Pragmatici in foro judicia dividunt in ordinaria, summaria, summarissima, executiva. Et summaria quidem, atque ordinaria judicia in iis, quæ ad ordinem pertinent, apud nos fori usu fere inter se conveniunt.

8. Denique judicia alia sunt civilia, alia criminalia, quoniam omnia vel distraendarum controversiarum, vel maleficiorum puniendorum causa reperta sunt. Civilia pertinent ad privatorum controversias dijudicandas, criminalia vero crimina persequuntur, pœnasque irrogant vindices sceleris, et violatæ publicæ tranquillitatis.

9. Judiciales disceptationes ordine noscendæ, expediendæque sunt, quoniam ex inordinata rerum ratione oritur confusio, quæ jura potius obscurat, quam explicat litigantium. Ordo hic judicium etiam dicitur, et passim processus appellatur. Est autem compositio rerum aptis, et accomodatis locis, ut procul sit confusio, et perturbatio, noscatur veritas, ac suum cuique tribuatur. Et sane judiciarius ordo à legibus est constitutus, quem judicem ita dirigere, et moderari oportet, ut litigantes in recta justitiæ semita insistant (1); qua in re nihil pro arbitrio, sed omnia canonum, legumque auctoritate agenda sunt.

(1) Cap. 49 de judic., cap. 22 de Accusation.

TITULUS III.

DE PROCURATORIBUS.

1. QUIS PROCURATOR? PLURES PROCURATORUM SPECIES.—2. TAM UNUS, QUAM PLURES PROCURATORES CONSTITUUNTUR.—3. QUI PROCURATORES ESSE POSSINT?—4. IN QUIBUS CAUSIS ADHIBEANTUR? 5. QUOMODO OFFICIUM PROCURATORIS EXSPIRET?—6. SYNDICI UNIVERSITATUM PROCURATORES SUNT.—7. IN QUIBUS SYNDICI DIFERANT A PROCURATORIBUS PRIVATORUM?

1.

Judicia aut per nosmetipsos, aut per procuratores exercemus. Procurator, quem *alieni juris vicarium* eleganter Cicero appellat (1), ab Ulpiano definitur, qui aliena negotia mandato domini administrat (2). Constituitur vel ut certum negotium espediat, vel ut omnia gerat, et curet; hic generalis, ille autem specialis appellatur. Rursus procurator judicialis est, si alienam litem judicio persequitur, extrajudicialis, si aliena negotia extra judicium conficit. Generalis procurator tum judicialibus, tum extrajudicialibus rebus præpositus intelligitur, non tamen iis, quæ speciale mandatum requirunt (3). Datus autem cum libera administratione, omnia fere potest, quæ ipse dominus, et ideo quamquam donare nequeat (4), tamen res domini alienare potest, non solum cum id necessitas, sed etiam cum utilitas mandantis postulat (5). Sine hac libera administrationis potestate, generalis procurator recte distrahit tantum fructus, et cetera, quæ facile corrumpuntur (6).

(1) Cicero pro A. Cæcina n. 20 opp. t. 4. p. 629 ed. Genevæ 1744.
(2) L. 1 ff. de Procurat.
(3) Cap. 5. de Procurat. in 6.—V. leg. 15. 16. 19 tit. 5 *Partitæ* 3.
(4) Donare enim potius est perdere, quam administrare: l. 28 §. ult. ff. de pactis, l. 7 §. 3 ff. de Donation.
(5) L. 60 §. Lucius ff. Mandat., l. 58 ff. de procurat. l. 9 §. 4 ff. de Acquirend. domin. §. 45. Inst. de rer. divis.
(6) L. 65 ff. de Procurator. Confer Voetum in Pandect. l. 3 tit. 3 §. 7.

2. Procurator interdum unus, interdum plures, iique aut conjunctim, aut in solidum constituuntur. Ubi conjunctim, et eodem tempore omnes constituti sunt, alter sine altero nihil agere potest, exceptis causis electionum, postulationum, provisionum, aliorumque ecclesiasticorum negotiorum, in quibus unus ex

pluribus admittitur (1); ubi in solidum, potior habebitur qui litis contestatione negotium occupavit, nisi secus mandato cautum sit (2). At procuratore uno primum, deinceps altero constituto, prioris mandatum revocatum videtur. (3).

(1) Cap. 6 §. Sane de procurat. in 6.
(2) Cap. 6 mox laudat.
(3) Cap. 14 de procurat.

3. Omnes autem, qui expresse non prohibentur, procuratores esse possunt. Prohibentur autem exprese eo munere in judicio fungi: excommunicati (1), qui etiam in jus vocati per alium respondere debent (2), minores annis vigintiquinque (3), infames (4), mulieres (5), milites (6), fiscus, respublica, ceteri potentiores, qui adversarium opprimere possunt (7), reus criminis constitutus, nisi se primum purgaverit (8), reipublicæ causa abfuturus (9), monachus, nisi qua agatur monasterii causa, idque monasterii præfectus probet (10), Episcopus, et Sacerdotes (11), postremo omnes clerici apud sæculares judices, nisi pro Ecclesiæ suæ, aut propria causa, vel necessitate coacti, pro conjunctis, et miserabilibus personis, procuratoris officium gerant (12).

(1) Cap. 13 §. Credentes de hæretic., cap. 7 de probat., cap. 1 de except. in 6.
(2) Cap. 7 de Judic.
(3) Cap. 5 §. ult. de procurat. in 6.
(4) Can. 1 et 2 c. 3 q. 7; cum tamen jure civili Justiniani, infamia, nisi manifesta sit, procuratori non obstet §. ult. inst. de except. sed jam fori civilis usus jus canonicum recepit. Confer Gaillium l. 1 obs. 43 n. 7 et 8, et Gudelinum de jur. novis. l. 4 c. 4 n. ult.
(5) L. 18 et 21 cod de procurator. Quidam tamen excipiunt casus in leg. 41 ff. de procurat. et in l. 4 cod. eod. Consule Donellum de jur. civil. l. 18 c. 11 opp. t. 5 ed. Lucæ col. 191 et seq., ubique Hilligerum in not., qui omnes enumerant, quos civiles leges à procuratoris munere repellunt.
(6) L. 8 §. Veterani ff. de procurator., l. 7 cod. eod. Quomodo autem nunc nostris moribus à procuratoris officio milites repellantur, explicat Hilligerus l. c. not. 3 col. 193.
(7) L. 1 et tot. tit. codicis ne lic. potent. patroc. litig. præst., l. 3 et tot. tit. codicis ne fisc. vel respubl. Consule Cujacium in cod. l. 2 tit. 13 opp. t. 2 col. 95 et seq. et observat. l. 8 c. 51 t. 3 col. 195 et 196. ed. Ven. 1578.
(8) L. 6 cod. de procurat.
(9) L. 8 §. procuratorem, et l. 54 ff. de procurator.
(10) Can. 35 c. 16 q. 1.
(11) Can. 3 c. 5 q. 3, cap. 3 et 4 ne cleric. vel monach.
(12) Cap. 1 et ult. de postulan., cap. 2 et 4 ne cleric. vel monach. Atque hæc quidem vetus est Ecclesiæ disciplina, etiam Justiniano probata Novel. 123 c. 6.

4. Adhibentur procuratores in causis omnibus, tam sæcularibus, quam ecclesiasticis (1), quin etiam criminalibus, in quibus agitur civiliter, non criminaliter (2). Jure civili mandato, quod solo consensu constat (3), procurator constituitur; sed jure canonico scripto opus est (4). Quæ jurisprudentia obtinet etiam in foro civili, neque nunc procurator admittitur sine scripto mandato, quamquam de rato cautionem afferat (5). Servatis mandati finibus, quidquid procurator gessit, ratum firmum est, sive domino noceat, sive prosit (6).

(1) Cap. 2 de in integr. restit.
(2) Cap. 5 de procurat., cap. 16 de accusation. Late hoc argumentum de adhibendis, aut non adhibendis in criminali judicio procuratoribus, persequuntur Donellus de jur. civil. l. 18 c. 10 §. 8 et seq. ibique Hilligerus not. 5 opp t 5 col. 176 et seq., et Voetus in Pandect. l. 3 tit. 3 §. 11 et 15.
(3) Instit. l. 3 tit. 23. Paulus recept. sentent. l. 1 tit. 3 apud Schultingium Jurisprud. vet. ante justiniat. t. 1 p. 223 et Lipsiæ 1737.
(4) Cap. 1 de Procurat.
(5) Consule Voetum l. c. §. 10.
(6) Cap. 1 cit.

5. Exspirat procuratoris oficium mutuo consensu (1); mandato à domino revocato, si res integra adhuc sit, quia post litem contestatam procurator litis dominus efficitur, ac nonnisi ex justa causa removeri potest, veluti si sit suspectus, aut impeditus, vel morbo teneatur (2); mortuo mandante, cum res est integra (3), re autèm non integra, expirare mandatum potest, si prælatus, vel alius pro ecclesia, aut beneficio procuratorem constituerit, posteaque ex hac vita migraverint (4); per renuntiationem procuratoris justas ob causas factam, aut per ejus obitum, quoniam mandatum ad hæredes non transit (5); denique si dominus litem per se agere velit (6).

(1) L. 24 ff. de procurat.
(2) L. 22 c. de procurat., l. 17 et seq. ff. eod., cap. 2 eod. in 6.
(3) L. 23 c. de procurat.
(4) Cap. 1 et ult. ne sed. vacant., Clem ult. de procur.
(5) L. 27 §. morte ff. mandat.
(6) Cap. 8 de procurat. in 6.

6. Procuratores universitatis syndici (1) appellantur; atque hoc inter singulos, interque universitates discrimen est, quod

illi regulariter non coguntur procuratorem dare (2), sed universitates, et collegia judicio experiri non possunt, nisi syndicum constituerint (3). Cum enim universitas personæ tantum vices gerat, uti naturaliter consentire nequit (4), ita naturaliter pro se agere, ac semetipsam defendere non potest (5). Accedit quod à cunctis tractata universitatis negotia, perpetuo dissensu facile turbarentur, ac supervacaneum visum est, plures à propriis abstrahi negotiis, et communi vacare causæ universitatis, cui tractandæ potuit unus sulicere. Ea de causa, cum olim nondum liceret alieno nomine judicio experiri, tamen pro universitate licebat (6).

(1) Extat in Decretalibus Gregorii IX. titulus de Syndico, et ejus quoque mentio est in l. 6 §. Sed si ita ff. *Quod cujusque universit*, et in l. 18 §. 13 ff. de muner. et honor. Dicitur etiam universitatis actor in l. 74 ff. de procurator., et in l. 6 §. Quod si et ult. ff. *Quod cujusque universit.*, et Ecdicus in l. 30 cod. de Episc. audien., et novel. 15 apud Dionysium Gothofredum, et defensor in l. 18 §. 13 ff de Munerib. et honor., et procurator universitatis, præcipue si monasterii actor sit, novell. 123 c. 27. Apocrisarii etiam appellantur syndici novel. 123, c. 25, et novel. 6 c. 2, et responsarii cit. novel. 123 c. 42, et novel. 133 c. 5. Est ergo syndicus, qui universitatis causam agit mandato ipsius, atque is interdum ab actore distinguitur, quod hic certæ causæ, ille autem universis negotiis tractandis præpositus est. Apud Græcos syndici dicebantur, qui ad leges suadendas à populo electi erant, ut observat Carolus Sigonius de republic. Atheniens. l. 4 c. 6 fere in princ. Confer etiam Du-Cangium glossar. v. Syndicus.
(2) Cap. 2 de procurat.
(3) Cap. 7 eod.
(4) L. 1 §. 1 ff. de Libert. universit.
(5) Arg. cit. l. 1 §. 1, et L. 1 §. ult. ff. de Acquir. vel amitt. possess.
(6) Inst. de iis per quos agere possumus in princ.

7. Quæ de procuratoribus dicta sunt, ea generatim ad syndicos quoque pertinent; verum in nonnullis inter se differunt. Nam syndicus ab universitate, aut collegio per suffragia majoris partis eligitur (1), procurator ab uno, alterove, cujus negotium gerendum est, sola nominatione constituitur (2), ille necessario eligendus est (3), etiam criminale judicium exercet pro universitate, si quod ei crimen impingitur (4), suam jurejurando fidem obstringit (5), et cum à collegiis ordinatis, ut plurimum, ad quascumque causas detur, publicum hoc modo officium sustinet (6). Verum procurator non juris neccesitate, sed domini arbitrio, ac voluntate constituitur, repellitur, sicuti supra demonstratum est, á criminali judicio, non suam obligat sacramento fidem, sed mandantis, denique privatum officium gerit.

(1) Cap. 2 de integr. restit.
(2) Clem. 1 de procurat.
(3) Cap. unic. de Syndic.
(4) Confer Wessembecium Paratitl. ff. Quod cujusq univers. n. 6.
(5) Cap. 3 et 4 de juram. calumn.
(6) Cap. unic. de Syndic.

(N. S. Caveat autem Procurator, ne mandatum ad causas profanas coram Judice Ecclesiastico litigandas suscipiat: leg. 7 tit. 1 lib. 2 *Novis. Compilat.*

Advocati ita dicti ab *advocando*: quum enim quis in jus vocabatur, aut invitus ad illud rapiebatur, JCti plerumque advocabantur, qui causam, si ipsi litigantes nolent, aut non possent, proponerent, defenderent, aut eis succurrerent: *Cicer. de Orat. 3 cap.* 55. Antiquo Ecclesiæ jure litigantes non per Advocatos, sed per semetipsos actionem coram Judice Episcopo edebant, atque adeo etiam post novam judiciariam methodum in Ecclesiasticum Forum invectam hoc ab Innocentio III. præscriptum invenimus: *Cap. 14 de Judiciis.* Attamen usus invaluit, ut plerumque fori expertes litigantes, Advocatorum clientelæ se commendent.—Unde neque in Foro nostro Ecclesiastico petitiones juris admittuntur, nisi subscriptæ ab aliquo Advocato, et in Curia Matritensi, et aliis, ab eo qui in Regium Advocatorum Collegium relatus sit: not. 2 tit. 19 lib. 4 *Novis. Compilat.* Clerici in sacris constituti, aut Beneficio Ecclesiastico donati, Advocatos agere vetantur, nisi propriis, vel suorum, vel Ecclesiæ, vel demum inopum personarum causis patrocinari velint: Cap. 1 *de Postulando*, et leg. 5 tit. 22 lib. 5 *Novis. Compilat* Ast hic adnotandum, hanc Decretalem de Advocatione coram judice sæculari diserte loqui: atque proinde Clericis causas agere in Foro Ecclesiastico, stricto jure vetitum non esse. Verumtamen quia et in foro Ecclesiastico, æque ac in civili causæ non sine forensi strepitu, et contentione exagitantur, parum cleticali vocationi decens videtur in quolibet Foro causas agere. Id quod agnovit Collect. Tarracon an. 1591 *de Postulando* cap. 5, quod quidem ad Regulares etiam extendit; et jam olim decreverat Syn. Tarracon. an. 516 can. 11. Quia vero summæ pietatis, charitatisque opus est oppressos pauperes levare, eorumque patrocinium suscipere; hinc in plerisque Curiis Ecclesiasticis Advocatus pauperum constitutus est, qui pro illis causas agat: Syn. Valent. an. 1565 *Sess.* 5 tit. 5 cap. 5: et Collect Tarracon. cit. *de Procuratoribus* cap. 1.—'Apud nos clerici causarum mere civilium patrocinium suscipere possunt, dummodo à Sup. Just. tribunali (olim à Sup. Castellæ Senatus Camera) dispensationem obtinuerint. Reg. Prov. cit. art. 90.')

TITULUS IV.

DE FORO COMPETENTI.

1. QUID FORUM COMPETENS?—2. CAUSÆ DE FIDE, DIVINO CULTU, ECCLESIÆ DISCIPLINA, CETERIS EJUSMODI.—3 ET 4. CAUSÆ MATRIMONIALES.—5. CAUSÆ BENEFICIARIÆ.—6. CAUSÆ DECIMARUM, ET FUNERARIÆ.—7. CAUSÆ DE IMMUNITATE ECCLESIÆ, DE EJUS BONIS ALIENANDIS, DE EJUS PRIVILEGIIS, AC JURIBUS, DE VITA, ET INSTITUTIS CLERICORUM.—8. CAUSÆ MAJORES.—9. CAUSÆ TEMPORALES CLERICORUM.—10. CAUSÆ EPISCOPORUM SUMMO PONTIFICI RESERVATÆ.—11. CAUSÆ VIDUARUM, PUPILLORUM, MISERABILIUM PERSONARUM.—12. REUS VOCANDUS AD JUDICEM, CUI SUBEST.—13. JUDEX DOMICILII.—14. CONTRACTUS.—15. DELICTI.—16. LOCI REI CONTROVERSÆ.—17. EX PRIVILEGIO.—18 CONTINENTIA CAUSÆ.—19. PROROGATIO JURISDICTIONIS EX CONSENSU LITIGANTIUM.

1.

Illud in primis, cum aguntur judicia, curandum est diligenter, ut ea coram legitimo judice, sive in competenti foro exerceantur. Nam acta in foro non competenti nullius momenti sunt, et impune non paretur judici dicenti jus inter eos, in quos jurisdictionem non habet (1). Forum, seu forus (2), et exercendæ negotiationis, et agendarum litium locus fuit (3). Nobis de judiciis agentibus forus est judiciorum locus, qui sæpe pro ipso judicio sumitur. Competens autem forum est idem ac forum proprium, scilicet ubi judex suam exercere jurisdictionem potest, et in quo reus conveniendus est (4).

(1) L. ult. ff. de Jurisdict. L. ult. cod. Si à non competen. judic. can. 7 caus. 2 q. 1, can. penul. caus. 11 q. 1.

(2) Forum, et forus latine dicitur, uti loquitur Isidorus c. 18 de Verb. signific., quem immerito reprehendit Poletus Histor. for. Roman. l. 1 c. 1: nam virile ejus nominis genus egregiis Latinorum scriptorum testimoniis ostendit Cujacius in tit. Decret. de For. compet. opp. t. 6 col. 775 ed. Mutin. 1778.

(3) Confer præ ceteris Poletum l. c. l. 1 c. 1 et seq. In eodem foro, in quos res venales exponebantur, initio jus dictum fuisse, tradit Innocentius Cironius in Paratitl. Decretal. de For. competen.

(4) Hinc proprius judex, competens dicitur in L. 19 ff de Jurisd. et competens tribunal in L. 35 §. Non solum ff. de Procurat. Judex autem non competens, incongruus appellatur in L. 1. Cod. de Jurisdict. omm. jud.

2. Competentem autem forum, et judicem facit in primis natura causæ, de qua quæritur, et persona rei, qui in judicium vocatur. Causa si spiritualis sit, vel conjuncta rebus spiri-

tualibus, tantum ab ecclesiastico judice noscenda, ac definienda est. Quare ad eum in primis pertinent causæ de fide, de religione, aut cultu divino, de sacramentis, de sacris ritibus, de Ecclesiæ disciplina. Nam eas cognoscendi potestas pendet à jure clavium, quod solis sacerdotibus à Christo concessum est (1).

(1) Præclara ea de re sunt Osii Cordubensis Episcopi verba apud Athanasium in Histor. Arianorum ad Monachos n. 44 opp. t. 1 par. 1 p. 293 ed. Patav. 1778. *Tibi Deus*, inquit, *imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita et tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.* Sapienter etiam Joannes VIII. in can. 11 dist. 96 *Si Imperator*, inquit, *catholicus est, filius est, non præsul Ecclesiæ: quod ad religionem competit, discere ei convenit, non docere..... Ad sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi Potestates, quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ sacerdotibus voluit esse subjectas.* Confer Cabassutium Theor. et prax jur. canon. l. 1 c. 9 n. 15 et 16; de Marca Concord. sacerd. et imper. l. 2 c. 1 n. 4 et seq.; Doujatum Prænot. canon. l. 2 c. 2.

3. Verum ex causis sacramentalibus vix ullæ ad forum contentiosum deferuntur, exceptis causis matrimonialibus, quæ per cursum, ordinemque judicialem expediuntur. Harum autem matrimonialium controversiarum, de quibus institui solent judicia, triplex est genus. Aliæ enim vim ipsam icti fœderis, ac firmitatem attingunt; et hæ, cum respiciant naturam intimam sacramenti, tantum in ecclesiastico foro tractandi sunt (1). Aliæ pertinent ad vim sponsalium, atque ad jus instituendi divortii quoad torum, ac mutuam habitationem; et hæ similiter ecclesiastico judicio noscendæ, definiendæque sunt (2). Nam respectum habent ad sacramentum matrimonii, quoniam ad illud contrahendum sponsalibus obligamur, ac per divortium jura utrique conjugi matrimonio quæsita relaxantur.

(1) *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiastos, anathema sit*, inquit Synodus Tridentina sess. 24 can. 12 de Matrim. Tum sess. 24 c. 20 de Reform. hujusmodi causas non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio committendas, sed ab uno Episcopo cognoscendas esse statuit. Atque hoc quidem perpetuum Ecclesiæ jus fuit. Cum inter Lotharium, et Teuthbergam de vi matrimonii inter eos initi quæreretur, actum ea de re est in synodo Aquisgranensi an. 860 et 862 apud Labbæum t. 10 col. 140 et 200, cumque ab ejus sententia Teuthberga provocasset ad Nicolaum I, Summum Pontificem, ipse hanc controversiam sæculari udicio submitti non debere respondit, eamque commisit Synodo Metensi Ep. 23 apud Labbæum t. 10 Conc. col. 1451, Confer etiam acta Concilii Remensis apud Ordericum Vitalem l. 12 p. 859 inter Script. antiq. Hist. Norman. Duchesnii ed. Paris. 1619, et Alexandrum II. Can. 10 c. 35 qu. 6, præ

tera opusculum Assisii editum an. 1784, Su l' esenzione de' Regolari etc. e su le cause matrimoniali, quæque ipse scripsi l. 2 sect. 9 §. 115 seq. not. t p. 153 et seq.

(2) Cap. 10 de Spons., cap. 3 de Divort.

* V. legg. 8 tit. 6 *Partitæ* 1; 7 tit. 1, et 7 tit. 10 *Part.* 4.

4. Aliæ denique sunt causæ, quæ aliquam quidem habent cum matrimonio affinitatem, sed directe spectant res mere politicas, ac temporales. Hujusmodi sunt causæ de dote, de donatione propter nuptias, de hæreditaria succesione, alimentis, ceteris generis ejusdem; et hæ quidem sæculari judici committendæ sunt (1). Verum si qua interim, dum hæc in laicali foro expenduntur, oriatur controversia de jure connubii, puta de impedimento dirimente, incohato judicio supersedendum est, cunctaque ecclesiastico judici adscribenda sunt (2). At ecclesiasticus judex ipse etiam cognoscit causas de hæreditaria successione, de dote, de similibus, si qua de his rebus incidat disputatio, cum de vi matrimonii, aut jure ad divortium quæritur (3).

(1) Consule Bellarminum l. unic. de Matrim. cap. 32 p. 687 t. 3 opp. ed. Ven. 1721, et Tannerum t. 4 Disp. 8 n. 166.

(2) Confer Altaserram de Jurisd. eccles. l. 6 c. 3 §. Superest, Renatum Choppinum de Sacr. polit. l. 2 t. 1 n. 16, Annæum Robertum Rer. judicat. l. 3 c. 5 et l. 4 c. 10.

(3) Cap. 1. Qui filii sint legit., c. 3 et 7 de Donat. int. vir. et uxor.

(N. S. In Hispania, quum judex Ecclesiasticus de valore Matrimonii cognoscit, alimenta uxori interim præstanda decernit; de dote vero, vel hujusmodi juribus temporalibus emergentes causas Judici laico dirimendas reliquit. Verum quia causæ *legitimæ filiationis*, scilicet, quum dubitatur, an aliquis ex legitimo Matrimonio natus sit, quippe quæ in validitate Matrimonii nituntur, ad Ecclesiasticum forum pertineant: cap. 3 *de Ordin. cognit.* et leg. 56 6 tit. *Part. I.* ¿quid, si laico de successione, vel alia consimili causa cognoscente, de filiatione dubium exoriatur? Jure Decretalium, causa hæc ad judicem Ecclesiasticum deferenda esset, et à laico, donec de legitimitate decideretur, supersedendum esset: eod. cap. 3. Moribus tamen nostris inductum est, ut si dubium de facto procedat, à sæculari judice progredi possit in causæ incidentis cognitione; non ita si dubium sit de jure: eo quod, ait Gonzalezius in cap. 3 laud. n. 15, laicus nedum incompetens judex sit, sed et incapax de juribus Matrimonii, uti spiritualibus rebus, dijudicare).

5. Causæ quoque beneficiariæ, quoniam spiritualibus accensentur, ad ecclesiasticum forum pertinent, sive de ipsa collatione, sive de instituendis, conjungendisve, aut dividendis beneficiis disputetur (1). Eadem est ratio causarum jurispatronatus, quippe quæ spiritualibus adnexæ sunt (2). Sed in locis

quibusdam, sive expresso privilegio Apostolico, sive diuturna consuetudine ab Ecclesia tolerata, inductum est, ut cum de his rebus possessorio judicio quæritur, laico judici, cum petitorium agitur, ecclesiastico commitantur (3).

(1) Alexander III. in c. 21 de Jurepatr. et in Ep. ad Episc. Galliæ in append. Concil. Lateranen. c. 33 t. 13 col. 626 collect. Labbæi.

(2) Cap. 3 de Judic.

(3) Consule Barbosam Jur. Eccles. l. 1 c. 39 num. 161. et seq., Thomassinum Vet. et nov. Eccles. disciplin. par. 2 l. 1 c. 36 n. 13, et Benedictum XIV. de Synod. diœces. l. 9 c. 9 n. 7.

(N. S. Sicuti in aliis Catholicis Regnis consuetudine invectum est, ut Judices sæculares de interdictis possessoriis Beneficiorum cognoscant, ita et in pluribus Hispaniæ nostræ Provinciis, videlicet in Gallæcia leg. 33 tit. 2 lib. 5 *Novis. Compilat.*, in Navarra *Ordinat.* 1 tit. 12 lib. 2, in Cathalaunia *Consult. ad Card. Ven. Rotæ Cathalaun. an.* 1512: Videsis Lopez in *Hist. Bullæ Cœnæ edit. an.* 1768 pag. 54 n. 31: In districtu Cancellariæ Granatensis, si fides habenda sit Fariæ in *Addit. ad Covarrubias* cap. 35 n. 17. Et quamvis consuetudo hæc generatim in universo Hispaniæ Regno non obtineat, neque illam adprobare audeat idem Covarrubias; nihilominus ita laud. Cap. n. 2 suam aperit sententiam: « Non negamus, posse justissime judices Regios, qui Prætoriis adsident, et inibi jura partium Regio, et Supremo nomine tutantur, extraordinarie tractare causam possessoriam, in qua de possessione Beneficii disputetur, ad efectum, ut quieta Respublica sit, ne fiat alicui injuria, et violentia, aut indebite possessione, quam obtinet, spolietur. »

Causæ Jurispatronatus, quæ inter Beneficiarias recensentur, videntur fuisse quondam mixti juris in Hispania nostra, hac nempe ratione, quod Concilium Tolet. IX Can. 1, « Condignis filiis, aut nepotibus, honestioribusque propinquis ejus, qui fundavit, vel construxit Ecclesiam, curam demandat, ut si Sacerdotem, vel Ministrum aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis honestæ conventione compescant, aut Episcopo, vel Judici corrigenda denuntient.... Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auditibus intimare non differant. » Ubi animadvertere licet, *Episcopum*, vel *Judicem*, sæcularem scilicet, juxta sensum, in quo hæc vox à Gothis usurpata est, compellere potuisse Sacerdotem, instante Patrono, ut integra bona Ecclesiæ servaret; quinimmo et Metropolitanum, si forte rerum Ecclesiæ fuisset fraudatur, Regio judicio subjiciendum. Unde constitutum est leg. 2 tit. 32 *Fori Cantabriæ*, ut Prætores judices sint competentes Monasteriorum, et Patronatuum ejusdem Provinciæ.

At subsequutis temporibus, inducto novo Decretalium jure, hujusmodi causæ Foro Ecclesiastico privatim adjudicatæ sunt ab Alexandro III cap. 3 *de Judiciis*, et ab Alphonso nostro leg. 56 tit. 6 *Partit.* 1. Inter has tamen, causæ, quæ de præcedentia debita Patrono extra Ecclesiam agitantur, aut de retinenda sibi intra Ecclesiam Sede, aut Scamno, vel quum juspatronatus alicui fundo, oppido, sive feudo unitum est, ad sæculare judicium spectare, auctor est Gonzalezius in cap. 3 *de Judiciis* n. 8, et 9. Regii quoque Patronatus causæ, quin et eæ omnes, quæ eundem Patronatum respiciunt, jamdiu in Regiis Tribunalibus dirimi consueverunt; at legg. 1 tit. 4 lib. 4, et 13 tit. 2 lib. 2 *Novis. Compilat.*, ad Supremum Reg. Cameræ Senatum pertinere, constitutum est.) * V. leg. 6 Julii 1845, art. 11 §. 3.*

6. Eodem loco sunt causæ decimarum; quinimo ecclesiastici judicis est laicos ad earum solutionem cogere (1): sed hæ quoque causæ, cum de possessione controversia est, alicubi, vel privilegio, vel consuetudine, à laico judice expenduntur. Par est ratio causarum funerariarum, in quibus agitur de concedenda, negandaque ecclesiastica sepultura, de ejus electione, de stabiliendo tempore efferendorum, humandorumque cadaverum, et usu crucis parochialis, de tollendis abusibus, qui forte irrepserunt, de juribus funerariis inter ecclesias, et clericos dividendis (2). Quin etiam laici imperio episcopalis fori coguntur ad præstandas oblationes, quæ dari solent, nisi eæ sponte offerantur (3).

(1) Cap. 5 de Decim. Concilium Tridentinum sess. 25 c. 12 de Reform.

(2) Vetus est regula, ut Ecclesia moderetur, et regat quæ ad fidelium sepulturam pertinent, ejusque legibus designetur locus, in quo illorum cadavera sepelienda sunt. Confer Concilium Bracarense I. quod aliis est II, can. 18 t. 6 col. 522. Collect. Labbæi, Arelatense VI. can. 21 t. 9 col. 321. Moguntinum I. in can. 18 caus. 13 qu. 2, et Moguntinum II. in can 51 et 50 caus. 13 qu. 2, Agrippinense seu Coloniense in can. 28 dist. 1 de Consecr; item Theodulphum, Episcopum Aurelianen., in Capitulare ad suæ Parochiæ Sacerdotes c. 9, apud Labbæum t. 9 col. 186; Hincmarum Remensem in capitulis, quæ edidit an. 852, c. 12, apud Labbæum t. 10 col. 3 ed. Ven.; Attonem Vercellensem in Capitular. canon. c. 23, apud Dacherium Spicileg. t. 8 p. 10 ed. Paris. 1668; Decretalium titulum de Sepulturis; aliaque sexcenta monumenta, ex quibus patet, semper ab Ecclesia de fidelium sepultura leges fuisse constitutas.

(3) Cap. 42 de Simon.

(N. S. Laicos ad consueta funeraria jura persolvenda compellere, exsequiarum pompæ modum præscribere, funebres adparatus constituere, aliaque id genus, hodierni mores, Regiæque Sanctiones sæculari Potestati reservant. *Novell. Justin.* 59 cap. 2 et sequent.; leg. 9 tit. 1, leg. 2 tit. 3 lib. 1. et 2 tit. 13 lib. 3 *Novis. Compilat.* Qua de re laicus, qui defunctum humari vellet in Ecclesia, cui deest jus sepeliendi, aut in loco, et tempore interdictis, à judice sæculari puniri potest: leg. 3 tit. 13 *Part. I*, sicuti et sepulcri violatores, et cadaverum exhumatores: leg. 14 ibid.

Causas Decimarum ad Ecclesiasticum Tribunal pertinere, olim edixerunt Alexander III cap. 5, et 6 *de Decimis*, et Innocentius III *ibid.* cap. 26, et 32.

In Hispania aliter res se habet. Quum enim Tridentinum Concilium fuisset absque ulla limitatione receptum; hinc decimarum causas ad forum Ecclesiasticum pertinere, ipsius vestigiis inhærendo, edixit Collect. Tarracon. lib. 2 tit. 18 *de Decimis*, à cap. 5. Decimarum autem nomine, Primitiarum etiam, et Oblationum comprehenduntur, quas omnes Ecclesiastici judicis peculiares esse agnovit Alphonsus Sap. leg. 56 tit. 6 *Partit. I.* Verum in fraudatorem Decimarum inquirere, illumque ad restitutionem compellere, et in ipsum animadvertere, Judex laicus potest: leg. 6 et 11 tit. 6 lib. 1 *Novis. Compilat.*; minime vero ad petitionem locatorum Decimarum inquisitio hujusmodi peragenda est; leg. 4 *ibid.*

Ad Supremum Castellæ Tribunal spectat recursus *novarum Decimarum*,

quum scilicet, Judex Ecclesiasticus jubet exsolvi Decimas ex his fructibus, de quibus non consuevit unquam exsolvi; vel quum *Redecimam* exigere intendit; tunc enim retinendam esse consuetudinem, via Protectionis declarat idem Supr. Tribunal: leg. 7 tit. 6 *citat.*; quem quidem recursum interponere quoque possunt personæ privatæ, ex Decret. ejusd. Supr. Senat. 24 Octob. an. 1761: not. 1 dict. tit. 6. Cognoscit itidem de violentiis, si quas forte perpetrent judices Conservatores Ordinis S. Jo. Hierosolymitani, ejusdem Ordinis Equites eximentes à Decimarum solutione: leg. 9 tit. 6 lib. 6 ejusd. *Compilat.*

Adhæc 1 Supr. idem Senat. participes Decimarum cogit ad Ecclesiarum, ex quibus Decimas accipiunt, reparationem: *Remiss.* 2 *ejusd.* Tit.

2. Judices Regii, sicuti de aliis quibusve causis Regiam auctoritatem, et Patrimonium respicientibus, ita etiam de causis Decimarum, quæ Regio Patrimonio unitæ sunt, cognoscunt: *Adnot.* 28 tit. 3 lib. 1 *Novæ Recop.*

3. Ad causas gratiam *Excusati* spectantes, erectum est Tribunal quoddam ex Comisario Generali *S. Cruciatæ*, et tribus personis Ecclesiasticis, una cum Reg. Fiscali coadunatum, uti decrevit Benedictus XIV Brev. 7 Sept. 1757).

7. Denique ecclesiastico foro addictæ sunt causæ, quæ clericorum vitam, et instituta respiciunt; itemque causæ de rebus Ecclesiæ alienandis, de ejus immunitate, similibusque juribus, ac privilegiis (1). Jure Decretalium etiam profana negotia, quibus jusjurandum adjunctum est, propter religionem, ad ecclesiasticum judicem deferenda sunt (2). Generatim vero non agitur adversus contractum, quem quis jurejurando firmavit, nisi primum, ejus laxato vinculo, quod ab Ecclesiastica Potestate justis de causis fieri solet, agendi potestas data sit (3).

(1) Consule Gagliardum Instit. Jur. canon. l. 3 tit. 7 n. 31 et seq.

(2) Cap. 13 de Judic. cap. 3 de For. competen. in 6. Vide Benedictum XIV de Synod. diœces. l. 9 c. 9 n. 8.

(3) Vide Gonzalez in cit. cap. 1 de Jurejur. n. 10. Olim et contractus stipulatio, quæ sæpe coram ecclesiasticis notariis fiebat, plures laicorum lites ad episcopale judicium deferebat. Notariorum episcopalium usus antiquissimus in Ecclesia est, uti patet ex actis Conciliorum, et ostendit Valesius in Not. ad Socrat. Hist. Eccles. l. 5 c. 22 p. 251 ed. Taurin. 1747. Confer etiam S. Gregorium M. in Sacrament. opp. t. 3 col. 70, et Menardum in Not. 500 col. 543 ed. Paris. 1705. In Capitulare Caroli M. an. 805 c. 5 apud Baluzium Capitular. Reg. Franc. t. 1 col. 295 ed. Ven. 1772 statutum est, ut unusquisque Episcopus, et Abbas, et singuli Comites suum Notarium habeant; quod etiam cautum est in capitular. l. 6 c. 256 ibid. col. 645. Erant autem Episcopales Notarii ex ordine clericorum, quin etiam erant Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, cujus quidem rei multa collegerunt testimonia et monumenta Thomassinus Vet. et nov. Eccl. discipl. par. 1 l. 2 c. 106, et Muratorius Antiq. Italic. dissert. 12. Innocentius III. Ep. 129 l. 14 t. 2 p. 566 ed. Baluzii 1682 clericos in sacris ordinibus constitutos notarii munus vetuit exercere, quod cum dedecore ordinis ecclesiastici, sæculari curiæ servirent,

atque in profanis negotiis versarentur. Sed Thomassinus l. c. n. 8 simplicibus clericis nunquam notarii officium vetitum fuisse contendit, imo ne ipsis quidem Presbyteris, cum de ecclesiasticis rebus ageretur. Certe in profanis quoque negotiis notarii ecclesiastici, quod plus fidei, et peritiæ haberent, sæpissime adhiberi solebant; et hinc plures causæ, quæ propter rem ipsam, aut personas, laici tribunalis propriæ fuissent, à judice ecclesiastico cognoscebantur. Synodus Tridentina c. 10 sess. 22 de Reform. cum animadverteret, quod ex notariorum imperitia plurima damna, et multarum occasio litium oriatur, statuit, ut « possit Episcopus quoscunque notarios, etiam si apostolica, imperiali, aut regia auctoritate creati fuerint, etiam tanquam delegatus Sedis Apostolicæ, examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari, illisque non idoneis repertis, aut quandocunque in officio delinquentibus, officii ejus in negotiis, litibus, et causis ecclesiasticis, ac spiritualibus exercendi usum perpetuo, aut ad tempus prohibere, neque eorum appellatio interdictionem Ordinarii suspendat. » Quod etiam sancivit Benedictus XIV, Const. Ad militantis 48 §. 33 t. 1 ejus Bullar. p. 84 ed. Rom. seu Ven. 1654.

(N. S. Jure Hispano, invadentes bona Ecclesiæ à judice Ecclesiastico puniuntur; Syn. Penna-fidel. an. 1502 cap. 13; Vallisolet. an. 1522 cap. 18; Complut. anni 1347 cap 2; et Collect. Tarracon. lib. 5 toto tit. 17 *de Sent. Excomm.*, in quo imago quædam tunc in his usitati processus exhibetur, et regula videtur præscripta iis, quæ constituenda essent à Syn. Trid. Sess. 25 Ref. cap. 11. Addesis Leg. 58 tit. 6 *Partit. I*, quæ id genus causarum, tanquam de sacrilegii delicto, ad Ecclesiam spectare decernit, uti et omnes omnino in quibus sacrilegium involvitur; multis quippe modis crimen hoc perpetrari declarat Lex 18 *ibid.* At quum aperte edixerit Lucius III cap. 8 *de Foro compet.* sacrilegii reum sub qualicunque judice conveniri posse; et aliæ Regni nostri Leges sacrilegii facinus Ecclesiastico foro adscribant: *indic.* Leg. 18 et Leg. 2 tit. 2 lib. 1 *Novis. Compilat*; aliæ vero à laico cognoscendum esse, decernant: Leg. 9 tit. 18 *Partit I*, leg. 2, tit. 2, et Leg. 6 tit. 5 lib. 1 *Novis Compilat.*; videntur hujusmodi causæ habendæ ut *mixti juris*, atque adeo præventioni locum esse.

Reges nostri, ne juramenti tantummodo ratione quæsita, sese causis noscendis immiscerent judices Ecclesiastici, constituerunt, ut laici in quacunque incunda obligatione à juri-jurandi interpositione abstinerent, sub pœna nullitatis, et gravissimis Tabellionibus pœnis impositis, si quam id genus obligationem conscriberent: Leg. 6 et 7 tit. 1 lib. 10 *Novis. Compilat.*

Causæ etiam Testamentariæ olim Ecclesiasticæ fuerunt: Fidelibus enim in usu fuit, jam inde à primis sæculis, Episcopis sua testamenta consignanda tradere, iisdemque eorum exsecutionem committere, et quidem adsentientibus ipsis Imperatoribus: Leg. 28 *Cod. de Episc. et Cler. Authent. eidem Legi* subjecta. Qua de re jure Decretalium. 1. Causæ omnes Testamentariæ, scilicet ubi de validitate, sollemnitatibus, aliisque id genus testamenta ipsa spectantibus ageretur, ad Ecclesiasticum Tribunal referebantur: passim in *tit. de Testamentis*.

2. Alexander III cap. 10, et 11 *ibid.*, omnem adhiberi fidem statuit Testamentis, præsertim ad pias causas, à Parochis, aliisve Presbyteris coram duobus, tribusve testibus conscriptis. Id quod Benedictus XIII in Syn. Rom. firmavit: tit. 20 cap. 1.

Demum 3 Si quis intestatus decedebat, usus invaluerat, ut Testamentum per Episcopum suppleretur, ac certa hæreditatis portione piis operibus reservata, reliquum hæredibus legitimis dispertiretur: Gonzalez in cap. 10, et 11 *ibid.* Thomass. part. 3 lib. 1 cap. 24. Eadem Synodus Rom. *ibid.*

cap. 2. At vero tria hæc capita sequutis temporibus, multas apud nationes, Ecclesiæ Tribunalibus adempta sunt.

In Hispania, Romano vigente jure, procul dubio Testamentariæ causæ in Imperatoriis judiciis pertractatæ sunt, uti evincitur ex *tit. de Testam. Cod. Theod.* Verum sub Gothorum Regum dominio, quum confusa, et permixta esset utriusque fori jurisdictio, ad Episcoporum judicium deductas esse hujusmodi causas, colligitur ex Synod. Tolet. X, ubi testamenta Martini, et Recimiri Episcoporum producta sunt, et dubia de ipsorum exsecutione suborta agitata sunt, et terminata, etsi Rex ipse Testamenti exsecutor relictus fuerit à Recimiro; unde nihil de Testamentis in *Foro Judicum* sancitum invenies. Abolita tamen præstantissima hac judiciorum forma, et adsignatis certis utrique Potestati limitibus, Regibus nostri hujusmodi causas sibi reservare, vel potius recuperare visum est in *Lege* 3 *de Toro*. Si quis tamen intestatus obierit, hæredibus, qui non fuerint adscendentes, vel descendentes legitimi, injunctum est Leg. 3 tit. 20 lib. 10 *Novis. Compilat.*, quintam hæreditatis partem in funere, et suffragiis defuncti impendere; et ad id, post annum elapsum, à suis competentibus judicibus posse hæredes compelli. Sed quum nonnulli hac abuterentur lege, Carolus III Pragm. Sanct. 2 Februarii an. 1766, quæ inserta est Leg. 14 ejusd. tit., eam ad praxim revocandam, nihilque de ea detrahendum, neque ei addendum constituit, decernens, à nullo, sive Ecclesiastico, seu Sæculari judice, *inventarium*, ut vocant, de rebus defuncti posse confici; sed integra defuncti bona legitimis hæredibus esse deferenda, quorum quidem curæ sit de funere defuncti, juxta Regionis morem, et personæ conditionem, providere, atque ad id, à suo unumquemque hæredem competenti judice cogi posse.

Antiquitus jure æque Civili, ac Canonico, Episcopis facultas erat prospicere, ut piæ fidelium dispositiones exsecutioni mandarentur, atque adeo fideles, etiam laicos, ad eas implendas adigere: Leg. 28 *Cod. de Episcop. et Cler.*; Justin. *Novell.* 131 cap. 2; cap 3, et 17 *de Testam.*

At in nostro Regno, Episcoporum curæ est, ut testamenta exsecutioni mandentur; quocirca post elapsum ab obitu testatoris annum compellere possunt testamentarios, aut hæredes, ut præscripta in testamento legata omnino impleantur: Syn. Hispal. an. 1512 cap. 9; Collect. Tarracon. *toto* tit. 14 *de Testamentis*; leg. 7 tit. 10 *Partit. VI*; et leg. 7 tit. 3 lib. 10 *Novis. Compilat.* Unde Visitatores deputantur ab Episcopis, ut testamenti exemplaria examinent, eaque exsecutioni mandari cogant. In quibusdam tamen Provinciis munus hoc proprium est Magistratuum.) Videsis Gregorium Lopez ad præf. leg. 7.) —' In praxi, tanquam *mixti fori* habentur hæ causæ, ut observant Barcinon. Selvagii Edit. tom. 3, pag. 57.'

(N. S. Quum Canones, et Leges, quæ jus Immunitatis localis constituunt, nihil de hujusmodi controversiarum judice decernant, dubium jamdiu exortum inde est, cuinam ex utriusque fori judicibus earumdem causarum cognitio pertineat. Quamvis enim Gregorius XIV, Motu-proprio *Quum alias* 9 Kalend. Junii an. 1591, inserto Collect. Tarracon. tit. 31 *de Immunit* lib. 3 cap. 3, causas *immunitatis* spectare ad Ecclesiasticum tribunal edixerit, non tamen generatim Constitutio hæc recepta fuit in Hispania; quin et de ea supplicatum fuisse, refert Nota margin. ad leg. 6 tit. 4 lib. 1 *Nov. Recop. antiquæ edit. Matrit an.* 1640; ita ut in unaquaque Provincia is sit peculiaris hujusmodi causarum judex, quem legitima præscripserit consuetudo. Apud Navarros Curia Major Regni cognoscit. In Aragonia usque ad Reginæ Eleonoris Concordatum, coram sæculari judice causæ istæ agitabantur; dein vero cumulative, ut ajunt, à duobus Arbitris, alio ab Ecclesiastico, alio vero à

Laico judice adsignato, intra quinque dierum terminum, dirimendæ sunt, qui si in ferenda sententia non consenserint, hujusmodi causæ intra triginta dies terminandæ devolvuntur ad *Competentiarum* Cancellarium, qui est persona in Dignitate Ecclesiastica constituta, à Rege Catholico deputata; quæ quidem causæ si intra præscriptos dies à Cancellario non dirimantur, in favorem Ecclesiæ terminatæ intelliguntur: *Forum* t *de Compet. Jurisdict.* et late Portoles *ibid.* In Castella demum Ecclesiastici judicis est, de hujusmodi causis dijudicare. Videsis Ledesma in *Allegat. Fiscali, ad calcem Histor. Bullæ Cœnæ edit. an.* 1768.)

* Munus Arag. Cancellarii, de quo hic sermo, Reg. decret. 31 Oct. 1835 suppressum fuit.

De contentionibus, vulgo *competencias*, hæc habent Barcin. Selv. Adnotatores t. 3 pag. 59: « Ex art. 58 Reg. Provis., inter facultates superiorum curiarum, vulgo *audiencias*, hæc n. 5 recensetur, ut nempe possint solvere contentiones sive competencias inter judices sui territorii ordinarios exortas. Si quando prædictæ contentiones tales sint, ut vel ipsæmet superiores curiæ inter se vel cum aliquo alio judice seu tribunali litem habeant, vel etiam superiores Eccl. judices inter se de jurisdictione litigent; tunc hujusmodi causarum cognitionem art. 90 Reg. Provis. ad supremum Hispaniæ et Indiarum tribunal defert.—V. decret. 30 Aug. 1836, ac. leg. 6 Jul. an. 1845. »

8. Ex his autem, quas descripsi, causis spiritualibus quædam majores, gravioresque sunt, quarum judicium Summo Pontifici servatum est (1). Hujusmodi sunt controversiæ de fide, resque omnes, quæ ad disciplinam, rectamque gubernationem, et statum pertinent Ecclesiæ universæ. Non enim una omnibus fides esse potest sine judicio, et auctoritate ejus, quem Christus unitatis centrum constituit, et à quo disjuncta Ecclesiæ membra copulantur; neque alius cogere omnes potest ad eamdem disciplinam, certamque administrationem, nisi qui toti Ecclesiæ præpositus est, et in omnes habet jurisdictionem.

(1) De majoribus quidem causis, quæ semper Apostolicæ Sedis judicio reservatæ fuerunt, innumera sunt testimonia, et antiquitatis monumenta. Multa ea de re dixi l. 1 tit. 3 sect. 1 not. 4 p. 145. Addam nunc Petrum Chrysologum Ep. 25 ad Euthych. inter Leonin. t. 1 col. 777 ed. Baller. Julium I. t. Ep. 1 ad Eusebian. apud Coustantium Ep. Pontif. Roman. col 586. Innocentium I. Ep. 30 ad Concil. Milevit. n. 2 col. 896 ib. et Ep. 37 ad Felic. Nucerin. n. 1 col. 910, Sixtum III. Ep. 10 ad tot. Illyric. Episc. n. 3 ib. col. 1272, Vigilium Ep. 7 ad Anson. Arelat. apud Labbæum t. 5 col. 1300. Gelasium in Commonitor. ad Faustum in Elem. Jur. Can. P. Amort. t. 1 p. 502 ed. Ferrar. 1763. Gregorium M. Ep. 7 l. 5 col. 630 Ep. 54 l. 5 opp. t. 2 col. 784 ed. Paris. 1705, Hilarum Ep. 8 ad Metr. Gall. apud Labbæum t. 9 Concil. col. 682. Men. ed. Avitum Viennensem Ep. 36 in Biblioth. PP. t. 5 col. 66, Gregorium IV. Ep. ad Gall. Germ. Episc. apud Labbæum t. 9 p. 578 ed. Lugdun. Sozomenum Hist. l. 6 c. 22 p. 245 ed. Cantabrig. 1720. Ejusdem quoque rei in ecclesiastica historia certissima monumenta sunt. Huc enim spectant, quæ de Irenæo, de Dionysio Alexandrino, de Patribus Concilii Antiocheni, qui propter errores Montani, et Sabellianorum Sedis

Apostolicæ judicium postularunt, narrat Eusebius Histor. l. 5 c. 3 et 4 l. 7 c. 5 et 26 p. 213, 324 et 356 ed. Cantabrig. 1720, de proposita ab se contra Arianos legatione ad Damasum P. Basilius Ep. 69 ad Athanas. Ep. Alex. opp. t. 3 p. 161 et Ep. 70 p. 173 ed. Paris. 1730 de Alexandro Episcopo Alexandrino Liberius Ep. 4 ad Constant. num. 4 apud Coustantium col. 426, de Gallorum ac Venetentium relationibus ad Silvestrum, deque legato ad semetipsum ex Oriente misso propter hæresim Apollinarii, Damasus Ep. 3 ad orient., et Ep. 14 apud eumdem Coustantium col. 488 et 571, de controversia Spiritus Sancti Romanæ Ecclesiæ judicio definita Sozomenus Histor. l. 6 c. 22 p. 245 ed. Cantabrig. 1720. de Joanne Hierosolymitano, Venerio Mediolanensi, Theophilo Alexandrino, Anastasius Ep. 2 ad Joannem Hierosolym. apud eumdem Coustantium col. 725, et Hieronymus Ep. 78 ad Pammach. en Marcellam opp. t. 1 col 577 ed. Vallarsii Veron. de causa Pelagii Epist. Concilii Carthaginensis inter epistolas Innocentii I. Ep. 26 apud eumdem Coustantium col. 873 et Ep. 28 col. 875, quæque ipse Innocentius I. scripsit in Ep. 29 ad Concil. Carthag. col. 888, et Ep. 30 col. 896, et Augustinus Ep. 186 n. 2 opp. t. 2 col. 664 ed. Maur. Ven. 1629, et Serm. 131 c. 10 t. 5 par. 1 col. 645, ubi ea de re dicit hæc: *Jam enim de ea causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, unde etiam rescripta venerunt: causa finita est; utinam aliquando finiatur error!* Similiter orta hæresi Nestorii, Cyrillus Alexandrinus epistolam, quæ extat apud Coustantium col. 1086, ad Cælestinum Pontificem misit, quod *longa Ecclesiarum consuetudo suadet, ut hujusmodi res cum Sanctitate tua communicentur;* in quæstione Monachorum Scytarum literas ad Hormisdam dedit Justinianus Imperator apud Labbæum collect. conc. t. 5 col. 649, de orta propter libros Fausti controversia ad eumdem Hormisdam Possessor Episcopus Africanus l. c. col. 661; Cæsarius Arelatensis propter eosdem libros ad Felicem IV, ad quem missa legatio est, et cujus successor ea, quæ synodo statuta fuerant, confirmavit cit. t. 5 Concil. col. 809. Confer etiam Justinianum Imp. Ep. ad Joan. II, P., et ipsius Joannis ad eumdem Justinianum Ep. 2 t. 5 Conc. col. 888 et 898 Collect. Labbæi ed. Ven., et Constantinum Pogonatum Imp. Epist. ad Leonem II. apud Labbæum t. 7 Conc. col. 1142. Mitto cetera, ne longus sim; cum præsertim multa, eaque præclara testimonia de Sedis Apostolicæ decisionibus in rebus fidei, ac disciplina collegerit Cl. Mamachius ad Auctorem op. Quid est Papa? Ep. 3 t. 1 p. 257 seq. Tantum addam literas, quas ad Innocentium X, P. dedit Clerus Gallicanus, ut de Jansenii propositionibus claram, certamque sententiam ferret, *caliginem omnem*, ut ipsi inquiunt, *discuteret, animos fluctuantes componeret, dissidia prohiberet, Ecclesiæ tranquillitatem, splendoremque restitueret.* Extant hæ literæ in opere, cui titulus: « Histoire des Cinq propositions de Jansenius » t. 3, *Recueil des pieces* p. 64 Trevoux 1702, atque ita exordiuntur: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat. Æquissimæ huic legi obsequentes, de gravissimo circa Religionem negotio Sanctitati tuæ scribendum esse censuimus.* Ad majores causas, quæ Sedi Apostolicæ reservatæ sunt, pertinet etiam confirmatio Ordinum Regularium, de qua late disserit Mamachius l. c. §. 14 p. 272 seq., eorumque exemptio, de qua egi l. 2 tit. 10 §. 3 not. 1, 4 et 5 p. 255 et 256. Sanctorum canonizatio, de qua agit Mamachius l. c. §. 13 p. 264 seq. ipseque etiam disserui l. 1. tit. 3 sect. 1 §. 19 p. 153, legum ecclesiasticarum relaxatio, de qua dictum est cit. §. 16 p. 145, et disputat Ballerinius de Potest. eccl. Sum. Pont. c. 3 §. 2 p. 42 ed. August. Vindel. 1770, novarum Ecclesiarum cathedralium

erectiones, et antiquarum uniones, ac divisiones, quarum, ne sim nimius, testimonia non colligam. Satis erit indicare Thomassinum Vet. et nov. Eccl. discipl. t. 2 par. 2 l. 1 c. 59 et 45, 54 et 58; Zaccariam Anti-Febron. t. 3 par. 2 l. 1 c. 7, Mamachium l. c. Ep. 3 §. 7 p. 208 seq., à quibus luculentissima harum rerum testimonia collecta sunt. Apte, et egregie S. Bernardus Ep. 131 opp. t. 1 p. 118 ed. Ven. 1781: *Plenitudo siquidem potestatis super universas orbis Ecclesias singulari prærogativa Apostolicæ Sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest inter eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, et è converso, si necesse visum fuerit.* Confer etiam quæ à me dicta sunt l. 1 tit. 3 sect. 1 p. 145 seq. ubi cuncta exposui, quæ Summo Pontifici ex suprema ejus potestate reservata sunt. Late quoque de majoribus causis agit Altasserra de Jurisdic. l. 10 per tot. et Davit *des Jugemens canoniques* chap. 15 art. 3.

9. Causæ vero temporales, et profanæ ad ecclesiasticum forum pertinent, cum clericus in jus vocatur, quoniam actor rei forum sequi debet (1). Quare in his controversiis, si clericus actor est adversus laicum, judex item laicus eligendus est, nisi forte aliud ferat locorum consuetudo (2); contra, si clericus à laico in judicium ducitur, totum judicium ab ecclesiastico conficiendum est. Quod fori privilegium ita adhæret personis clericorum, ut eo ne volentes quidem ipsi abdicare se possint (3).

(1) L. 3 cod. Ubi in rem actio, l. 2 Cod. de jurisdict. c. 5 et 8 de for. competen. Est hæc vetus quidem Ecclesiæ regula; ac recte Ambrosius in actis Concilii Aquilejensis opp. Ambros. t. 5 p. 511 ed. Ven. 1781, *Sacerdotes*, inquit, *de laicis judicare debent, non laici de sacerdotibus.* Et paulo post: *erubescemus, ut videatur, qui sacerdotium sibi vindicat, à laicis esse damnatum; ac per hoc quoque, et in hoc ipso damnandus est, qui laicorum expectat sententiam, cum magis de laicis sacerdotes debeant judicare.* Quo quidem concilio damnatus est Palladius Episcopus, qui laicorum judicium postulabat. Videndi sunt etiam Athanasius histor. Arian. ad monach. n. 52 opp. t. 1 p. 297 ed. Patav. 1777, Hilarius l. 1 ad Constant. n. 1 et contr. Constant. n. 16 t. 1 col. 555 et 575 ed. Veron. 1730, Lucifer Calaritanus pro Athanas. l. 1 p. 61 ed. Ven. 1778. Concilium Milevitanum can. 19 t. 3 col. 585 collect. Labbæi, suo etiam honore privat clericos, qui à Principe petierint, ut sibi in aliqua causa sæculares judices attribuat. Atque hic quidem verus, et germanus esse videtur sensus can. 11 et 12. Concilii Antiocheni l. t. 2 col. 580 cit. collect., quem canonem Antonius Augustinus de emendat. Gratian. l. 1 dial. 11 opp. t. 3 p. 61 ed. Lucæ, et Baronius ad an. 341 n. 28 t. 4 p. 374 ed. Lucæ, minus recte putant ab Arianis editum contra S. Athanasium, et eumdem esse canonem, quem Chrysostomo ejus adversarii objecerunt, quemque ipse, ejusque defensores consequenti ætate rejecerunt. Quod recte ostendit Emmanuel Schelestratus de conc. Antioch. p. 541, qui late demonstrat, longe alium esse arianum canonem contra Athanasium conditum, ac postea Chrysostomo objectum, et hunc Antiochenum canonem plane consentaneum esse receptæ antiquæ Ecclesiæ disciplinæ. Neque solum cum inter clericos controversiæ fervebant, sed etiam cum inter clericum, et

laicum lis erat, clericus nonnisi ad ecclesiasticum judicem vocari debebat: Concilium Agathense can. 32 t. 5 col. 526 cit. collect. Multa ea de re sunt in Capitularibus Regum Francorum apud Baluzium capitular. Caroli M. l. 5 c. 378 et c. 390 et l. 6 c. 156 l. 7 c. 13 t. 1 col. 604, 606, 654, 702 ed. Venet. 1772, et multa etiam apud Herardum in Capitulis c. 7 et 8 apud Labbæum t. 10 col. 61, itemque apud Hincmarum Remensem, qui peculiarem ea de re tractatum edidit, quem misit ad Carolum Calvum, et quo demonstravit, nemini licere ad laicum judicem clericum vocare. Hic tractatus extat t. 2 ejus opp. p. 516 ed. Sirmondi Paris. 1645, ex eoque patet, eam semper fuisse et antiquæ, et recentioris Ecclesiæ disciplinam, ut nullus clericus ad laicum judicem duceretur. Late hoc argumentum persecutus sum tit. 1 hujus libri.

(2) Vide Benedictum XIV, Inst. eccles. inst. 40.

(3) Justiniani constitutione in L. 50. Cod. de Episc. et cleric. poterat clericus in conscribendo instrumento pacisci non usurum se fori præscriptione, ob regulam juris antiqui, «omnes licentiam habere his, quæ pro se indulta sunt, renunciare»; unde et mulier Vellejano: L. ult. §. pen. ff. et L. 21 Cod. ad Vellejan.; et Princeps, qui solutus est legibus L. 31 ff. de Leg. et L. 23 ff. de Leg. 5, suo interdum privilegio renunciat: L. 4 Cod. de Legib. L. 4. Cod. ad L. Falcid. §. ult. Inst. Quib mod. testam. Verum Innocentii III. rescripto in c. 12 de For. compet. prohibentur clerici privilegio fori renunciare, quod sapientissime constitutum est, ut Ordinis dignitati consuleretur. Non enim fori privilegium peculiare privilegium est, quod privatam attingit personam unius, alteriusve clerici, sed ad commodum, decusque pertinet ordinis ecclesiastici universi. Potest sane unusquisque pacisci contra jus peculiare, quod privatam personam respicit, eique renunciare c. 6 et 15 de Privileg., c. 16 et 25 de Regular, ut optime distinguit Innocentius III. in cit. c. 12, atque ita intelligenda est Justiniani constitutio in L. 20 Cod. de Pactis. Verum fori privilegium non peculiare, ac privatum est, sed ad totum pertinet ordinem clericorum, ideoque clericus ei renunciare non potest in perniciem juris ecclesiastici; ut inquit Honorius III. cap. 4 de judic. apud Cironium, V. compilat pag. 97 ed. Vindob. 1761: «Ecclesiasticæ personæ non solum invitæ, sed etiam voluntariæ non possunt, ut judicium subeant sæculare, pacisci, cum non sit personale hoc beneficium, cui renunciari valeat, sed indultum potius toti collegio ecclesiastico, cui privatorum pacto derogari non potest.» Sane quemadmodum laicorum judicia, forumque publicum turbari vetat Ecclesia, ita forum suum turbari non sinit; et hoc non est contra legem agere, sed *legi facere subsidium*, uti dicitur in c. 2 de privileg. Late Innocentii rescriptum contra Cujacium tuentur Cironius *in Decretal. Paratitl. de Pactis*, et Gonzalez in cit. c. 12 de for. compet., et contra Fevretium Altaserra de jurisdict. eccles. l. 3 c. 4.

(N. S. Clericos omnes æque superiores, atque inferiores in omnibus fere causis civilibus, criminalibusque Foro Episcopali ita subesse, ut ad laicum tribunal eos vocare, aut trahere omnino vetitum sit, jus est exploratissimum.

In nostro vero Hispaniarum Regno, ab sæculari jurisdictione immunes censentur hujusmodi Clerici, dummodo præscriptas à Tridentino, *Sess.* 23 *Ref.* cap. 6, conditiones impleant; videlicet, ut Beneficium Ecclesiasticum obtineant, vel cuidam Ecclesiæ ex Episcopi mandato inserviant, vel in Seminario, Schola, aut Universitate de licentia Episcopi versentur, simulque cum qualibet ex præfatis conditionibus, clericalem habitum, et tonsuram deferant. Et quantum ad clericalem habitum, declaratum est, quod ex Constit. Pii IV, ea vestimenti forma utantur, qua Presbyteri uti solent, eoque una cum Tonsura, sex saltem ante criminis perpetrationem mensibus induti incesserint:

leg. 6 tit. 10 lib. 1 *Novis. Compilat.* Quin ad cavendas quas delinquentes excogitare solent fraudes, aliæ etiam additæ sunt conditiones ab iis observandæ, qui Fori privilegio ex constitutis à Tridentino regulis potiri velint, quæ sub *Instructionis* nomine adjectæ sunt ad calcem *ejusd.* leg.:

1. Quod ministerium, quod Clericus Ecclesiæ impendit, sit re ipsa tale, perenne, et necessarium, atque ab Episcopo præscriptum.

2. In studium litterarum de licentia Episcopi conveniat, ibique eam disciplinis operam navet, qua prudenter colligi possit, se sacris ordinibus suscipiendis intendere.

3. Tum utraque hæc licentia, non verbis, sed litteris exarata, concedatur ab Episcopo cum Notarii subscriptione, exprimatur etiam necesse est Ecclesia, cui Clericus adscribendus est, et ministerium, cui deputandus: aut Schola, ad quam confertur, et sibi addiscenda scientia, ætas quoque, et personæ qualitas; tum etiam nomen, et patria; adsignato denique die, mense, et anno licentiæ expeditionis.

4. Adhæc Judici sæculari territorii, in quo Clericus, aut Scholaris commoratur, hæc licentia exhibenda, ut in Codice ad id deputato transcribatur, atque insuper Clerico in eadem licentia, vel titulo fides præsentationis adponatur.

5. Demum, delinquente Clerico, et in sæcularis Justitiæ potestate detento, ante latas à Judice Ecclesiastico censuras, tenetur Episcopi licentiam una cum judicis laici testimonio, vel Beneficii titulum producere. Tum et requiritur, quod Parochi, et duo testes jurejurando adseverent, Clericum revera Ecclesiæ inservire, aut Magistri, et duo studentes, Scholarem illum reapse litteris incubuisse.

De Clerico, qui in cœlibatu vivens, habitum officiumque clericale deserat, illud hic quæri potest, num scilicet, dum fori exemptione privatur, reliquis etiam expolietur Clericorum privilegiis? Porro, licet non una sit hac in re Canonistarum opinio, standum tamen omnino sententiæ Benedicti XIV, *De Synod. Diœces.* lib. 7 cap. 66 n. 2, censentis, fori amissionem, ceu *odiosam*, ut ajunt, ad reliqua clericalis ordinis privilegia neutiquam extendendam.

Non abs re hic quoque erit disquirere, in quonam foro conveniendus sit Clericus is, qui abjecerit prius habitum, cœtumque clericalem, ad quem postea redeat; atque vel ante Clericatum, vel in Clericatu quidem, at eo abjecto, aliquid egerit, propter quod ad tribunal deferendus sit? Jam vero Clericus iste ad Ecclesiasticum omnino tribunal trahendus est, si res adhuc sit integra: quod jure civili etiam conforme est: leg. 52 §. 4 *Dig. de Recep. qui arbitr. recep.* Sin autem, antequam vel ad Clericatum accederet, vel ad Clericatum rediret, ad laicum tribunal jam fuerit evocatus, tum certe, ex saniori Canonistarum sententia, distinguatur oportet personalem inter, et realem immunitatem, scilicet, ut quantum ad personam sit immunis, haud vero quantum ad bona: Gagliardus *Inst. Can.* lib. 3 tit 5.

Quod ad Clericos *conjugatos* attinet, qui unicam, et virginem duxerint, in habitu clericali incedant, et de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ ministrent; hos sane in causis dumtaxat criminalibus fori privilegio potiri, sanxit Bonifacius VIII cap. 1 *de Cler. Conjug. in* 6, cui consonant Syn. Tolet. an. 1525, cap. 8; Palent. an. 1388, cap. 3; Aranden. an 1473 cap. 14, et Trident. *Sess.* 23 *Ref.* cap. 6. Hispaniarum quoque legibus, Clerici conjugati in causis criminalibus fori privilegio perfruuntur; in civilibus vero tanquam mere laici habentur: leg. 48 tit. 6 *Partit. I*, et leg. 7 tit. 10 lib. 1 *Novis. Compilat.*

Conversos, Oblatos, sive Donatos, Tertiarios, aliosque id genus Monachos laicos, dummodo monasterium, aliudve religiosum domicilium cum reliquis fratribus incolentes, legitimo pareant Superiori, regularemque habitum gestent, fori prærogativa haud carere, probatum est. Id quod decrevit Alphonsus Sapiens leg. 2 tit. 7 *Partit.* 3; ceteri vero, sive Tertiarii, sive Eremitæ, licet religiosæ vitæ addicti, nulla gaudent immunitate.

Episcoporum *domesticos*, et *familiares*, ea solum ratione, quod ipsorum *commensales* sint, non est cur à sæculari jurisdictione exemptos credamus, præsertim quum ita declaratum sit à Ferdinando, et Elisabetha in *Ordin. Vallisolet.* lib. 3 tit. 10, et in *Granat.* tit. 7 *Sanct.* 6. Videsis *Remiss.* 27 ad tit. 3 lib. 1 *Novæ Recop.* Episcopalis Curiæ Administris, et Ecclesiarum famulis ad mechanica exercitia deputatis, Ecclesiastici fori privilegium nec commune, nec Hispanum Jus unquam indulsit).

V. tom. 1, pagg. 103 *ad fin.*, et 130.

10. Ex causis clericorum quædam sunt majores, quæ ad Episcopos pertinent, et hæ Summi Pontificis judicio reservatæ sunt. Non enim decet, ab inferioribus clericis judicari graviora negotia Episcoporum, quorum tanta, ac tam præclara dignitas est. Lex quidem Ecclesiæ supra Episcopos possuit Metropolitas, et Patriarchas; sed ea nihil detraxit de jure, et potestate Summi Pontificis, quem unum lex Christi Episcopis superiorem fecit (1). Quare suo jure, et omnino ex potestate divinitus in Episcopos accepta, Romani Pontifices eorum sibi causas reservarunt; et hæ sane antiquissima est, ac perpetua Patrum traditione firmata Ecclesiæ consuetudo. Sunt autem majores hæ causæ, confirmationes (2), translationes (3), depositiones (4), restitutiones (5), resignationes (6) Episcoporum.

(1) Agam ea de re latius in tit. de Appellationibus §. 18. ad fin.

(2) Episcoporum electiones semper confirmari consueverunt à Summis Pontificibus, qui id præstabant aut electi consecratione, aut consensu ante, vel post consecrationem dato. Hoc tamen inter orientem, et occidentem discrimen fuisse observat P. Bianchius t. 5 par. 1 l. 3 c. 4 §. 4 p. 513, quod in oriente id fieri sinebant à Patriarchis, quos tamen ipsi Pontifices confirmabant, adeoet, qui ab iis confirmatus non esset, verus Patriarcha non haberetur. Id patet ex iis, quæ gesta sunt à Theodosio M., qui ad Damasum legationem misit, ut Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus ab eo confirmaretur, cujus rei præclarum testimonium est in Ep. 15, S. Bonifacii ad Rufum apud Coustantium col. 1043; item ex actis S. Leonis, qui Anatolium Constantinopolitanum, Proterium Alexandrinum, Maximum Antiochenum Patriarchas confirmavit: Leo M. Ep. 69, 70, 104, 127, 129, 130 ad Theodos. et Pulcher. opp. t. 1 col. 1005, 1009, 1151, 1247, 1254, 1256 ed. Baller. Ven., et Concilium Chalcedonense Act. 10 t. 4. Conc. col. 1599. Collect. Labbæi. Simplicius Joannem Alexandrinum, et Calendionem Antiochenum Patriarchas confirmavit, ut constat ex ejus Ep. 10 ad Acacium, et Ep. 17 t. 5. Conc. col. 112 et 113. Collect. Labbæi. Flavita Constantinopolitanus

007651

non consensit sine Romano Episcopo intronizari, ut testantur Liberatus Breviar. c. 18 p. 127 ed. Garner. Paris. 1675, et Felix P. Epistol. 13 t. 5 Conc. col. 210. Collect. Labbæi. Ipse Felix Euphemium orthodoxum agnovit, sed eum Episcopum haberi noluit, nisi primum ab se confirmatus fuisset, uti narrant Theophanes Chronograph. p. 116 ed. Paris. 1655, et Nicephorus Callixtus Histor. l. 16 c. 19 p. 685 t. 2 ed. Paris. 1630, idque etiam educitur ex Felicis Ep. 14 ad Thalassium Archim. t. 5 Conc. col. 215 coll. Labbæi. Huc etiam refer quod de Agapito P. memoriæ prodidit Liberatus Breviar. c. 21 p. 147 cit. ed. Paris. 1675; quodque Joanni Philadelphiensi scribit Martinus I. Ep. 5 t. 7 Conc. col. 22 collect. Labbæi. Ipse Michael Rousselius, qui certe nimii in Sedem Apostolicam studii suspectus haberi non potest, potestatem hanc Summi Pontificis agnoscit; imo Hist. Pontif. jurisd. l. 2 n. 12 scribit hæc: *Quod si non sæpius, aut absolutius hanc prærogativam exercuit* (Papa), *tribuendum est illius modestiæ, qui non putavit summa sua potestate utendum, nisi ubi necessitas exigeret.* Alia ex oriente exempla collegerunt Hallier de Sacr. elect. et ord. par. 3 sect. 5 c. 4 art. 3 p. 60 ed. Rom. 1741, et P. Bianchius cit. t. 5 par. 1 p. 513 et 518. In occidente vero non tantum Primatus, sed etiam Patriarchatus jure, Episcoporum ordinationes, quæ olim confirmationis loco erant, semper à Sede Apostolica fieri consueverunt. Celebre in primis est ea de re testimonium Innocentii I. Ep. 25 ad Decent. Eugubin. apud Coustantium col. 856. Si quando ab aliis Episcopis in occidente absolutæ sunt Episcoporum ordinationes, id cum venia, et auctoritate Sedis Apostolicæ factum est. Ita Metropolitis Aquilejensi, et Mediolanensi, quod ob difficultatem itineris incommodum esset, eos ab Apostolico ordinari, permissum est, ut ipsi sese invicem ordinarent: Pelagius I. in Fragm. Ep. ad Joannem Patricium in t. 6. Conc. Labbæi col. 482 ed. Venet. Quod adeo verum est, ut in his quoque Ecclesiis Romani Pontifices jus suum agnoverint, et Gregorius M. ut patet ex Ep. 50 l. 3 opp. t. 2 col. 646 ed. Paris. 1705, Joannem Subdiaconum Legatum miserit, ut Mediolanensis Episcopi electioni præesset, et «nostræ, inquit, auctoritatis assensu à propriis Episcopis facias consecrare.» Similiter Ecclesia Ravennatensis, quæ V. sæculo à Summo Pontifice Metropolis est constituta, illius ordinationi subjiciebatur, uti colligitur ex Joanne Ravennæ Episc. in Ep. ad Gregorium M. l. 3 Ep. 57 col. 670 cit. ed. et Agnello in Vit. Mariniani par. 2 p. 201 et in Vit. Theod. p. 319 par. 2 ed. Mutin. quem in locum Bacchinii notæ videndæ sunt. Episcoporum ordinationes, quæ à Revennatensi Metropolita fiebant, judicio Sedis Apostolicæ subjectas fuisse, constat ex Simplicio Ep. 2 ad Joannem Raven. t. 5. Conc. col. 95. Collect. Labbæi. In aliis quoque provinciis jus idem fuisse, ut Episcoporum ordinationes à Sedis Apostolicæ auctoritate penderent, constat ex Vicariis Apostolicis Thessalonicensibus per Illyrium, itemque ex iisdem vicariis in Galliis, et in Anglia constitutis. Confer Siricii Ep. 4 ad Anysium Thessalon. apud Coustantium col. 642, atque, ut mittam Innocentii I., Bonifacii, Sixti, Cælestini literas, Leonem M. ep. 5 c. 2 col. 613 et ep. 6 c. 2 col. 621 opp. t. 1 ed. Ballerin., Bedam histor. anglic. l. 2 c. 18 opp. t. 3 p. 67 ed. Basileæ 1563. Idem in Africa jus fuisse, docet Siricius ep. 5 ad Episc. Afric. apud Coustantium col. 651, in quam epistolam videndus est ipse Coustantius, et videnda in primis sunt, quæ graviter, et præclare animadvertit Cl. Zaccaria Anti-Febron. par. 2 l. 1 c. 4 n. 13. Ipse de Marca Concord. Sacerd. et Imper. l. 1 c. 7 §. 1, 3 et 7, defendit, ordinationes Episcoporum, causasque majores ad jus patriarchicum pertinere; ideoque ejus etiam concessu omnia hæc uni Pontifici in occidente adscribi debent. Vide Blascum. de collect. Isidor. c. 9

§. 1, Zaccariam l. c. c. 3, et Carlium «del Diritto metropolit.» opp. t. 15 p. 272 ed. Mediolani 1786.

(3) Consule quæ supra dixi l. 1 t. 3 sect. 1 §. 18. not. 2 p. 148; et vide etiam Blascum l. c. c. 10 §. 1, Bianchium t. 5 p. 1 c. 4 §. 1 p. 390 seq., et Cl. Mamachium ad auctor. opp. Quid est Papa? ep. 3 t. 1 p. 212 seq.

(4) De Episcoporum depositionibus item ego citat. sect. 1 §. 18. not. 4; p. 149, (et 529) Adde Mamachium l. c. p. 212 seq. De Episcoporum translationibus, renunciationibus, depositionibus, electionum confirmationibus, celebris est Innocentii III. decretalis in cap. 2 de translat.; quam scite explicat, et tuetur Carolus Blascus de collect. Isidor. Mercator. c. 10 §. 2 not. 1 p. 120, et Bianchius l. c. n. 1 p. 390 et seq.

(5) De restitutionibus quoque Episcoporum actum est cit. §. 18 not. 5 p. 150. Videndus est etiam Mamachius l. c. p. 218 seq.

(6) Renunciationum, quæ ab Episcopis nonnisi cum venia, et auctoritate Sedis Apostolicæ factæ sunt, exempla extant apud Leonem M. ep. 167 ad Rust. c. Narbon. col. 1417 t. 1 ed. Ballerin, Gregorium M. l. 11 ep. 47, et l. 13 ep. 5 et 6 opp. t. 2 col. 1155, 1217, 1218 ed. Paris. 1705, Joannem diaconum in Vit. Gregor. l. 4 c. 59 opp. S. Gregor. t. 4 col. 161 cit. ed. Maurin. Paris. Mitto cetera, quæ referunt Zaccaria Anti-Febron. par. 2 l. 1 c. 5 §. 13 p. 228 seq., Bianchius p. 1 t. 5 l. 3 c. 4 §. 2 n. 6 et seq. p. 462 seq., Mamachius l. c. p. 224 et seq. Atque hæc quidem omnia falsis Isidori decretalibus antiquiora sunt, adeout se deridendos præbeant Febronius, Eybelius, ceteri similes, qui hanc Pontificiam potestatem repetunt à falsis decretalibus, quæ multo post in manus hominum pervenerunt. Confer etiam Blascum l. cit. c. 10 §. 2 p. 119.

11. Decretalium jure etiam viduæ, pupilli, ceteræque miserabiles personæ ad ecclesiasticum judicem vocandæ sunt (1); quoniam iis opitulari ab ipsis Ecclesiæ incunabulis non ultimum fuisse constat munus, et curam Episcoporum (2). Quin etiam civiles leges laicorum controversias ecclesiastico judici committunt, non solum cum duo litigantes consentiunt (3), sed etiam cum eorum alter dissentit (4).

(1) Cap. 26 de Verb. signific., et cap. 15 de For. competen. — «Hoc tamen *Decretal.* jus in Hispania non obtinere, observat Cl. Covarrubias *Pract. Quæst.* cap. 6, n. 1.»

(2) Can. 1 et 2 dist. 87. Duo hi canones, qui certe antiquissimi sunt, et antiquam exhibent Ecclesiæ disciplinam, inscriptum habent nomen Gelasii Pontificis; sed quidam sunt, qui eos ipsi abscribendos negant. Verum, ut recte observat Carolus Sebastianus Berardus, *Gratiani canon. genuini* par. 2 c. 46, stylus à Gelasio non dissentit, imo et sententia rescripti generalibus Gelasii sententiis consentanea est. Nam his canonibus constituitur, ut Episcopi viduarum, ac pupillorum præsertim tuitionem habeant, at vero similia prorsus extant in Gelasii ep. 10 ad ep. sicil. apud Labbæum t. 5 conc. col. 321 ed. Ven. Eadem disciplina recepta, ac probata est in Concilio Aurelianensi I. can. 16 ib. col. 549, ac passim à Gregorio M. præsertim ep. 13 et 59 l. 1 opp. t. 2 col. 499 et 549 opp. t. 2 ed. Paris. 1705. Consentit Concilium Matisconense II, can. 12 col. 677 t. 6 collect. Labbæi. Neque vero hi canones ita explicandi, intelligendique sunt, quasi significent meram tuitionem.

ac patrocinium viduarum, et pupillorum, quod in primis Episcopis commissum, et commendatum est. Nam Matisconenses Patres non rogant, sed lata lege, qua omnes obstringi volunt, constituunt, ut sæculares judices viduas, et pupillos sine Episcopi venia non conveniant, et Episcopo absente, ab Archidiacono, vel Presbytero terminos præfiniri volunt ad illorum causas definiendas, pœnamque addunt anathematis adversus judices, qui huic Concilii legi non obtemperaverint. Sunt hæc veri judicii, et jurisdictionis propria, non meri patrocinii, ac tuitionis.

(3) L. 8 et 9 cod. de Episcopal. audient.

(4) Extravag. I. de Episcopal. judic. in appendic. cod. Theodosian. t. 6 p. 339 ed. Lipsiæ 1745; de qua quidem Constantini lege satis supra dictum est l. 3 tit. 1 §. 22 not. 4 p. 18. Atque hæc quidem facultas ab utroque jure laicis concessa deferendi suas causas temporales ad Episcopi judicium, in exitu sæculi XIII., seu potius initio XIV. sarta tecta servabatur. Scribit enim Meyerus annal. Flandriæ l. 10, à Synodo provinciali, quam habuit an. 1301. Remensis Archiepiscopus apud Compendium, anathematis pœnam indictam fuisse adversus laicos Magistratus, *qui non patiebantur, ut laici in foro ecclesiastico convenirentur*; atque in revera colligitur ex ipsius concilii actis apud Labbæum in collect. concilior. t. 14 col. 1344.

(N. S.) Plures sunt causæ civiles, ex quibus Clerici in Curiæ sæcularis potestatem rediguntur. Ac primo pro rebus judicio sæculari adfectis, Foro laico 1 causæ Feudales reservatæ sunt: idque tum jure communi, cap. 6 et 7 *de Foro competenti*, et cap. unic. §. « Verum » *de statu Regularium in VI*; tum quoque jure Hispano, Leg. 57 tit. 6 *Partit. I.* Quinimmo eis Judicem Ecclesiasticum adire interdicitur sub pœna amissionis Feudi, vel Gratiæ: leg. 1 tit. 10 lib. 1. et leg. 5 tit. 4 lib. 3 *Novis. Compilat.*

2. Usu etiam, moribusque receptum est, ut bona quævis temporalia Clericorum defunctorum *jacentia*, ut ajunt, scilicet, ubi de legitimo successore nondum constiterit, Regiæ potestati sint penitus obnoxia.

3 Adhæc quæstiones quælibet controversas hæreditates spectantes, etiam si competitores sint Clerici, sæculari tamen foro discutiendæ, ac definiendæ relinquuntur.

4 Uti quoque pro exsolvendis Clerici defuncti, vel legatis, vel ære alieno laici Judicis sententiæ parendum est. Qua de re in expediendis Decretis vulgo dictis *Præambulorum*, et *spectare spectavisse*, à Judice laico clausula adponi solet: *Salvo jure cujuslibet in judicio, tam universali quam particulari.* Hoc juri etiam civili conforme est; *Leg. unic. Cod. ubi de Hæred. agatur*, et *Leg.* 96 *Dig. de Legat. et Fideicom.*

5. Quum laicus adversum laicum agat ad vindicandam rem, quam Clericus vendiderit, tunc evictionis nomine tenetur hic coram Judice sæculari comparere: Leg. 57 tit. 6 *Partit. I.*

6. Tandem Clericus laici hæres institutus, in Tribunali Regio sistere debet, ad aperiendum, et publicandum testamentum: Leg. 6 tit. 18 lib. 10 *Novis. Compilat.*

Num Clericus ratione Tutelæ, Curæ, alteriusve sæcularis muneris, in Ecclesiastico, an vero in laico foro conveniendus sit, diu concertatum inter Doctores, et adhuc sub judice lis est. Porro verisimilior eorum opinio videtur, qui contendunt ejusmodi Clericum pro rationibus subducendis foro laico subjectum: ad solutionem postea, si ibi debitor adparuerit, à Judice Ecclesiastico compellendum. — Videsis Doctores nostros, Salgado *de Regia Protectione* part. 4 cap. 14, Vela Dissert. 43 et 44; Escobar *de Ratiocin.* cap. 7 à n. 9. Immo vetantur Clerici ullam nisi legitimam tutelam suscipere;

can. 26 Dist. 86; id quod etiam jure Hispano cautum est: Leg. 45 tit. 6 *Partit. I*, et Leg. 14 tit. 16 *Partit. VI.*

Eodem nomine Clerici, qui res vel alienari prohibitas emerint, vel regiis tributis obnoxias, vulgo *controbanni*, adsportaverint, in reali dumtaxat actione Foro laico subjecti sunt. Id quod et jus Decretalium videtur permittere: cap. 1 *de Alienat. Judicii* etc.—Apostolicæ Sedis Nuntius in Hispan. Regnis, Henricus Henriquez, id quoque ratum habendum duxit in suis litteris die 6 Maji an. 1749.—* V. legg. 18 et 19 tit. 1 lib. 2 *Novis. Compilat.**— Idem quoque juris obtinet quantum ad refectionem damnorum, quæ Clericorum pecora, aliave noxia animalia cuicui intulerint: ita expresse cautum est in Leg. 7 tit. 9 lib. 1 *Novis. Compilat.*

Alter titulus, quo Clerici Potestati parent sæculari, est ratio cœpti judicii. Quamobrem si quis adhuc in sæculo manens, litem in foro inchoarit, eaque non peracta, Ordinibus initietur, eam in eodem foro, reali dumtaxat actione, ad exitum usque cogitur persequi; quod cum utroque jure amice conjurat: Leg. 7 *Dig. de Judiciis*, *Leg.* 9 *Dig. de Jurisd. omn. judic*, et cap. 19 *de Foro compet.* Lis quoque cum defuncto laico incœpta, cujus hæres Clericus sit, in sæculari foro prosequenda, neque hæredis clericatus illam ad Ecclesiasticum tribunal devolvet: DD. apud Gagliardum *ibid.* §. 10; expresse autem Alphonsus Sapiens *præf.* Leg. 57.

Tertius vero titulus est ratio reconventionis: quum scilicet Clericus actoris personam agens, aliquem quomodolibet ad laicale forum trahit, ipse in eodem foro reconveniri recte poterit: uti si Clericus à laico per sæcularem Judicem, quod illi mutuo dedit, expetat, etiam laicus suum æs, si illi crediderit, in eodem foro jure reposcet: cap. 1, et 2 *de Mutuis petition.*; et Leg. 57 *ibid.* Excipiendæ tamen causæ omnes criminales, spirituales, æque omnes, in quibus Clericus nomine Ecclesiæ in laicum judicium intenderit, in quo ipsum pro suis rationibus reconvenire nemo quiverit. Eodem reconventionis intuitu Clericum actorem in judicio succumbentem, ad illata reo damna reficienda judex laicus jure damnabit.

Sequitur quartus titulus, scilicet jus *Congrui*, ut ajunt, sive *Retractus*; hoc est ubi Clericus prædium emat in fraudem vicinorum, qui in ea emptione jus habent *Retractus*.—Apud Hispanos jus *Retractus*, est jus concessum consanguineis intra quartum gradum consistentibus, repetendi prædium, ab ejus adscendente cuicui extraneo venditum, infra novem à venditione dies, servata tamen inter eos gradus prærogativa, ut semper proximior præferatur; quod jus in bonis solummodo, quæ vulgo *de Patrimonio, et Abolengo* nominantur, locum habere potest. Sane de hac re nihil nostris Legibus constitutum invenimus; videtur tamen de hoc Clericum conveniri et convenire debere apud Judicem sæcularem: argum. Leg. 57 tit. 6 *Partit. I.*

Ultimus denique titulus est, Jus Principum arcendi violentias à civium possessionibus.—Hic sane titulus Supremæ Regum potestati adhærens, scilicet amovendi violentias, et oppressiones à civium personis, et possessionibus, qui et ab ipsa videtur naturali lege procedere, in debito illo, quod Imperatores Christianos ad Ecclesiam tuendam constringit, fundatur: «Principes enim sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant..... et sæpe per Regnum terrenum cœleste Regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra Fidem, et disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur: Isidorus can. 20 Caus. 23 Q. 5.» Injuriæ quidem, si quæ à Judice Ecclesiastico subditis irrogentur, à nullo nisi à Patre patriæ repelli, aut reparari possunt.

Hanc Regum protectionem necessariam duxerunt Hispaniarum Patres, quippe qui nedum non improbarunt, sed et ratam voluerunt consistere consuetudinem, quod Clericus vel prægravatus, vel inauditus à proprio, vel ab alterius provinciæ Metropolita, *ad Regios auditus negotia sua perlaturus* accederet: Syn. Tolet. XIII. can. 12. Quocirca non immerito Alphonsus Sapiens dixit, Regem constitutum esse ad repellendas subditorum oppressiones: leg. 5 tit. 1 lib 2 *Ordinam. Reg*; ac Philippus II leg. 1 tit. 2 lib. 2 *Novis. Compilat.* ejusmodi Protectionis jus antiqua consuetudine, et Carolus V leg. 2 *ibib.* immemorabili consuetudine confirmatum esse.

Tres sunt casus, in quibus cives violentiam pati possunt à Judice Ecclesiastico: scilicet, *in cognoscendo, et procedendo; in modo cognoscendi, et procedendi; et in denegando adpellationem*: qui quidem recensentur leg. 17 *ibid.* Quamobrem 1 Clericus existimans se à Judice Ecclesiastico oppressum, ad Tribunal Auditorum Provinciæ, in qua passus est injuriam, accedere debet: leg. 4 *ib.*, per quod Processus originales à Judice Ecclesiastico exiguntur, quibus inspectis, violentia removetur, si adfuerit; si vero eam non interfuisse deprehendatur, ad eumdem Ecclesiasticum judicem Processus devolvuntur, damnato in expensis petitore: leg. 2 *citat.*

2. Recursus Visitationis utriusque sexus Regularium, in Regio Castellæ Senatu discutiuntur: leg. 9 *ibid.*

3. Recursus, qui in jure Protectorio, et in exsecutione Concilii Tridentini fundantur, et recursus quoque à violentiis Judicum Conservatorum, in eodem Supr. Castellæ Senatu cognoscuntur; leg. 10 tit. 2 lib. 2, et 9 tit. 6 lib. 1 *Novis. Compilat.*

4. In causis de Episcoporum spoliis, violentiæ recursus in Prima Gubernii Aula Supr. Castellæ Senat. dirimuntur: not. 5. cit. tit. 2.

5. Causarum Regii Patronatus recursus, primo in Regio Cameræ Tribunali expendi debent per viam Retentionis, et per Provisiones, quæ vocantur *per contemptum Regiæ dignitatis*; in quo si locum non adesse Retentioni declaretur, in Supr. Castellæ Senatu, omnibus convenientibus Consiliariis, recursus violentiæ discutitur: leg. 14 cit. tit. 2.

6. Postremo animadvertere oportet, locum non esse violentiæ recursui, nisi in Decretis, quæ vim definitivorum habent, non in mere interlocutoriis: leg. 3 ejusd tit. 2. Neque in causis Supr. Inquisitionis Tribunalis: ex leg. 3 et 5 tit. 7 laud. lib. 2. Neque in causis Tribunalis S. Cruciatæ: leg. 2 tit. 11 leg. 5 tit. 7 lib. 2 *Novis. Compilat.*

Quantum ad leg. 7 tit. 9 lib. 1. *Novis. Compilat.*, animadvertere occurrit, ibi tantum exprimi, clericos ad solutionem pro damnis, de queis agit, ut laicos, obligari: non tamen ad id per sæculares judices urgendos: «todos, asi clérigos como legos, paguen prorata lo que les cupiere: y mandamos que las prendas se cobren asi de los unos como de los otros:» hoc, non amplius, continet talis dispositio.

Quoad juris remedium, apud nos *Recurso de fuerza* appellatum, de quo isthic sermonem habent Selvagii Adnotat., V. Cl. Paris. Archiepiscopi D. Affre opus *De l' Appel comme d' abus*, ubi erudite sapienterque ea de re agitur; *Diction.* quoque *Jur. Canon.* à Presb. Andrè, edit. Matrit. sæpe laud. art. *Recurso de fuerza*, in quo ejusdem institutionis incommoda summatim exponuntur. Pluribus quidem gravibusque abusibus obnoxiam esse, nemo nescit. Apud nos ob speciales quasdam causas et extraordinarias circumstantias admissam fuisse, ac deinde in commune abiisse jus, demonstrare haud difficile. Patrias nos sanctiones, quæ id stabiliunt, reveremur: ac si forte cum juris Eccl. publici doctrinis, sub aliquo saltem respectu, conciliare

non obtinemus, manere tamen sinamus donec utriusque Potestatis consensu in proposito novitas inducatur.

V. tit. 2 lib. 2 *Novis. Compilat.* legg. et not.; et observa, recursus protect. Trid. Concil., ad Senatum vulgo *Consejo Real* deferendos, et de Reg. Patronatu lites, ipso consulto, coram supremo Justit. tribunali agendas et definiendas esse: Reg. Prov. citat. art. 90; leg. 6 Jul. 1815. Quod *spoliorum* causas spectat, de iis respect. Collector generalis, ac diœceseon subcollectores cognoscebant ante novis. Concordatum, cujus art. 12 ad tom. 1 pag. 195 consignavimus.»

12. Sed non est satis considerare, quæ sit natura causæ, de qua quæritur, et qui status personæ, quæ in jus vocatur, ut constet, num à laico, an potius ab ecclesiastico judice negotium agendum sit. Non enim omnis ecclesiasticus, aut laicus judex assumi sine delectu potest, sed illud præterea requiritur, ut proprius judex sit, qui videlicet in reum habeat jurisdictionem. Nam reus invitus in judicium rapitur, et ideo necesse est eum vocare ad judicem, cui jus est ejus vocandi, et cogendi.

13. Reus autem, sive in ecclesiasticis, sive in civilibus judiciis, ex quatuor præsertim causis apud certum judicem forum habet, nimirum ex domicilio, ex contractu, ex re sita, ex delicto (1). Domicilium, si cum naturali origine conjunctum non sit, tale esse debet, ut manifesto constet, illud certo in loco fuisse constitutum. Nam sola habitatio non est satis, ut domicilii jura acquirantur; sed præterea requiritur, quod quis in certo loco per decennium commoratus sedem posuerit (2), aut ibi fixerit, et locaverit, nunquam inde discedendi animo, lares et summam fortunarum (3). Præter hoc cujusque proprium domicilium, Jus Romanum aliud etiam agnoscit commune omnibus, idque ipsa Roma erat (4). Quare unusquisque ibi repertus conveniri poterat, nisi jus revocandi domum haberet (5). Simili modo clerici Romæ reperti, nisi ad eam venerint ex justa, et necessaria causa, propter quam revocandi domum jus habeant, judicio vocati respondere coguntur, quoniam communis omnium clericorum patria Roma est (6).

(1) Cap. ult. de For. competen.;—leg. 22 tit. 2 *Partitæ* III.»
(2) L. 2 cod. de incolis lib. 10.
(3) L. 7 cod. eod Quod si quis plura in diversis diœcesibus habeat domicilia, apud unum ex iis quemlibet ordinarium recte in jus vocabitur l. 29 ff. ad municip. cap. 15 de for. competen. *At sola domus possesio, quæ in aliena civitate comparatur*, domicilium non facit, ut tradit Papinianus in l. 17 §. 13 ff. ad municipal.
(4) L. 33 ff. ad municipal.

(5) L 2 §. 2 ff. de judic.
(6) Cap. ult. de For. competen.

14. Altera causa, propter quam aliquis certum habet forum, et judicem, est contractus. Nam ubi quis contraxit, ibi actione in personam reus præsens convenitur (1). Si formula contractus locum non expressit, quo solvenda pecunia est, is locus intelligitur, in quo res gesta est (2); si expressit, in eo loco, qui designatus est, judicium agere oportet (3). Quod si is, qui certo loco solvere promissit, ad locum non accedat, quod vel data opera facit, vel quod alibi necessario detinetur, composita est in eam rem utilis actio «de eo, quod certo» loco (4); qua actione actor, cui quid certo loco promissum est, nec tamen datum, alio etiam loco judicium exercet (5); modo idoneus, et legitimus locus sit, is videlicet, in quo non alio designato loco, reus, aut contractus, aut domicilii causa, conveniri debuisset (6).

(1) L. 19 §. 1, l. 20 et 45 ff. de Judic., cap. 1 §. 3 de For. competen. in 6.
(2) Cit. l. 19 §. 1, et l. 45 ff. de Judic.
(3) L. 3 ff. de Bon. auctor. jud. possid., l. 19 §. ult., et l. 20 ff. de judic. l. 20 ff. de act. et oblig.
(4) L. 1 ff. de Eo quod cert. loc.
(5) Confer titulum Pandectarum de eo quod certo loc.
(6) In hanc sententiam scripta est l. 19 ff. de Judic., atque in hanc eamdem sententiam actionem de eo, quod certo loco, Jus Canonicum recepit cap. 17 de For. competen.

15. Delicti causa, ubi quis deliquit, ibi judicio in personam convenitur. Nam ubi crimen est patratum, ibi facilior est probationum copia, et majus expensarum compendium; præterea curandum est, ut reus prosit exemplo pœnæ, ubi obfuit exemplo delicti (1). Quod si reus à loco delicti absit, etiam ubi reperitur, ea de re quæri potest (2); nisi magistratus loci patrati criminis reum ad se mitti petat, ut in loco delicti meritis plectatur pœnis (3). Verum in hoc toto negocio servare oportet locorum consuetudines, et pacta conventa inter supremos Principes; quandoquidem scitum est, neminen extra suum territorium jurisdictionem exercere, sive in suos, sive in alienos, posse (4).

(1) L. 7 et 22 ff. de Accusat., l. 1, cod. ubi de crimin. ager. oport., l. 1 cod. ubi senator., cap. 14 de for. competen. Vide etiam S. Cyprianum ep. 59 p. 266 ed. Amstelædami 1700.
(2) L. 1 cod. ubi de crimin.

(3) L. 7 et 11 ff. de custod. et exhibit. reor., novell. 134 c. 2, Cap. 1 de Raptor., can. 4 et 5 caus. 6 q. 3. In eamdem sententiam est can 1 caus. 3 q. 6, quem canonem Gratianus eduxit ex epistola S. Fabiani Pontificis, hoc est, ex falsis decretalibus Isidori Mercatoris.
(4) Cap. 2 de Constit. in 6.

16. Locus quoque in quo res, de qua quæritur, sita est, proprium judicem facit. Nam ibi in rem actio adversus possidentem instituitur, quasi actio rem ipsam persequi videatur (1). Neque refert, immobilis ne, an mobilis res controversa sit; quin etiam si possessor absit, actio intenditur (2). Num autem necessarium omnino sit actione in rem cum reo agere in loco, in quo sita res est, an etiam actori liceat exercere judicium in loco domicilii, vetus disputatio est. Sed hoc posterius fori usus recepisse videtur (3). Jure Canonico etiam propter beneficium, veluti propter rem sitam, competens forum evadit (4); ideoque in causis beneficiariis recte clerici ad Episcopum beneficii vocantur.

(1) L. 3 cod. ubi in rem actio, cap. 3 de for. competen.
(2) L. 2 cod. ubi in rem actio.
(3) Consule Hotomanum l. 3 observ. 3, Duarenum ad tit. de judic. cod. de for. compet., Donellum de jur. civil. l. 17 c. 17 opp. t. 4 p. 1275 ed. Lucæ, Vinnium select. jur. q. l. 1 c. 18.
(4) Cap. 3 de tempor. ordinat. in 6.

17. Sunt etiam alii modi, quibus forum competens, et proprium efficitur; quales præcipui sunt privilegium, continentia causæ et consensus litigantium. Porro jure Romano pupillis, viduis, et ceteris miserabilibus personis fori electio concessa est (1). Similiter jure Decretalium monachi, regulares (2), ecclesiæ multæ, et multa item capitula canonicorum, Sedis Apostolicæ privilegiis, vel omnino, vel ex parte ab Episcoporum jurisdictione subtracta sunt. Itaque horum causæ, aut à Sede Apostolica, aut ab eo judice, cui sunt addictæ, cognoscuntur. Nec prætereunda peculiaria quorumdam privilegia, qualia sunt illa concessa certis corporibus, atque collegiis, pluribusque gymnasiis, et academiis, quibus qui addicti sunt, hi proprium habent judicem, ad quem tantum vocantur (3).

(1) L. unic. cod. Quand. Imperator.
(2) Consule Fagnanum in cap. cum dilectus 8 de relig. domib. n. 17, et in cap. Tuarum n. 18 de privileg., ubi etiam describitur celebris Sixti IV. Constitutio, quam «Mare magnum» appellant. Ceterum de Regularium exemptione late disserui l. 2 tit. 10 §. 3 et in not., p. 254 et seq. Sed præter auc-

tores eo loco indicatos, vide etiam Gagliardum instit. canonic. l. 3 tit. 12 §. 19 et seq., ubi harum exemptionum multa habes antiqua monumenta, quæ à Natali Alexandro, Ughellio, Mabillonio, Muratorio, aliisque viris doctis collecta sunt. Novissime de Regularium exemptione graviter, solideque disseruit Emmanuel Iturriaga, auctor epistolæ, editæ Assisii an. 1785, «Su l' esenzione de' Regolari dalla *giurisdizione* de' Vescovi, e su le cause matrimoniali.»

(N. S. Hispani Cathedralium Ecclesiarum Canonici, Monachorum exemplis exstimulati, simul ac regularem, quæ S. Augustini dicta est, disciplinam receperunt, sæculo nimirum undecimo, ad exemptionum adsequenda privilegia properarunt. At longe diversa est Monachorum, ac Canonicorum exemptio: illa quippe plena est, et nihil pæne relictum, in quo Episcoporum jurisdictioni Monachi subsint, etiam post Tridentinum; hæc vero criminales, ut plurimum, tantummodo causas respicit; ita ut in hujusmodi causis Episcopus in Canonicos procedere nequeat, nisi adjunctis sibi duobus è Capitulo, ab ipso in unoquoque anno adsignandis: *Trid. Sess.* 25 *de Ref.* cap. 6. Hæc primigeniæ Conciliorum doctrinæ conformis est. Episcopus enim nonnisi collecto Presbyterorum cœtu, Clericorum delicta examinare, et sententiam in eos ferre solebat. Ita decrevit Syn. Hispal. II can. 6 his verbis: «Juxta priscorum Patrum Synodalem sententiam, nullus nostrum, sine Concilii examine, dejiciendum quemlibet Presbyterum, vel Diaconum audeat.» Porro antiquorum Patrum sententiæ exstant in Syn. Carthag. I can. 11, et Carthag. II. can. 10. Consonat Syn. Tolet. XI can. 7, Brac. III can. 7, et Tolet. XIII can. 2. Immo expedire admodum ita fieri, censuit eadem Syn. Hispal. II ibid. «Episcopus enim, ait, Sacerdotibus, et Ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest.»)

(3) Late, ac diligenter de hoc privilegio, quo Academiæ fruuntur, disputat Scipio Gentilis de jurisdict. l. 3 c. 17 opp. t. 3 p. 276 ed. Neapol. 1764.

18. Etiam continentia causæ facit, ux judex, qui competens non esset, competens evadat; nimirum si quæstio princeps in cursu judicii incidentem quæstionem habeat, cujus illi cognitio directo commissa non erat. Tunc enim idem judex utramque controversiam noscit, ne res iter se nexæ, et jugatæ dividantur (1). Hinc Decretales foro ecclesiastico addicunt causas de dote, deque alimentis præstandis, quæ matrimonialibus incidunt (2).

(1) L. 10 cod de Judic.
(2) Cap. 3 de donation. int. vir. et uxor.

19. Denique litigantium consensu jurisdictio profertur, sive, ut dici solet, prorogatur, et tunc alius judex, quam cujus notio est, litigantium voluntate proprius, et competens evadit (1). Licet enim jure Romano litigantibus in alienum judicem consentire, dummodo ipse jurisdictionem habeat (2); nam quæ in privatis viris nulla est, jurisdictio prorogari non potest (3). Clerici cum Episcopi consensu in alienum judicem ecclesiasticum recte

consentiunt (4), in laicum vero consentire nulla ratione possunt (5).

(1) L. 1 cod. de jurisdict. Verum si prius quam adiretur alienus judex, mutata voluntas fuerit, procul dubio nemo compellitur huic conventioni stare, inquit Aphricanus l. 18 ff. de jurisd.
(2) L. 1 et 2 ff. de judic.
(3) L. 3 cod. de jurisdict.
(4) Cap. 18 de for. competen.
(5) Cap. 12 eod. Hanc Innocentii III. constitutionem minus vere, minusque recte, uti supra animadverti § 9 not 3, reprehendit Cujacius, quem præter Cironium, aliosque ibi laudatos, solide etiam, graviterque refellit Carolus Gagliardus instit. canonic. l. 3 tit. 10 § 5 et seq.

(N. S. Idem quoque de temporalibus laicorum causis intelligi oportet; quamvis enim ad ecclesiastici Judicis manum deductæ sint, nihil exinde ejus jurisdictioni accedit; imo eo ipso actor sua cadet actione, et processus, tamquam in irritum factus, revocabitur: leg. 7 tit. 1 lib. 4 *Novis. Compilat.*).

TITULUS V.

DE LIBELLI OBLATIONE, DEQUE IN JUS VOCANDO.

1. LIBELLUS QUID?—2. ACCUSATORIUS, VEL CONVENTIONALIS.—3. QUOMODO JUS ACTORIS LIBELLO EXPRIMENDUM?—4. QUID LIBELLO COMPREHENDENDUM?—5. QUIBUS MODIS PLUS PETATUR?—6. PŒNÆ ADVERSUS PLUS PETENTES CONSTITUTÆ.—7. EMENDATIO, ET MUTATIO LIBELLI.—8. QUID IN JUS VOCATIO, ET QUEMADMODUM FACIENDA?—9. CITATIO.—10. JUDICIUM A CITATIONE INCHOANDUM.—11. EA VEL REALIS, VEL VERBALIS EST.—12. CITATIO VERBALIS, VEL SIMPLEX, VEL PEREMPTORIA.—13. QUOMODO CITATIO REO SIGNIFICANDA?—14. CITATIO IN ALIENO TERRITORIO, EJUSQUE IN ACTIS RELATIO.—15 AD 19. QUÆ IN CITATIONE OBSERVANDA?—20. EFFECTUS CITATIONIS.

1.

POSTEAQUAM consideravit actor, quis proprius et competens judex sit, *in judicio* (*a*) *postulationem deponit* (1), hoc est, apud acta deponit libellum, quo actio continetur (2). Actio est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur (3); brevis scriptura, qua hæc actio, et actoris petitio clare, et distincte proponitur, *libellus* appellatur (4). Reo post libelli oblationem, dantur viginti dierum induciæ, ut deliberet, cedat ne, an resistat, pareat ne judici, an eum recuset (5).

(*a*) * Huc referri potest Barcinon. Selvag. Edit. adnotatio, quæ sic se habet: «In inferioribus curiis ecclesiasticis, non secus ac civilibus, cum *ordinaria* judicia agitantur, ex Reg. ord. 10 Apr. an. 1836, appellationes *in duplici effectu* admitti debent; servando in ceteris juris civilis præscriptum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL

tores eo loco indicatos, vide etiam Gagliardum instit. canonic. l. 3 tit. 12 §. 19 et seq., ubi harum exemptionum multa habes antiqua monumenta, quæ à Natali Alexandro, Ughellio, Mabillonio, Muratorio, aliisque viris doctis collecta sunt. Novissime de Regularium exemptione graviter, solideque disseruit Emmanuel Iturriaga, auctor epistolæ, editæ Assisii an. 1785, «Su l' esenzione de' Regolari dalla *giurisdizione* de' Vescovi, e su le cause matrimoniali.»

(N. S. Hispani Cathedralium Ecclesiarum Canonici, Monachorum exemplis exstimulati, simul ac regularem, quæ S. Augustini dicta est, disciplinam receperunt, sæculo nimirum undecimo, ad exemptionum adsequenda privilegia properarunt. At longe diversa est Monachorum, ac Canonicorum exemptio: illa quippe plena est, et nihil pæne relictum, in quo Episcoporum jurisdictioni Monachi subsint, etiam post Tridentinum; hæc vero criminales, ut plurimum, tantummodo causas respicit; ita ut in hujusmodi causis Episcopus in Canonicos procedere nequeat, nisi adjunctis sibi duobus è Capitulo, ab ipso in unoquoque anno adsignandis: *Trid. Sess.* 25 *de Ref.* cap. 6. Hæc primigeniæ Conciliorum doctrinæ conformis est. Episcopus enim nonnisi collecto Presbyterorum cœtu, Clericorum delicta examinare, et sententiam in eos ferre solebat. Ita decrevit Syn. Hispal. II can. 6 his verbis: «Juxta priscorum Patrum Synodalem sententiam, nullus nostrum, sine Concilii examine, dejiciendum quemlibet Presbyterum, vel Diaconum audeat.» Porro antiquorum Patrum sententiæ exstant in Syn. Carthag. I can. 11, et Carthag. II. can. 10. Consonat Syn. Tolet. XI can. 7, Brac. III can. 7, et Tolet. XIII can. 2. Immo expedire admodum ita fieri, censuit eadem Syn. Hispal. II ibid. «Episcopus enim, ait, Sacerdotibus, et Ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest.»)

(3) Late, ac diligenter de hoc privilegio, quo Academiæ fruuntur, disputat Scipio Gentilis de jurisdict. l. 3 c. 17 opp. t. 3 p. 276 ed. Neapol. 1764.

18. Etiam continentia causæ facit, ux judex, qui competens non esset, competens evadat; nimirum si quæstio princeps in cursu judicii incidentem quæstionem habeat, cujus illi cognitio directo commissa non erat. Tunc enim idem judex utramque controversiam noscit, ne res iter se nexæ, et jugatæ dividantur (1). Hinc Decretales foro ecclesiastico addicunt causas de dote, deque alimentis præstandis, quæ matrimonialibus incidunt (2).

(1) L. 10 cod de Judic.
(2) Cap. 3 de donation. int. vir. et uxor.

19. Denique litigantium consensu jurisdictio profertur, sive, ut dici solet, prorogatur, et tunc alius judex, quam cujus notio est, litigantium voluntate proprius, et competens evadit (1). Licet enim jure Romano litigantibus in alienum judicem consentire, dummodo ipse jurisdictionem habeat (2); nam quæ in privatis viris nulla est, jurisdictio prorogari non potest (3). Clerici cum Episcopi consensu in alienum judicem ecclesiasticum recte

consentiunt (4), in laicum vero consentire nulla ratione possunt (5).

(1) L. 1 cod. de jurisdict. Verum si prius quam adiretur alienus judex, mutata voluntas fuerit, procul dubio nemo compellitur huic conventioni stare, inquit Aphricanus l. 18 ff. de jurisd.
(2) L. 1 et 2 ff. de judic.
(3) L. 3 cod. de jurisdict.
(4) Cap. 18 de for. competen.
(5) Cap. 12 eod. Hanc Innocentii III. constitutionem minus vere, minusque recte, uti supra animadverti § 9 not 3, reprehendit Cujacius, quem præter Cironium, aliosque ibi laudatos, solide etiam, graviterque refellit Carolus Gagliardus instit. canonic. l. 3 tit. 10 § 5 et seq.

(N. S. Idem quoque de temporalibus laicorum causis intelligi oportet; quamvis enim ad ecclesiastici Judicis manum deductæ sint, nihil exinde ejus jurisdictioni accedit; imo eo ipso actor sua cadet actione, et processus, tamquam in irritum factus, revocabitur: leg. 7 tit. 1 lib. 4 *Novis. Compilat.*).

TITULUS V.

DE LIBELLI OBLATIONE, DEQUE IN JUS VOCANDO.

1. LIBELLUS QUID?—2. ACCUSATORIUS, VEL CONVENTIONALIS.—3. QUOMODO JUS ACTORIS LIBELLO EXPRIMENDUM?—4. QUID LIBELLO COMPREHENDENDUM?—5. QUIBUS MODIS PLUS PETATUR?—6. PŒNÆ ADVERSUS PLUS PETENTES CONSTITUTÆ.—7. EMENDATIO, ET MUTATIO LIBELLI.—8. QUID IN JUS VOCATIO, ET QUEMADMODUM FACIENDA?—9. CITATIO.—10. JUDICIUM A CITATIONE INCHOANDUM.—11. EA VEL REALIS, VEL VERBALIS EST.—12. CITATIO VERBALIS, VEL SIMPLEX, VEL PEREMPTORIA.—13. QUOMODO CITATIO REO SIGNIFICANDA?—14. CITATIO IN ALIENO TERRITORIO, EJUSQUE IN ACTIS RELATIO.—15 AD 19. QUÆ IN CITATIONE OBSERVANDA?—20. EFFECTUS CITATIONIS.

1.

POSTEAQUAM consideravit actor, quis proprius et competens judex sit, *in judicio* (*a*) *postulationem deponit* (1), hoc est, apud acta deponit libellum, quo actio continetur (2). Actio est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur (3); brevis scriptura, qua hæc actio, et actoris petitio clare, et distincte proponitur, *libellus* appellatur (4). Reo post libelli oblationem, dantur viginti dierum induciæ, ut deliberet, cedat ne, an resistat, pareat ne judici, an eum recuset (5).

(*a*) * Huc referri potest Barcinon. Selvag. Edit. adnotatio, quæ sic se habet: «In inferioribus curiis ecclesiasticis, non secus ac civilibus, cum *ordinaria* judicia agitantur, ex Reg. ord. 10 Apr. an. 1836, appellationes *in duplici effectu* admitti debent; servando in ceteris juris civilis præscriptum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL

omissa quacumque contraria consuetudine. Similiter, ex cit. Reg. ord., ecclesiastica tribunalia observare tenentur alteram ord. 15 Februar. an. 1835, cujus vi ad legum præscriptum atque civilium curiarum morem, appellatione vel quolibet alio recursu interposito, originalem processum ad superiorem remittere coguntur. Ex priore adducta ordin. nascitur inter interpretes quæstio; utrum ecclesiastica tribunalia, saltem inferiora, civilium instar suos debeant processus ordinare? Nos quidem, ultro ab illius decissione supersedentes, tantum meminimus, in praxi, revera civilis processus instructionis leges in ecclesiasticis curiis observari. Vid. Reg. ordin. 31 Jan. an. 1837, restaurantem Comitior. decret. 20 Mart. an. 1821. Vid. etiam alterum Comitior. decret. 18 Maji an. 1821, denuo stabilitum Reg. decret. 27 Jan. an. 1837, cujus art. 4 jubetur, ut judicium sic dictum *conciliatorium* celebretur in causis divortii, non vero in judiciis verbalibus, neque generatim in causis ecclesiasticis, in quibus partium concordiæ locus non sit. Ade demum Reg. ord. 31 Mart. an. 1839, ubi parochis ceterisque clericis facultas decernitur, judiciis verbalibus atque conciliatoriis interessendi, ut *hominum bonorum*, uti vocant, officio fungantur.» (tom. 3 pag. 85 et seq.)

Addere oportet, Reg. decreto 30 Sept. 1853, novam sancitam esse ordinandorum civilium processuum methodum, vulgo «Instruccion del procedimiento civil con respecto á la Real jurisdiccion ordinaria;» cujus revisionem ac reformationem præcipiunt Regg. ordinat. 14 Jan. et 10 Maji labentis an. 1854.

Nec omittenda alia Reg. ordinat. 14 Sept. 1853, ad Asturic. diœceseos Vicar. gen. directa, quæ ita concepta est: «Al dictar el Gobierno de S. M. el Real decreto de 8 de agosto (an. 1851), relativo al uso del *papel sellado*, no tuvo por objeto comprender en él á los tribunales eclesiasticos; y por lo tanto deben estos continuar, como hasta aqui, rigiéndose por las resoluciones anteriores espedidas en la materia.»

(1) Ita loquitur Honorius l. 3 cod. de præscript. 30 ann., et Justinianus l. ult. cod. eod.

(2) Novell. 53 c. 3.

(N. S. Antiquitus non *libellus* modo, verum et quæcumque scriptura in Judiciis Ecclesiasticis ignota: Justinianus *Novella* 83 *in præf.*; quam ex interpretatione Juliani refert Gratianus Can. 45 Caus. 11 Q. 1: «Ubi autem Episcopus causam dirimere vult, sine scriptura omnia procedant, et definitiva sententia sive scriptis ab eo proferatur.» Atque adeo etiam jure novo, ex generali illa Regula excipiendæ causæ omnes leviores, et breviores, quas judicio summario absolvendas præscribit Clement. II *de Verb. signif.*; et Syn. Hispal. an. 1512 cap. 57; leg. 41 tit. 2 *Partit.* III, et leg. 8 tit. 5 lib. 11 *Novis. Compilat.*)

«V. leg. 40 tit. 2 *Partitæ III;* leg. 4 tit. 5 lib. 11 *Novis. Compilat.*, ubi *libelli* (*demanda*) conditiones exponuntur.»

(3) L. 50 ff. de act., et princip. Instit. de Action.

(4) Multa libellorum genera habes apud Brissonium de verb. signific. De S. Cyrillo Hierosolymitano Episcopo, qui à Seleucensi concilio depositus fuerat, narrat Socrates histor. l. 2 c. 40 p. 154 ed. Valesii Cantabrig. 1720, eum libello provocasse; præterea Sylvanum Troadis Episcopum supplicantium libellos accepisse, eisque judicem dedisse, scribit idem Socrates l. 7 c. 37 p. 388. Unde intelligimus, ea jam ætate in ecclesiasticis judiciis adhibitas fuisse solemnitates, quæ in civilibus adhibebantur.

(5) Novell. 53 c. 3, quam refert Gratianus can. 4 c. 3 q. 3 §. offeratur. Consule Cujacium in eamd. novel. 53 opp. t. 2 col. 961 et 962 ed. cit.

2. Libellus vel conventionalis, vel accusatorius est. Conventionali utimur in civilibus negotiis, accusatorio in causis criminalibus, cum reum criminis apud judicem accusamus. Clarus, et obscuritatis expers libellus uterque esse debet, quodque petitur perspicue significandum est (1). Non enim subobscuro libello respondere reus cogitur, et judex recte potest rejicere libellum, in quo non omnia dilucide, et explicate declarentur.

(1) Cap. 2 de libell. oblat.

3. Antiquo jure Romanorum certæ, ac solemnes erant constitutæ formulæ, cum quibus actio institui debebat, et eas actor à Prætore impetrabat. Sed postea, sublatis ambagibus, et subtilitatibus formularum (1), placuit libello exprimere genus, speciem et nomen actionis, quæ in judicium deduceretur (2). Verum Decretales de exprimendo nomine actionis, qua quis usurus est, non admodum laborant; modo res ipsa ita clare, apteque proponatur, ut ex ea jus petentis manifestum sit (3).

(1) L. 1 et 2 cod. de Formul. et impetr. act. sublat.

(2) L. 3 cod. de Eden., l. ult. cod. de interdict. Consule Cujacium in cap. 6 de judic. opp. t. 6 col. 763 et 764 ed. Mutin. seu Ven. 1778.

(3) Cap. 6 de judic. Confer Donellum de jur. civil. l. 23 c. 4 §. ult. col. 64 ibique Hilligerum in not. opp. t. 6 cit. ed. Lucæ.

4. Accusatorius libellus complecti debet nomen accusatoris, rei accusati, et judicis coram quo accusatio instituitur, præterea tempus, locumque criminis. Conventionalis autem contineat oportet nomen actoris, rei, atque judicis, rem petitam, et petendi causam. Cum agitur actione in rem, satis est exprimere causam actionis proximam, puta dominium; cum exercetur actio in personam, exprimi debet tum proxima, hoc est obligatio, tum remota, hoc est titulus, ex quo obligatio nata est (1).

(1) Cap. ult. de libell. oblation. Consule Donellum l. c. §. 3 ibique Hilligerum in not. col. 57 et seq.

5. In offerendo libello præcipue curandum est, ne plus petatur, quod fit quatuor modis, re, tempore, loco et causa. Re plus petitur, si ex. gr. petantur triginta, cum viginti deberentur, aut si is, cujus ex parte res est, vel eam totam, vel majorem partem suam esse contendat; tempore, si ante statutum diem, vel ante conditionem actio instituatur; loco, si quis, quod sibi

certo loco dari stipulatus est, alio petat, nulla illius loci facta mentione; causa, si quis certam rem petat, cum debitor posset dare, quod mallet suo arbitratu (1). Jure veteri plus petens actor causa cadebat (2): sed jure novo civili aliæ adversus plus petentium importunitatem pœnæ sunt constitutæ (3).

(1) §. 33. Inst. de action.

(2) Paulus recept. senten. l. 1 tit. 10 §. 1 apud Schultingium jurisprud vet. Ante-Justinian. p. 241. ed. Lipsiæ 1737 §. 33 inst. cit. Hinc illud Plauti in mostellar. act. 3 scen. 1 v. 125 p. 528 t. 1 ed. Lugdun. Batav. 1669; *velim quidem hercle ut uno nummo plus petas*. Num autem id lege 12 tabularum, an potius edicto prætoris factum fuerit, non satis compertum est. Consule Rævardum varior. l. 3 c. 14 p. 69 t. 2 ed. Neapol. 1779.

(3) Zeno Imperator adversus eum, qui ante tempus petiit, temporis inducias duplicari, atque his finitis, reum cogi non posse voluit ad suscipiendam litem, nisi prioris litis impensæ solutæ fuissent. Constitutio hæc desideratur, sed ejus epitomen ex Basilicis eduxit Cujacius observat. l. 12 c. 21 opp. t. 3 col. 319 ed. cit. Contra eos, qui re, aut loco, aut causa plus peterent, tripli pœnam constituit Justinianus cit. §. 33 inst. de action.

6. Jure canonico, qui re, aut causa plus petunt, in expensas condemnantur, qui loco in id, quod debitoris interest, denique qui tempore plus petierint, duplo majores inducias reo tribuere debent, neque ipse cogitur judicium suscipere, nisi antea prioris litis expensæ solvantur (1). Nunc fere omnes eo jure utuntur, ut reus ante tempus conventus, tantum à judicii observatione liberetur, et actor quidem in litis expensas condemnetur, sed ei tamen integrum sit reum in judicium vocare, cum primum obligationis diem venisse constat. In ceteris hujusmodi petitionibus reo licet offerre plus petenti, quod se debere censet; id vero si non accipiat actor, neque aliud revera judex deberi intelligit, actor, uti timere litigans, in expensas condemnatur (2).

(1) Cap. unic. de plur. petition.

(1) Confer Vinnium in Instit. l. 4 tit. 6 §. 3, et Voetum in Pandect. l. 5 tit. 1 §. 25.

* V. legg. 42, 43, 44, 45, 48, tit. 2. *Partitæ III.**

7. Emendatur interdum libellus, interdum etiam mutatur; cum videlicet pridem instituta actione retenta, aliquid adjicitur, aut detrahitur, vel cum prima actione repudiata, nova instituitur. Ita qui pro decem, quæ sibi ex causa mutui deberi dixit, ex eadem illa causa petit viginti, libellum emendat; mutat autem qui fundum, quem ex testamento petierat, deinceps ex stipulatu petit. Utrumque fieri potest etiam post litem contesta-

tam (1); sed qui contestata lite actionem mutat, prioris judicii expensas solvere debet, et novum dare libellum, novasque ad deliberandum inducias reo. At vero libelli solemnitas in causis sumariis non est necessaria.

(1) Consule Donellum de jur. civil. l. 23 cap. 5 et ad tit. instit. de action. §. 27 opp. t. 6 col. 65 et seq. et col. 859 et seq. ed. Lucæ cit., et Voetum in Pandect. l. 2 tit. 15 § 9 et seq.

* V. leg. 2 tit. 16 lib. 11 *Novis. Compilat.**

8. Oblato ab actore libello, qui est quasi primus aditus judicii, reus in jus vocatur. Vocare autem in jus nihil est aliud, quam vocare aliquem ad eum, qui jus dicturus est ea de re, de qua quæritur (1). Nullus olim ritus vocationis fuit; sed licebat privato privatum, cum quo jure agere vellet, per se, et sua auctoritate in jus vocare, et quidem ita, ut vocatus, nisi vadimonium promitteret, hoc est, nisi satisdaret judicio sisti, etiam invitus in jus rapi posset (1). Sed postea mos hujusmodi sublatus est, sive quod absurdum videretur, rem tantam privati arbitrio permittere, sive quod melius, æquius videretur hoc negocium transigere auctoritate ejus, qui juri dicundo præest (3).

(1) Paulus in l. 1 ff. in jus vocan. ita rem explicat, ut sit in jus vocare, juris experiundi causa vocare. Recte prorsus. Non enim quis vocatur in jus, nisi ut de suo jure experiatur apud eum, apud quem id facere jus est; idest, apud eum jure judicioque agat ea de re, quam id judicium vocat. Id enim significant Jurisconsulti, cum dicunt de jure suo, aut de re aliqua experiri, ut l. 1 ff. Ex quib. caus. major., l. 1 ff. quand. de pec. act. annal. sit, vel jus experiri, ut in l. 1 ff. de in jus vocan., vel absolute experiri, ut in l. 1 ff. de divers., et temp. præscript., et in l. 1 ff. Quæ in fraud. credit., hoc est rem tentare, et sui juris periculum facere.—*Leg. 1 tit. 9 *Part. III.**

(2) Consule Duarenum l. 1 disp. c. 1. Adversus eos, qui in jus venire recusarent, vim adhiberi, et invitos injecta manu, obtortoque collo in jus rapi consuevisse certum est, idque late ostendunt Goveanus l. Var. lect. ult., Rævardus ad LL. 12 tabular. c. 5 et ad l. 108 de divers. regul. jur. opp. t. 1 p. 7 et 167 ed. Neap. 1779, Cujacius observat. l. 10 c. 10 opp. t. 3 col. 240 et seq. ed. Ven. 1758, Heineccius Antiquit. l. 4 tit. 6 § 14 et seq. opp. t. 3 p. 429 et seq ed. Neap. 1769, aliique complures.

(3) Ulpiani, et Pauli ætate jam illum obtinuisse morem, ut nemo sine magistratus auctoritate in jus vocaretur, ostendit Donellus de Jur. civil l. 23 c. 2 §. 6 opp. t. 6 col. 24 et seq. ed. Lucæ. Vide etiam Hilligerum in notis ad eumdem Donellum l. c.

9. Nunc ipsa libelli oblatio in jus vocatio dici potest; sed quoniam libellus aptus non est ad inducendam litis contestationem, ac tantum continet actoris petitionem, non item probatio-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nes, quibus eadem petitio nititur; hæ sunt in actis post oblatum libellum exhibendæ probationes, quibus exhibitis reus in judicium vocatur, ut respondere possit, atque ita litis contestatio inducatur. Id vero fit per *citationem*, quæ judicialis est actus, per quem reus, actore rogante, judicis auctoritate litis peragendæ causa in judicium vocatur. Proprie hæc citatio in jus vocatio est, et utraque sæpe confunditur; quamquam citatio latius pateat, quippe quæ in qualibet judicii parte adhibetur, quoniam singuli judiciarii actus litigantibus nunciantur; verum in jus vocatio tantum pertinet ad primam citationem, unde judicium exorditur (1). Sed veteri jure Romano in jus vocatio, et citatio differebant; quoniam illa privata auctoritate, hæc vero mandato judicis per præconem, et interdum etiam per edictum fiebat; nec tantum reus, verum etiam actor, patroni, et testes in judicium citabantur.

(1) Confer Vinnium, Commentar. ad Inst. l. 4 tit. 16 §. 3 n. 5.

10. Omnia judicia à citatione incohanda sunt, neque, ea omissa, ulla judicii vis, et auctoritas est (1). Vetat enim non civilis modo, sed etiam naturalis juris ratio, damnari aliquem qui auditus, ac defensus non sit. Hinc defectum citationis *insanabilem* pragmatici appellant, quoniam sanari non potest judicium, quod sine citatione gestum est (2).

(1) Can. 2 et 4 c. 3 q. 9, Clem. 2 de Senten. et re judic.
(2) Confer Hilligerum ad Donellum de jur. civil. l. 23 c. 2 §. 2 not. 2 t. 6 p. 11 ed. cit.

11. Est autem citatio vel realis, quæ fit injectis in reum publica auctoritate manibus, vel verbalis, quæ procedit ab imperio judicis, cujus jussu, verbis, vel literis quis in judicium vocatur. In civilibus judiciis verbali citatione plerumque utimur; nam in iis citatio realis ante sententiam non emittitur, nisi reus sit fugitivus aut de fuga suspectus, et nisi primum res cognita, et explorata sit.

* Apud nos citationi *reali* in civilibus negotiis locus non est; nemo enim potest incarcerari, nisi factum, quod pœnam corporalem mereatur, admiserit.—V. Reg. Prov. cit. art. 5 et 19.*

12 Verbalis citatio alia simplex, alia peremptoria est. Simplex continet merum præceptum, ut reus in judicium veniat;

sed ipse contumax non efficitur, nisi eadem citatio post tres terminos, certis dierum intervallis præfinitos, tertio repetatur (1). Quæ intervalla jure veteri decem dies singula continebant (2), jure Novellarum ampliata sunt ad dies triginta (3); sed jure Decretalium arbitrio judicis, pro temporum, ac locorum ratione, statuuntur (4). Peremptoria citatio instar est omnium simul simplicium, atque ita rem perimit, ut si reus præstituta die in judicium non venerit, contumax habeatur. Nam peremptorium præcidit, et abscindit omnes adversarii tergiversationes, eoque comminatur judex, sese causam cogniturum, etiam absente illo, qui citatus sese judici sistere recusat (5). Edictum peremptorium jure civili emittitur post tres simplices citationes, interdum post duas, interdum etiam statim, quod vocatur *unum pro omnibus*; pendetque ab arbitrio judicis, pro conditione causæ, vel personæ, vel temporis, ordinem edictorum (6), et compendium moderari (7).

(1) Trium tantum edictorum mentio est in L. 55 ff. de Re judic., et apud Paulum Recept. sentent. l. 5 tit. 5 n. 7, ac trium item denuntiationum, aut literarum in L. 8 cod. Quomod. et quand. judex senten. Quare mirum est, Ulpianum in L. 70 ff. de Judic. tradere, post tertium demum edictum peremptorium emitti. Gerardus Noodtius Observation. l. 1 c. 8, ita illum Ulpiani locum legendum putat: *quibus propositis et tertium tunc peremptorium impetret*. Ego in ejus sententiam facile descendo, neque de ea dimoveor illis ejusdem Ulpiani verbis, quibus dimotus est Antonius Schultingius in Paulum Recept. sentent. l. 5 tit. 5 not. 52 Jurisp vet. ante justinian. p. 450 ed. Lipsiæ 1737. Sunt autem verba Ulpiani in L. 72 ff. de Judic. omnino hæc: *Non numquam hoc edictum post tot numero edicta, quæ præcesserint, datur, nonnunquam post unum vel alterum, nonnunquam statim, quod appellatur unum pro omnibus*. Hic quidem Ulpianus etiam post tria edicta denique peremptorium dari statuit, sed loquitur non de ordinaria, et usitata edictorum methodo, quæ tribus tantum edictis constat, et quam respicit L. 70, verum agit de arbitrio judicis, quod extra ordinem est. Nam, ut ipse inquit Ulpianus, totum hoc negotium *æstimare oportet eum, qui jus dixit, et pro conditione causæ, vel personæ, vel temporis ita ordinem edictorum, et compendium moderari*. Hinc judici pro suo arbitrio licet tria dare edicta, antequam peremptorium emittat. Itaque Ulpianus in L. 70 ordinariam, et usitatam constituit edictorum methodum; in L. 72 exceptionem ponit, ut judex possit hanc methodum omittere, ac non tertio, sed quarto loco peremptorium dare.
(2) L. 69 ff. de Judic.
(3) Novell. 112 c. 3.
(4) Cap. 7 de Dol. et contumac. Clem. 1 de Judic. Quæ de tribus edictis, aut de uno pro omnibus dato, à jure civili sancita sunt, eadem videtur constituisse Innocentius III. in cap. 24 de offic. et potest. delegat. Sed et ante Innocentium III, Parisiense Concilium apud Gratianum can. 6 c. 24 qu. 3, Romanam legem de tribus edictis, aut uno pro tribus approbavit.
(5) L. 70 et 71 ff. Judic., Cap. 6 de Dol. et contumac.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

(6) Edicta hæc interdum etiam contestationes, ab Aniano autem in Paul. Recept. senten. l. 5 tit. 5 §. 7 apud Schultingium Jurispr. vet. Ante-justiniaz. p. 450 ed Lipsiæ 1737, et in can. 6 c. 24 qu. 3, Auctoritates appellantur. Proprie à Latinis denunciationes dicuntur, sed corruptæ Latinitatis scriptores Auctoritates vocant. Multa ejus rei exempla sunt apud Du-Cangium Glossar. med. et infim. Latinit.

(7) L. 72 ff. de Judic.

13. Citatio reo significanda, et demonstranda est, idque apparitoris, sive publici nuncii opera fieri solet; significatur autem vel denunciatione, vel literis, vel edictis (1). Denunciationes per officia, et exequutores fiunt, literæ ad reum mittuntur, edicta publico loco affiguntur, unde recte legi possint (2). Nuncius reo denunciare decretum citationis debet, vel in faciem, vel ad domum (3), et præsenti quidem in faciem, absenti ad domum, si rei copia haberi possit, in faciem, si non possit, ad domum in qua reus habitat (4), et si plures domos habuerit, ubi frequentius commoratur, aut commorari debet. Quod si reus absit, neque resciri possit, quo in loco versetur, edicto publico loco affixo evocandus est, ut ita reus absens per propinquos, aut amicos, quibus edictum patet, admoneatur (5).

(1) Tria hæc discriminat Paulus Recept. senten. l. 5 tit. 5 §. 7 apud Schultingium l. c. p. 450.

(2) Consule Cujacium in illum Pauli locum not. 32.

(3) L. 13 §. 1 ff. de Excusat. tut. Vide etiam Cujacium Observ. l. 7 c. 15 opp. t. 3 col. 161 et 162 ed. Ven. seu Mutin. 1758, ubi multa habes de nunciatione ad domum.

(4) Argum. L. 1 §. 1 ff. de Agnoscen. et alien. liber. Idem etiam non obscure tradit Alexander III. in cap. 3 de Dol. et contumac.—'V leg. 1 tit. 7 *Part. III* cit.; leg. 12 tit. 28 lib. 11 *Nov. Compilat.*: et leg. 4 Jun. 1857 art. 3.'

(5) Extravag. unic. de Dol. et contumac. int. commn. Clem. 1 de Judic.

14. Et quoniam in alieno territorio jus dicenti impune non paretur (1), adversus eum, qui in alieno territorio versatur, citatio expediri non potest, nisi ab ejus loci magistratu venia petita, atque impetrata sit. Facta vero citatione, nuncius id in acta referre debet, et vero expressis omnibus, quæ scire opus est, nimirum die, loco, modo factæ citationis, ceteris adjunctis; atque ejus relationi creditur propter fidem publicam, qua munitus est.

(1) L. ult. ff. de Jurisdict. omn. judic.—'Leg. 22 tit. 7 *Part. III*; leg. 3 tit. 4 lib. 11 *Novis. Compil.*'

15. Ut citatio rite, et recte fiat, multa sunt observanda. Principio scilicet, exprimendum est nomen actoris, quo instante citatio emittitur, quia tantum in causis publicis judex ex officio procedit (1); itemque nomen rei, ne quis in ancipili persona decipiatur. Deinde, continere debet nomen judicis, cujus mandato citatio emittitur, tum quod jure novo sine mandato Judicis nemo in jus vocari potest, tum quod citatus sciret debet, num proprius, et competens judex sit, ad quem vocatur. Et quoniam delegatus judex alienam jurisdictionem exercet, citationis decreto inserendum est exemplum literarum, quibus ei causa commisa est (2): nam secus, ejus jurisdictio reo comperta, et explorata esse non potest. Si manifestum sit, judicem non esse competentem, reus ad eum ire non cogitur; si id manifesto non constet, reus omnino cogitur sistere se judici, cujus est æstimare, num sua sit jurisdictio (3).

(1) Cap. 9 de Accusat.

(2) Cap. 2 de Dilat. Quod forte primum jure canonico expresse constitutum videtur, sed tamen alienum non est à juris Romani sententia: L. unic. cod. de Mandat. Princ. L. 5 cod. de Jur. fisc. l. 10.—(Syn. Dertus. an. 1429 cap. 15 N. S.)

(3) L. 2 ff. Si quis in jus vocat. non ierit. L. 5 ff. de Judic.

16. Exprimenda etiam est causa, propter quam reus vocatur, ut is negotium meditetur suum, et paratus ad judicium veniat, posteaquam, re cognita, sese contra actorem tueri constituit. Veteri jure Romano actor postulatam impetratamque à Prætore actionem edebat reo, cum in judicium venerat, atque ita ipse vocationis causam noscebat (1). Sed antiquo vocationis ritu sublato, sancitum est à Justiniano (2), ut in ipsa vocatione libellus conventionalis reo tradatur; atque ita in unum judiciale actum in jus vocatio, et actionis editio coaluerunt. Decretales de exprimenda vocationis causa, reoque simul offerendo libello non admodum laborant; sed jam fere ubique gentium moribus, usuque fori receptum est, ut decreto ipso citationis causa significetur, vel simul reo libellus offeratur.

(1) Pluribus sane modis id fieri potuisse scribit Ulpianus in L. 1 ff. de Eden. Confer Heineccium Antiquit. l. 4 tit. 6 §. 19 opp. t. 3 p. 432 ed. Neap. 1766, Rævardum lib. Protribunal. c. 4 opp. t. 2 p. 200 ed. Neap. cit. Cujacium in cod. l. 2 tit. 1 opp. t. 10 col. 828 ed. Mutin. 1782, Donellum in cod. l. 2 tit. 1 opp. t. 7 col. 21 et seq. ed. Lucæ cit.; ceteros interpretes ad titulum de edendo.

(2) Novell. 53 c. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

17. Prælerea designandus est judicii locus, ut reus noscat, quo ipse venire, et se judici sistere præsentem debeat, et simul intelligat, num locus ille tutus sit. Præsertim vero si delegatus sit judex, certum in citatoriis literis indicare locum omnino necesse est; quoniam illi nullus est hujusmodi locus, ad quem reus certo venire possit. Si ordinarius est judex, qui certo loco tribunal habet, nihil attinet hunc locum exprimere, nisi ipse velit alio loco jus reddere, quam quo reddere consuevit (1). Sed et tutus debet esse locus, in quo judicium est agendum, et per quem necessorio transitus faciendus est reo (2); adeo ut si manifestum sit, locum tutum non esse, nulla sit citatio ipso jure (3), si non ita sit manifestum, valeat quidem citatio, sed reus demonstrare debeat, eum sibi locum tutum non esse (4).

(1) L. 59 ff. de Judic.
(2) Clem. 2 de Senten. et re judic. cap. 4. Ut lit. non contest. in quod vide Gonzalezium.
(3) Cit. Clem. 2.
(4) Cap. 7 §. 3 de Senten. excom. in 6. At enim reus per procuratorem respondere potest, cum tutus non est judicii locus. Est hoc sane verum; sed reo justa excusatio ob hanc eamdem causam est, quod per se ipsum respondere non potest.

18. Certus quoque dies, quo reus in jus venire debet, in citatione notandus est, ut ipse intelligat, num die quo vocatus fuit exercere judicium liceat. Qui dies arbitrio boni viri à judice constituitur, habita ratione temporum, locorum, personarum. Nam iniquum esset reum vocare ad id tempus, quo ipse sui copiam facere vel omnino non potest, vel saltem cum magno incommodo potest.

(N. S. Designanda est dies, qua reum in judicio se sistere oporteat: in quo et distantiæ loci, quem reus incolit, adtendendum est, et dici ipsius qualitati Festis enim diebus judicia exerceri, omnino vetitum jure æque civili, atque canonico: leg. 2 *Cod. de Feriis*, cap. *fin. de Feriis*.—Id quod jamdiu statuerat Synod. Tarracon. an. 516 can. 4; et lex 34 tit. 2 *Partit. III.*
Personæ, officii, et temporis ratio habenda est. Citari enim nequeunt Judices ab inferioris, vel æqualis Jurisdictionis Judicibus, Clerici dum Rem Divinam conficiunt, infirmi, consanguinei defuncti insepulto corpore, minores, mentecapti, aliique contenti in leg. 2 tit. 7 *Partit. III.* Adhæc laici citari non possunt à Judice Ecclesiastico ad Sedem, aut caput Diœcesis, exceptis causis Criminalibus, Beneficialibus, Decimalibus, et Matrimonialibus: leg. 5 tit. 1 lib. 2 *Novis. Compil.*)

19. Plura efficit citatio, quæ rite, et recte facta sit. Nimirum facit, ut reus ad eum judicem, ad quem primum vocatus

est, venire debeat, quamquam reus deinceps alteri judici subesse cœperit (1); rumpit præscriptionem (2); perpetuat judicis delegati jurisdictionem, adeo ut ea delegantis obitu non extinguatur (3); litis pendentiam inducit, si tamen in citatione illa sint expressa, ex quibus reus noscat omnia, quorum causa in jus vocatur (4). Pendet autem lis post citationem quoad hoc, ut nihil debeat innovari (5); nam alias nonnisi post contestationem lis pendet (6). Ex quo efficitur, ut post citationem, unde reus causæ certior fit, res litigiosa evadat (7), ideoque alienari non possit (8).

(1) L. 7 de Judic. cap. 19 de For. competen.
(2) L. ult. cod. de Annal. except. L. 7 cod. de Præscript. 30 annor.
(3) Cap. 20 de Offic. et potest. delegat.
(4) Clem. 2. Ut lit. penden. Id vero constitutum est ex sententia juris civilis in Auth. litigiosa cod. de litigios.
(5) Cit. Clem. 2.
(6) Cap. 50 de Verb. signific., ibique Gonzalez, et in c. unic. de Lit. contest.
(7) Clem. et Auth. mox laudatæ.
(8) L. 18 ff. de Rei vindic. can. ult. c. 11 qu. 1, cap. 3 Ut lit. penden.

TITULUS VI.

DE DOLO ET CONTUMACIA.

1. QUIS CONTUMAX.—2. PŒNA PROPTER CONTUMACIAM ACTORIS.—3 ET 4. MISSIO IN POSSESSIONEM PROPTER REI CONTUMACIAM.—5. ALIÆ PŒNÆ IN REUM CONTUMACEM.—6. SEQUESTRATIO REI LITIGIOSÆ.

1.

NE dolo et contumacia litigantium inutile evadat judicium, pœnæ indictæ sunt adversus eum, qui in jus vocatus non venerit. Dolum malum vocamus omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam (1). Hoc loco dolus est fraudulentum consilium litigantis, qui contumax est (2), et judicium detrectat. Contumax autem dicitur, qui judicis mandato non obtemperat, hoc est, qui tribus edictis, vel uno peremptorio evocatus, sui copiam non fecit, cum nullo justo impedimento detineretur (3); vel cum venit, judici parere recusavit (4); vel impedit, quominus ad reum citatio perveniat (5); vel sine judicis venia, susceptum judicium deseruit (6).

17. Prælerea designandus est judicii locus, ut reus noscat, quo ipse venire, et se judici sistere præsentem debeat, et simul intelligat, num locus ille tutus sit. Præsertim vero si delegatus sit judex, certum in citatoriis literis indicare locum omnino necesse est; quoniam illi nullus est hujusmodi locus, ad quem reus certo venire possit. Si ordinarius est judex, qui certo loco tribunal habet, nihil attinet hunc locum exprimere, nisi ipse velit alio loco jus reddere, quam quo reddere consuevit (1). Sed et tutus debet esse locus, in quo judicium est agendum, et per quem necessorio transitus faciendus est reo (2); adeo ut si manifestum sit, locum tutum non esse, nulla sit citatio ipso jure (3), si non ita sit manifestum, valeat quidem citatio, sed reus demonstrare debeat, eum sibi locum tutum non esse (4).

(1) L. 59 ff. de Judic.
(2) Clem. 2 de Senten. et re judic. cap. 4. Ut lit. non contest. in quod vide Gonzalezium.
(3) Cit. Clem. 2.
(4) Cap. 7 §. 3 de Senten. excom. in 6. At enim reus per procuratorem respondere potest, cum tutus non est judicii locus. Est hoc sane verum; sed reo justa excusatio ob hanc eamdem causam est, quod per se ipsum respondere non potest.

18. Certus quoque dies, quo reus in jus venire debet, in citatione notandus est, ut ipse intelligat, num die quo vocatus fuit exercere judicium liceat. Qui dies arbitrio boni viri à judice constituitur, habita ratione temporum, locorum, personarum. Nam iniquum esset reum vocare ad id tempus, quo ipse sui copiam facere vel omnino non potest, vel saltem cum magno incommodo potest.

(N. S. Designanda est dies, qua reum in judicio se sistere oporteat: in quo et distantiæ loci, quem reus incolit, adtendendum est, et dici ipsius qualitati Festis enim diebus judicia exerceri, omnino vetitum jure æque civili, atque canonico: leg. 2 *Cod. de Feriis*, cap. *fin. de Feriis*.—Id quod jamdiu statuerat Synod. Tarracon. an. 516 can. 4; et lex 34 tit. 2 *Partit. III.*
Personæ, officii, et temporis ratio habenda est. Citari enim nequeunt Judices ab inferioris, vel æqualis Jurisdictionis Judicibus, Clerici dum Rem Divinam conficiunt, infirmi, consanguinei defuncti insepulto corpore, minores, mentecapti, aliique contenti in leg. 2 tit. 7 *Partit. III.* Adhæc laici citari non possunt à Judice Ecclesiastico ad Sedem, aut caput Diœcesis, exceptis causis Criminalibus, Beneficialibus, Decimalibus, et Matrimonialibus: leg. 5 tit. 1 lib. 2 *Novis. Compil.*)

19. Plura efficit citatio, quæ rite, et recte facta sit. Nimirum facit, ut reus ad eum judicem, ad quem primum vocatus

est, venire debeat, quamquam reus deinceps alteri judici subesse cœperit (1); rumpit præscriptionem (2); perpetuat judicis delegati jurisdictionem, adeo ut ea delegantis obitu non extinguatur (3); litis pendentiam inducit, si tamen in citatione illa sint expressa, ex quibus reus noscat omnia, quorum causa in jus vocatur (4). Pendet autem lis post citationem quoad hoc, ut nihil debeat innovari (5); nam alias nonnisi post contestationem lis pendet (6). Ex quo efficitur, ut post citationem, unde reus causæ certior fit, res litigiosa evadat (7), ideoque alienari non possit (8).

(1) L. 7 de Judic. cap. 19 de For. competen.
(2) L. ult. cod. de Annal. except. L. 7 cod. de Præscript. 30 annor.
(3) Cap. 20 de Offic. et potest. delegat.
(4) Clem. 2. Ut lit. penden. Id vero constitutum est ex sententia juris civilis in Auth. litigiosa cod. de litigios.
(5) Cit. Clem. 2.
(6) Cap. 50 de Verb. signific., ibique Gonzalez, et in c. unic. de Lit. contest.
(7) Clem. et Auth. mox laudatæ.
(8) L. 18 ff. de Rei vindic. can. ult. c. 11 qu. 1, cap. 3 Ut lit. penden.

TITULUS VI.

DE DOLO ET CONTUMACIA.

1. QUIS CONTUMAX.—2. PŒNA PROPTER CONTUMACIAM ACTORIS.—3 ET 4. MISSIO IN POSSESSIONEM PROPTER REI CONTUMACIAM.—5. ALIÆ PŒNÆ IN REUM CONTUMACEM.—6. SEQUESTRATIO REI LITIGIOSÆ.

1.

NE dolo et contumacia litigantium inutile evadat judicium, pœnæ indictæ sunt adversus eum, qui in jus vocatus non venerit. Dolum malum vocamus omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam (1). Hoc loco dolus est fraudulentum consilium litigantis, qui contumax est (2), et judicium detrectat. Contumax autem dicitur, qui judicis mandato non obtemperat, hoc est, qui tribus edictis, vel uno peremptorio evocatus, sui copiam non fecit, cum nullo justo impedimento detineretur (3); vel cum venit, judici parere recusavit (4); vel impedit, quominus ad reum citatio perveniat (5); vel sine judicis venia, susceptum judicium deseruit (6).

(1) Ita dolum malum definit Labeo apud Ulpianum L. 1 §. 2 ff. de Dol. et contumac., in qua quidem definitione nihil ociosum esse demonstrat Huberus l. 3 observ. 25.

(2) Contumax à Græcis, pervicax, et superbus, dicitur, qui alios ita contemnit, ut eorum consortium fugiat; ideo ita etiam Constitutio Græca fugientem vocat in L. 10 cod. de Judic.

(3) L. 53 ff. de Re judic. Idque etiam tradit Paulus Recept. senten. l. 5 tit. 5 §. 7 apud Schultingium l. c. p. 450. Demonstrare autem qui proponit, impedimentum debet; judex autem ex circumstantiis intelligit, justa ne sit excusatio, an secus: cap. 6 de Dol. et contum. Sæpe etiam à judice constituitur terminus, intra quem citatus venire in judicium debet, eoque non veniente, et elapso termino, contumax habetur. Verum, antequam Judex de contumacia decernat, adhuc ipse moram purgare potest, ut judex ex æquo, et bono ultra terminum condemnationem differre queat: c.t. cap. 6.

(N. S. Qui legitimo detinetur impedimento, ne citationi respondeat, ac Judici se exhibeat, contumax non est; modo impedimento ablato, quamprimum sui copiam faciat, ac interim efficiat, ut Judex impedimenti sit conscius, ne contumaciæ nomine accusetur, legitimisque multetur pœnis: cap. 6 *de Dolo, et contumacia*; Legg. 8 et 11 tit. 7 *Partit. III*, et leg. 5 tit. 4 lib. 11 *Novis. Compilat.*)

(4) L. un. ff. Si quis jus dicen. non obtemper.

(5) Cap. 5 §. 1 Ut lit non contest.

(N. S. In civilibus Hisp. judiciis una tantum citatio, quæ omnes juris terminos complectatur, præscripta est: *Leg.* 13 *Tit.* 4 *Lib.* 11 *Novis. Compilat.*)

(6) Cap. 3 de Dol. et contumac.

2. Tam actor, quam reus contumax esse potest (1), neutrum vero sinunt leges judici jubenti impune non obtemperare. Actor si constituto tempore, quo reus citatus est, in judicium non venerit, in expensas comdemnatur, neque alia ei citatio permittitur, nisi de se judici sistendo cautionem præstet (2). Quin etiam non veniente in judicium actore, reus illud à judice petere, et rogare potest, ut sibi detur probationum afferendarum locus, ac sententia proferatur (3). Verum contestata lite (4) si actor contumax evaserit, ejus procurator, si quem reliquerit, vocandus est, aut si nullum reliquerit, vel relictus in jus non venerit, ipse absens per edictum ejus domui affixum vocatur, et inde contra eum fertur sententia, cum res satis est comperta, aut saltem, actore in expensas comdemnato, ab observatione judicii reus absolvitur (5).

(1) Hinc ea pars, quæ in Decretalium libris inscribitur de Dolo, et contumacia, in antiquis collectionibus inscribitur de Dolo, et contumacia alterius partis puniendâ, ubi contumacia alterius partis actoris, vel rei contumacia est.

(2) Cap. 1 de Dol. et contumac. in 6.

(3) Cap. 3 de Dol. et contumac.

(4) Juris interpretes discrimen constituunt inter actorem, qui ante contestatam litem, interque actorem, qui post contestatam litem contumax est. Nituntur Novel. 112 c. 3 §. 1 et 2, ubi de actore agitur, qui actione proposita abesse cœpit, cum apud judicem initium lis non acceperat, hoc est, cum nondum erat contestata, et vero si postea, contumax fieri dicitur. Vulgarem hanc distinctionem ridet Gonzalezius in c. 3 de Dol. et contumac, hoc fretus argumento, quod cum reus ab actore vocatus in judicium venit, lis contestata intelligitur, quoniam canonico saltem jure, actoris, ac rei præsentia non requiritur, ut lis contestata habeatur, et ideo fieri non potest, quod actor non contestata lite contumax evadat. Illam autem Novellam, cujus nunc facta mentio est, ita interpretatur Gonzalezius, ex parte tantum actoris, non etiam ex parte rei, litem contestatam fuisse, cum actor abesse cœpit, quæ imperfecta quædam contestatio est; tum in jus veniente, et actoris petitioni respondente reo, cum ipse actor abesset, contestationem fuisse perfectam. Sed nego fieri non posse, quod actor, veniente in judicium reo, ante contestatam litem contumax sit. Nam aliud est vadimonii, et alia litis contestatæ desertio. Actor certa die reum in judicium vocat; venit quidem reus, non item actor: hic quidem deserere vadimonium dicitur, non litem contestatam. Nam desertio vadimonii est desertio promissionis judicio sistendi causa factæ ante litem contestatam: L. 4 §. Quæsitum, et L. 5 §. 1 ff. Si quis caut. Contra; litis contestatæ desertio est desertio ipsius judicii, quod jam contestatione litis, hoc est clara actoris petitione, aptaque rei responsione, constitutum, firmatumque est. Quæ litis contestatæ desertio cremodicium dicitur, quod et actore, et reo absente contrahitur L. 10 §. Sin autem reus cod. de Judic. En igitur duplicem actoris contumaciam ob desertum vadimonium, et ob desertam litem contestam; et utri que huic contumaciæ dissimilis pœna constituta est.

(5) Cap. 3 de Dol. et contumac. L. 10 de Judic.

3. Quod si absit per contumaciam reus, videndum est, num id ante, an post litem contestatam faciat. Lite nondum contestata, in actione reali actor mittitur in possessione rerum, de quibus controversia est; in actione personali, mittitur pro modo, et ratione debiti, in possessione bonorum mobilium ipsius rei vel immobilium, cum nulla mobilia sunt. Quæ possessio datur ex primo, et secundo decreto. Primi decreti possessio tantum custodia est (1), quoniam ea conceditur rei servandæ, et custodiendæ causa, atque actor non dominus, sed tantum custos efficitur. Quare et actor, et reus possident, hic quidem ut fundum colat, fructusque colligat, ille autem ut fundum, et fructus, sive fructuum pretium observet, atque custodiat (2).

(1) Ita Innocentius III. in cap. ult. §. In aliis vero casibus Ut lit. non contest. controversiam definivit, quæ inter Pilæum, et Bulgarum ex una, interque Joannem, Martinum, et Azonem ex parte altera agebatur, probavitque sententiam Pilæi, ac Bulgari, qui sola missione in possessionem actorem tantum rei custodem, non dominum, et possessorem fieri putabant: quæ sententia probabilior est ex jure civili L. 8 §. Sed et si quis cod. de Præscript 30 an.

(2) Cap. 4 de Eo qui mittit. in possess. cap. ult. §. In aliis sunt, Ut lit. non contest.

4. Hanc vero possessionem actor adipisci censetur, quamtumvis ea potentia, doloque adversarii revera non acquisiverit, aut acquisitam amiserit (1); haud tamen si actor ipse, nulla justa causa impeditus, eam intra annum obtinere neglexit (2). Intra anni spatium si reus in judicum non veniat, solvatque expensas, ac præterea cautionem non præstet de se judici sistendo, emittitur secundum decretum, cujus ea vis est, ut reus contumax de bonorum possessione dimoveatur, fiatque actor unus, et verus eorum possessor, fructus colligat, suosque faciat (3).

(1) Cap. 9 de Dol. et contumac.
(2) Cap 2 de Eo qui mitt. in possess.
(3) Secundum decretum in actione tantum personali, non item in reali, in qua actor post annum ipso jure possessor efficitur, necessarium esse putat Gloss. in cap. 9 verb. Constituatur de Dol. et contumac. atque hanc vulgus interpretum sententiam sequitur. Confer tamen Cujacium in cap. ult. Ut lit. non contest. et ad tit. de Eo qui mittit. in possess. opp. t. 6 col. 792 et col. 823 ed. Mutin. cit. et Cironium Paratitl. in decret. l. 2 tit. 15.

5. Verum si post contestatam litem reus contumax evadat, causaque ex actis satis explorata videatur, judex sententia sua litem definiet; si non satis de causa liqueat, actor in bonorum contumacis rei possessionem mittitur, fitque ipse statim verus possessor, ac reo sola dominii lis integra relinquitur (1). Sed in causis beneficiariis propter rei contumaciam actor in possessionem non mittitur, ne vitiosus in beneficia ingressus detur (2).

(1) Cap. 5 §. In aliis Ut lit. non contest. c. 4 de Dol. et contumac.
(N. S. Porro Actor, ut in possessionem fuerit missus, caveat, ne fructus dilapidet; quod si contingat, sequestrandi erunt, et quod distractum est, in pristinum statum revocabitur: Lancell. *Inst.* lib. 3 tit. 6; cap. 2 *de Sequestr. posses.* Lex 8 tit. 8 *Partit. III.* Jus civile Hispanum Reo contumaci spatium duorum mensium in actione reali, et unius in personali, ad purgandam moram constituit: alias Actor in possessionem bonorum mittetur: *Leg.* 1 *Tit.* 5 *Lib.* 11 *Novis. Compilat.*)
(2) Cap. un. de eo qui mittit. in possess. in 6.
(N. S. Cum per leg. 1 tit. 5 lib 11 *Novis. Compilat.* actori optio detur ut, vel missionem in possessionem petat, vel potius terminum ad probationes faciendas, quo controversiæ finis imponatur, quumque hoc posterius Actores ut plurimum seligere consueverint, hinc factum est, ut in possessionem missio pæne in desuetudinem, æque in laicali, ac in Ecclesiastico foro abierit.)

6. Sunt et aliæ pœnæ adversus contumaces constitutæ, quarum unam, aut alteram, uti rerum ratio postulare videtur, infligit judex suo arbitratu. Interdum enim pecuniaria mulcta, aut censuris, ceterisve pœnis contumaces coercentur (1). Ex quibus pœnis unam, aut alteram, quæ plus metus afferat, initio seligat judex, ad alias nihilominus processurus, si contumax, sua adhuc obstinatione sententiæ, pergat judici non obtemperare (2). Verum censuris caute, atque sobrie judices uti debent, neque sunt adhibendæ, nisi cum contumaces re, aut persona coerceri non possunt (3).

(1) L. 2 ff. Si quis in jus vocat. cap. 2, 5, 8 de Dol. et contumac., cap. 3. Ut lit. non contest.
(N. S. Quibus etiam pœnis adficiendus est Actor, si postquam adversarium suum ad judicium vocavit, causam prosequi distulerit, Novell. 112 cap. 3 §. 2, Syn. Tolet. an. 1326 cap. 2, et Leg. 6. tit. 4 lib. 11 *Novis. Compilat.*)
(2) Cap. 5 §. In aliis Ut lit. non contest.
(3) Conc. Trident. sess. 25 c. 3 de Reform.

7. Sæpe etiam actor non mittitur in possessionem rei servandæ causa, neque ea penes reum contumacem relinquitur, sed penes tertium deponitur (1), et committitur alicui, qui finita lite rem, et fructus victori restituat; quæ dicitur sequestratio rei litigiosæ, quam judex ex justa causa decernit, puta si metus sit, ne res, vel fructus dilapidentur (2). Si maritus ad inopiam vergat, dos sequestro datur (3); similiter, si persona, à qua res mobilis petitur, suspecta sit (4), si de beneficio ecclesiastico agatur contra possessorem non triennalem, et contra ipsum in possessorio, vel petitorio sit lata sententia, sequestrum constituitur (5). Sed generatim sequestrum revocatur, cum reus in judicium veniens expensas restituit, et cautionem præstat, per quam omne, quod timetur, periculum removeatur (6).

(1) Tertius hic, apud quem res litigiosa, deponitur, *sequester* dicitur L. 5 §. 1 et 2. L. 6 et 7 ff. Deposit. Eodem hoc sensu vocabulum usurpat Plautus in Mercat. act. 4 sc. 3 vers. 36, et in Ruden. act. 4 sc. 3 vers. 76 t. 2 p. 748 et 1016 ed. Lugd. Batav. 1669. Sequestrem autem à sequendo dictum, quod ejus, qui electus est, utraque pars fidem sequatur, scribit A Gellius Noct. Attic. l. 20 c. 11 p. 1128 ed. Ludg. Batav. 1666. In Glossis Philoxeni ac in Glossis Cyrilli *sequester* explicatur, *arbitrator, mediator.* Quinctiliano Instit. Orator. l. 12 c. 8 t. 2 p. 673 ed. Patav. 1736, sequester est media litium manus; Tullius autem, qui pluries utitur eodem vocabulo, sequestrem appellat, apud quem pecunia, corrumpendi judicii, aut tribuum causa deponebatur, ut suffragia obtinerentur.
(2) L. 21 de Appellat., c. 2 de Sequestrat. possess. et fruct.
(3) L. 23 §. Si autem ff. Solut. matrim.

(4) L. 7 §. ult. ff. Qui satisd. cogan.

(5) Clem. 1 de Sequestr. possess. et fruct. Confer Glossam in c. 2 v. Sequestrari de Sequestr. possess. et fruct. ubi diligenter explicatur, quando sequestrationi locus esse debeat.

(6) Cap. 1 de Sequestr. possess. et fruct. Quoniam vero sequestri facta mentio est, animadvertere oportet, illud non tantum in res, sed sæpe etiam in ipsas personas cadere. Ita sequestri loco uxores collocantur apud probam, et honestam mulierem, ob insignem mariti sævitiam, quæ impedit, quominus uxor, quæ à marito divertit, ei restituatur c. 8 et 13 de Rest spoliat. Similiter cum de sponsalibus agitur, atque metuitur, ne vis puellæ inferatur, atque impediatur, quominus ea liberum edere consensum possit, eadem puella collocanda est in domo, in qua nihil eam timere oporteat, donec de præcipua causa judicium absolutum fuerit: c. 14 de Sponsal. Jus Pontificium hujus sequestri locum potissimum constituit monasterium, c. 14 de Probat., quod et ipse Bohemerus homo ex Protestantium numero, summopere laudat l. 2 Decretal. tit. 17 §. 5 cum vix tutior, et commodior locus invenire possit. —*V. de hoc leg. 16 tit. 2 lib. 10 *Novis. Compilat.*; ac Reg. decretum 30 Aug. 1836.*

TITULUS VII.

DE LITIS CONTESTATIONE.

1. LITIS CONTESTATIO QUID?—2. QUOMODO FIAT?—3. EA JUDICII INITIUM EST. —4. EFFECTUS LITIS CONTESTATIONIS.

1.

Lite per libellum actoris, et citationem præparata, ejus fundamentum jacitur, quod in contestatione positum est. Litis contestatio legitimus est actus, quo actor coram judice proponit petitionem suam, reus autem negat, se cesurum petitioni, judicium, et litem in se recipiens (1). Ex quo patet, necessariam esse contradictionem ad litem contestandam, quia nulla lis est, cum reus affirmat id, quod ab actore proponitur (2). Num jure civili ad contestandam litem, actoris, et rei præsentia, ac voce sit opus, incertum, controversumque est; sed jus canonicum tantum requirit *petitionem in jure propositam, et responsionem sequutam*, præterea nihil (3).

(1) Cap. un. de Lit. contest.

(2) Quare probari non potest, quæ multis probata est, divisio contestationis litis in negativam, et affirmativam, uti ostendit Joannes Voetus in Pandect. l. 5 tit. 1 n. 146. Confer etiam Vinnium Select. qu. l. 1 c. 17.

(3) Videndus Gonzalez, in c. un. n. 8 de Lit. contest.

2. Antiquo jure Romanorum lis contestata dicebatur, cum

apud prætorem per mutuam actoris, reique narrationem controversiæ statu constituto, datoque judice, litigantes judicium suscipiebant, ac testes, qui rei totius fidem facerent, vocabant his verbis: *testes estote* (1). Inde litis contestatio dicta est; quia scilicet testibus adhibitis res tota declarabatur (2). Jure novo, quamquam testes non adhibeantur, tamen retentum est vocabulum contestationis, ad designandam concertationem verborum inter litigantes, quorum alter petit, alter petitionem adversatur.

(1) Consule Festum V. Contestari, quem Festi locum exornant Defensiones pro Salmasio Obs. ad jus Attic. p. 818 ed. Lugd. Batav. 1645, et Cujacius Observ. l. 9 c. 21 opp. t. 3 col. 214 ed. cit.

(2) Veterum contestationis formam vel ante sublata formularum solemnia desiisse, ex L. unic. cod. de Lit. contest. ostendit Vinnius Select. qu. l. 1 c. 17.

3. Contestatio initium est judicii, ut in jus vocatio initium actionis (1); illaque intra viginti post oblatum libellum dies ab actore fieri debet (*a*). Ante hanc contestationem totum negotium, quod agitur, non lis, aut judicium, sed controversia censetur (2). Quare ut litis initium sit constitutum, omnino requiritur ejus contestatio, neque ante eam emitti sententia (3), aut recipi testes, vel alia probatio admitti potest, nisi aut natura causæ (4), aut periculum amittendarum probationum aliud exigat; quia tunc locus est *examini testium ad perpetuam rei memoriam* (5). Interim pœnæ causa, alterutrius litigantis contumacia contestationis loco habetur, quæ etiam ficta litis contestatio dicitur (6); neque expresa, et solemnis contestatio requiritur in causis quibusdam, quales sunt summariæ, causæ appellationis, quæ contra certam personam institutæ non sunt, quæ item sine libello expediuntur (7).

(1) L. 15 ff. Rem ratam haberi §. ult. Instit. de Pœn. temer. litigant.—*L. 5 tit. 10 *Partitæ III.*

(*a*) (N. S. In nostro Hisp. Regno, in judiciis civibus *litis contestatio* instituenda est intra novem à citatione dies, sub pœna quod reus uti confessus habeatur: leg. 1 tit. 6 lib. 11 *Novis. Compilat.*

(2) L. 28 §. Si ante ff. de Petit. hered.

(3) L. 4, ibique Glossa V. Solitum cod. de Senten. et interloq.

(4) Consule c. 20 de Jurejur., c. 4 de Procurat., c. 5. Ut lit. non contest.

(5) Cap. 5 cit. Ut lit. non contest., c. 4 de Confess. util. vel inutil. Edita ea de re est an. 1776, Heidelbergæ disertatio, cui titulus est: *de Examine testium ad perpetuam rei memoriam.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

(6) Confer Voetum ad Pandect. l. 5 tit. 1 n. 145.
(7) Consule Voetum l. c. n. 147.

4. Plura efficit litis contestatio. Nimirum inducit malam fidem (1); quasi contractum perficit inter litigantes, ita ut neuter possit, altero invito, à judicio discedere, sed uterque debeat præstare id, quod judicabitur (2); rem in judicium deductam litigiosam facit, ita ut alienari non possit (3), perpetuat atque ad hæredes transmittit actiones tempore, vel morte perituras (4); mandatam jurisdictionem perpetuam facit (5), exceptiones dilatorias excludit, ac judicis recusandi potestatem adimit (6), nisi postea causa suspicionis emerserit; inchoatam usucapionem, et præscriptionem interrumpit (7).

(1) L. 4 ff. Fin. regund., L. 1 cod. de Petit. hered., L. 22 cod. de Rei vindic. L. 10 cod. de Acquir. et retinent. possess. Sed ante litem contestatam etiam motam controversiam ad inducendam malam fidem satis esse, scriptum est in L. 28 §. Si ante litem ff. de petit. hered.
(2) L. 3 §. Idem scribit ff. de pecul.
(3) Auth. Litigiosa cod. de Litigios., L. 4 cod. eod., c. 3 et 4. Ut lit. penden.
(4) L. 6 §. ult. de Re judic., L. ult. ff. de Fidejus. et nominat. et hered. tut., L. 57. ff. de Action et obligat., L. 88 ff. de Regul. jur., L. unic. cod. Ex delict. defunct. in quantum hæred. ten. §. 2. Inst. de perpet. et tempor. act.
(5) Cap. 19 de Offic. delegat.
(6) L. ult. cod. de Except.
(7) L. 10 cod. de Præscript. longi tempor. Verum sola conventione, etiam ante litem contestatam, præscriptionem rumpi sancitum est L. ult. cod. de Annal. except. L. 1 et 2 cod. de Præscript. long. tempor. L. 3, 4, 7, cod. de Præscript. 30 vel 40 annor.

TITULUS VIII.

DE JURAMENTO CALUMNIÆ.

1. JURAMENTUM CALUMNIÆ QUID?—2. PETITUM, IN OMNIBUS CAUSIS DANDUM EST.—3. NUM ET CLERICI JURENT?—4. JURAMENTUM MALITIÆ.

1.

Lite contestata, ut à calumnia, atque insidiis tuta sint omnia, visum est religione adstringere litigantium fidem, ut omnes divinæ ultionis metu, ab injusta, et fraudulenta vexatione deterreantur. Ea de causa introductum est juramentum calumniæ (1), quod in judicio præstant tum actor, tum reus, tum etiam eorum procuratores cum speciali mandato venientes (2), generatim omnes litigantes, sive suo, sive alieno nomine judicium exerceant (3). Actor juratus confirmat, nullam se adhibere calumniam, sed justam causam agere, reus vero, bona etiam sui juris opinione sese adversario resistere. Hinc uterque pollicetur, sese vera in judicio dicturos, nihil acturos judicii corrumpendi causa, nullam allaturos probationem aut fallacem, aut non necessariam, neque operam daturos, ut judicium calumniose differatur (4).

(1) Auctorem jurisjurandi propter calumniam aliqui Justinianum faciunt, et moventur §. 1 Inst. de Pœn. temer. litigant., ubi Tribonianus illud inductum tradit constitutione Justiniani, quæ extat in L. 2 cod. de Jurisjur. propt. calumn. Sed revera illius origo antiquior est. Nam hoc jusjurandum memorant disertissime Paulus Recept. senten. l. 2 t. 1 §. 2 apud Schultingium Jurisp. vet. Ante Justinian. p. 268 ed. Lips. cit., itemque ejus mentio est in L. 45 §. Si familiæ ff. Famil. ercisc. (quam legem à Triboniano conflictam esse, aut corruptam perperam quidam putant) in L. 34 §. Qui jusjurandum, et L. 37 ff. de Jurejur. denique apud Senecam Controv. l. 3 c. 19 p. 257 t. 3 ed. Amstæled. 1672. Sed ante Justinianum tantum speciale calumniæ juramentum obtinebat, totiesque locum habebat, quoties pendente lite malitiæ suspicio aderat, atque ita sæpius repetebatur. Solus actor, et in certis tantum causis de calumnia jurabat, uti ostendunt Paulus l. c., et Ulpianus, L. 15 §. 3 ff. de Damn. infect. Nam in plerisque nuda repromissione actor cavebat, se, nisi vicisset, daturum reo decimam partem ejus, quod petebat, unde *repromissionis remedium* in Codice Hermogeniano tit. de Calumniat. apud Schultingium l. c. p. 715. Atque hæc erat vetus actio calumniæ ex stipulatu, quæ jam ante ætatem Justiniani desueverat. Sed Justinianus in omnibus civilibus causis, et ab utroque litigante jusjurandum de calumnia emitti voluit, præterea veteris calumniæ actionis loco, sarciri damnum, et expensas restitui jussit §. 1 Inst. de Pœn. temer. litigant, Sed postea Novel. 112 c. 2 decimariam illam actionem restituit, atque illud addidit, ut decimæ cautio satisdationem habeat. Confer Cujacium Observ. l. 7 c. 5 opp. t. 3 col. 156 ed. cit. Jam vero cum constet, juramentum calumniæ, quod initio speciale erat, à Justiniano factum fuisse generale, ita ut in primordio litis super universa causa à litigantibus emitti deberet, non ita exploratum est, num ipse Justinianus illud etiam speciale juramentum sustulerit. Nihil ipse ea de re constituit in L. 2 c. de jurejur. propt. calumn. Sed id demum fecisse videtur in Novel. 49 c. 3, ubi animadvertit, quod olim in uno negotio frequenter jusjurandum emitti solebat: *Sancimus, itaque,* inquit, *hanc perimentes injuriam, et dolentes, crebro in eodem negotio jusjurandum præberi... non crebro cogi quemquam sacramenta subire, generaliter semel hujusmodi sacramento prohibito.* Quibus ex verbis colligi videtur posse, à Justiniano fuisse sublatum speciale calumniæ juramentum; idque etiam videtur suadere *Auth. Hoc sacramentum c. de Jurejur. propt. calumn.* ubi item generatim statuitur: *Hoc sacramentum hodie remittitur, cum initio juretur, nihil se calumniose in toto negotio exigere.* Inde tamen ortum est dubium, quod Justinianus loqui videatur de juramentis, quæ olim ab iis exigebantur, qui probationes subire volebant; quod in Novel. 73 c. 7 adhuc speciale juramentum calumniæ desideretur ab eo, qui literarum comparatio-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

(6) Confer Voetum ad Pandect. l. 5 tit. 1 n. 145.
(7) Consule Voetum l. c. n. 147.

4. Plura efficit litis contestatio. Nimirum inducit malam fidem (1); quasi contractum perficit inter litigantes, ita ut neuter possit, altero invito, à judicio discedere, sed uterque debeat præstare id, quod judicabitur (2); rem in judicium deductam litigiosam facit, ita ut alienari non possit (3), perpetuat atque ad hæredes transmittit actiones tempore, vel morte perituras (4); mandatam jurisdictionem perpetuam facit (5), exceptiones dilatorias excludit, ac judicis recusandi potestatem adimit (6), nisi postea causa suspicionis emerserit; inchoatam usucapionem, et præscriptionem interrumpit (7).

(1) L. 4 ff. Fin. regund., L. 1 cod. de Petit. hered., L. 22 cod. de Rei vindic. L. 10 cod. de Acquir. et retinent. possess. Sed ante litem contestatam etiam motam controversiam ad inducendam malam fidem satis esse, scriptum est in L. 28 §. Si ante litem ff. de petit. hered.
(2) L. 3 §. Idem scribit ff. de pecul.
(3) Auth. Litigiosa cod. de Litigios., L. 4 cod. eod., c. 3 et 4. Ut lit. penden.
(4) L. 6 §. ult. de Re judic., L. ult. ff. de Fidejus. et nominat. et hered. tut., L. 57. ff. de Action et obligat., L. 88 ff. de Regul. jur., L. unic. cod. Ex delict. defunct. in quantum hæred. ten. §. 2. Inst. de perpet. et tempor. act.
(5) Cap. 19 de Offic. delegat.
(6) L. ult. cod. de Except.
(7) L. 10 cod. de Præscript. longi tempor. Verum sola conventione, etiam ante litem contestatam, præscriptionem rumpi sancitum est L. ult. cod. de Annal. except. L. 1 et 2 cod. de Præscript. long. tempor. L. 3, 4, 7, cod. de Præscript. 30 vel 40 annor.

TITULUS VIII.

DE JURAMENTO CALUMNIÆ.

1. JURAMENTUM CALUMNIÆ QUID?—2. PETITUM, IN OMNIBUS CAUSIS DANDUM EST.—3. NUM ET CLERICI JURENT?—4. JURAMENTUM MALITIÆ.

1.

Lite contestata, ut à calumnia, atque insidiis tuta sint omnia, visum est religione adstringere litigantium fidem, ut omnes divinæ ultionis metu, ab injusta, et fraudulenta vexatione deterreantur. Ea de causa introductum est juramentum calumniæ (1), quod in judicio præstant tum actor, tum reus, tum etiam eorum procuratores cum speciali mandato venientes (2), generatim omnes litigantes, sive suo, sive alieno nomine judicium exerceant (3). Actor juratus confirmat, nullam se adhibere calumniam, sed justam causam agere, reus vero, bona etiam sui juris opinione sese adversario resistere. Hinc uterque pollicetur, sese vera in judicio dicturos, nihil acturos judicii corrumpendi causa, nullam allaturos probationem aut fallacem, aut non necessariam, neque operam daturos, ut judicium calumniose differatur (4).

(1) Auctorem jurisjurandi propter calumniam aliqui Justinianum faciunt, et moventur §. 1 Inst. de Pœn. temer. litigant., ubi Tribonianus illud inductum tradit constitutione Justiniani, quæ extat in L. 2 cod. de Jurisjur. propt. calumn. Sed revera illius origo antiquior est. Nam hoc jusjurandum memorant disertissime Paulus Recept. senten. l. 2 t. 1 §. 2 apud Schultingium Jurisp. vet. Ante Justinian. p. 268 ed. Lips. cit., itemque ejus mentio est in L. 45 §. Si familiæ ff. Famil. ercisc. (quam legem à Triboniano conflictam esse, aut corruptam perperam quidam putant) in L. 34 §. Qui jusjurandum, et L. 37 ff. de Jurejur. denique apud Senecam Controv. l. 3 c. 19 p. 257 t. 3 ed. Amstæled. 1672. Sed ante Justinianum tantum speciale calumniæ juramentum obtinebat, totiesque locum habebat, quoties pendente lite malitiæ suspicio aderat, atque ita sæpius repetebatur. Solus actor, et in certis tantum causis de calumnia jurabat, uti ostendunt Paulus l. c., et Ulpianus, L. 15 §. 3 ff. de Damn. infect. Nam in plerisque nuda repromissione actor cavebat, se, nisi vicisset, daturum reo decimam partem ejus, quod petebat, unde *repromissionis remedium* in Codice Hermogeniano tit. de Calumniat. apud Schultingium l. c. p. 715. Atque hæc erat vetus actio calumniæ ex stipulatu, quæ jam ante ætatem Justiniani desueverat. Sed Justinianus in omnibus civilibus causis, et ab utroque litigante jusjurandum de calumnia emitti voluit, præterea veteris calumniæ actionis loco, sarciri damnum, et expensas restitui jussit §. 1 Inst. de Pœn. temer. litigant, Sed postea Novel. 112 c. 2 decimariam illam actionem restituit, atque illud addidit, ut decimæ cautio satisdationem habeat. Confer Cujacium Observ. l. 7 c. 5 opp. t. 3 col. 156 ed. cit. Jam vero cum constet, juramentum calumniæ, quod initio speciale erat, à Justiniano factum fuisse generale, ita ut in primordio litis super universa causa à litigantibus emitti deberet, non ita exploratum est, num ipse Justinianus illud etiam speciale juramentum sustulerit. Nihil ipse ea de re constituit in L. 2 c. de jurejur. propt. calumn. Sed id demum fecisse videtur in Novel. 49 c. 3, ubi animadvertit, quod olim in uno negotio frequenter jusjurandum emitti solebat: *Sancimus, itaque,* inquit, *hanc perimentes injuriam, et dolentes, crebro in eodem negotio jusjurandum præberi... non crebro cogi quemquam sacramenta subire, generaliter semel hujusmodi sacramento prohibito.* Quibus ex verbis colligi videtur posse, à Justiniano fuisse sublatum speciale calumniæ juramentum; idque etiam videtur suadere *Auth. Hoc sacramentum c. de Jurejur. propt. calumn.* ubi item generatim statuitur: *Hoc sacramentum hodie remittitur, cum initio juretur, nihil se calumniose in toto negotio exigere.* Inde tamen ortum est dubium, quod Justinianus loqui videatur de juramentis, quæ olim ab iis exigebantur, qui probationes subire volebant; quod in Novel. 73 c. 7 adhuc speciale juramentum calumniæ desideretur ab eo, qui literarum comparatio-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nem postulavit. Quamvis autem à pluribus animadversum sit, in hac *Novella* contineri exceptionem, cujus ratio specialis in *Novella præfatione* data est, ut eo magis coerceatur malitia, quæ tunc frequens erat, eorum, qui documenta vitiare solebant, nihil otamen minus res nondum satis comperta, atque explorata fieri potuit. Sed omnem sustulit dubitationem Bonifacius VIII. in c. 2 de Juram. calumn. in 6, ubi statuit, quod *in omnibus causis, nedum ante, sed etiam postquam lis fuerit contestata, sive de veritate, sive de calumnia sit juratum in ipsis, potest judex à partibus exigere juramentum malitiæ, quoties viderit expedire.* — * L. 23 tit. 11 *Partitæ III.*

(2) Cap. 2 et ult. de Juram. calumn. in 6.

(3) Cap. 3, 4, 6, de Juram. calumn. — * Ll. 23 et 24 tit. 11 *Partitæ III*; l. 3 tit. 22 lib. 5 *Novis. Compilat.* (de Advocatis concepta.)*

(4) L. ult. cod. de Jurejur. propt. calumn. Glossa in c. 1 de Juram. calumn.

2. Datur hoc jusjurandum in omnibus causis (1), etiam spiritualibus, tam in prima, quam in secunda instantia (2). Si non petatur, impune omittitur, neque propterea judicium irritum est (3); verum pacto convento remitti non potest (4). At petitum omnino præstandum est, et si illud litigantes subire recusent, actor quidem causa cadet, reus vero pro confesso habebitur (5).

(1) In omnibus quidem causis jusjurandum propter calumniam dari voluit Justinianus in L. 1 cod. de Jurejur. propt. calumn.; sed tamen multi sunt interpretes juris civilis, qui in criminalibus causis illud locum habere negant. Consule Cujacium in c. 1 de Juram. calumn. opp. t. 6 col. 794 ed. cit. Verum Honorius II. in c. 1 de Juram. calumn. etiam ad causas criminales hoc jusjurandum videtur pertraxisse.

(2) Cap. 1 et 2 de Juram. calumn. in 6. De causis spiritualibus non eadem est sententia Honorii II in c. 2 de Juram. calumn. et Bonifacii VIII. in c. 2 §. ult. eod. in 6; nam ille in causis spiritualibus juramentum calumniæ emittendum negat, hic autem affirmat. Ut hæc dissidia componerent, multi Juris interpretes otio, et tempore abusi sunt. Mihi certum, exploratumque est, Bonifacium VIII. jus antea constitutum abrogare voluisse. Inquit enim: *in causis spiritualibus... canones non indicere alicui calumniæ juramentum*, se tamen, quia *frequenter calumniari* viderat *in ipsis*, juramenti necessitatem in his quoque causis imponere.

(3) Jure civile in L. 1 §. 4 cod. de Jurejur. propt. calumn., hoc juramentum per judicium exigi necessitatis est; eoque omisso irritum esse judicium plerique interpretes docent. Sed jure canonico, quo ubique utimur, in c. 1 §. 1 de Juram. calumn. in 6. tacite omitti posse, eoque omisso valere judicium, statuit Bonifacius VIII, quæ Baldi, et aliorum, contra Azonem, Martinum, aliosque nonnullos sententia fuit.

(4) Confer Glossam in c. 1 v. Tacite de Juram. calumn. in 6.

(5) Cap. ult. de Juram. calumn. L. ult. cod. de Jurejur. propt. calumn. — * Ll. 1 et 2 tit. 9 lib. 11 *Novis. Compilat.*

3. Clerici olim laicorum more in judicio jurare non poterant (1), sed nunc et ipsi jurant de calumnia, modo cum venia

Summi Pontificis, si Episcopi sint, cum venia autem proprii Antistitis, si sint clerici inferiores, jusjurandum emittant (2). Hoc inter laicos, et clericos discrimen est, quod illi tactis, hi vero propositis Evangeliis jurant (3).

(1) L. 25 § 1 cod. de Epist. et Cleric, qua Marcianus antiquam Ecclesiæ disciplinam confirmat: *ecclesiasticis*, inquit, *regulis, et canone à beatissimis Episcopis antiquitus instituto, clerici jurare prohibentur.* Eadem hæc disciplina est in can. 1 et 5 c. 2 qu. 4, et can. pent. et ult. c. 22 qu. 5, eamque laudat Honorius II. in c. 1 de Juram. calumn.; quo loco Marcianus mendose Marcus dicitur. Tum ipse Honorius describit constitutionem Henrici II. Imperatoris l. 2. Leg. Longobard. tit. 47, quæ Marciani constitutio, quæ solos comprendebat clericos Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ad omnes universæ clericos, atque etiam monachos traducta est. At enim clerici jurant in c. 5, 6, 7, de Juramen. calumn. Cujacius in c. 1 de Juram. calumn. opp. t. 6 col. 794, referendum id putat ad procuratorem; adeout clerici, et Episcopi per procuratorem jurare possint, per semetipsos vero non possint, nisi Episcopus cum venia Summi Pontificis, clericus cum venia proprii antistitis jusjurandum emittat. Ita, si licet gentium leges cum Ecclesiastico jure componere, Romæ olim Flamini Diali et Sacerdoti Vestali jurare fas non erat, quod et A. Gellius Noct. Attic. l. 10 c. 15 p. 534 ed. Lugd Batav. 1666, in edicto Prætori perpetuo expressum fuisse testatur his verbis: *Sacerdotem Vestalem, et Flaminem Dialem in omni mea jurisdictione jurare non cogam;* quod idem confirmasse Caligulam, tradit Dio l. 59 n. 13 p. 915 t. 2 ed. Hamburgi 1752. Sed hi tamen recte per alium jurabant; quod plebiscito comprobatum est apud Livium l. 31 c. 50 t. 4 p. 593 ed. Drakenborch. Amstel. 1711 Mihi hæc Decretalium interpretatio minus placet. Nam in c. 7 clericus tum per procuratorem, tum per semetipsum jurare cogitur; et in c. 5 clerici juramentum calumniæ præstare jubentur, *consuetudine, quæ legi contraria est, non obstante*, quod ad clericos per semetipsos jurantes arbitror pertinere. Equidem claram, et perspicuam puto causam, propter quam clerici, qui antea juramentum calumniæ non præstabant, in c. 5 et 7 jurare cogantur. Utraque hæc decretalis recentior est decretali Honorii II. in c. 1, per quam clerici jurant cum veniaSummi Pontificis. Itaque Lucius III. et Gregorius IX, harum Decretalium auctores, sese referunt ad jus novum ab Honorio II. constitutum; et licet neque Summi Pontificis, neque Prælati veniam exprimat, quam nominatim postulat Honorius II., tamen hujus veniæ necessitas in eorum quoque decretalibus tacite intelligenda est. Atque hæc quidem pertinent ad jusjurandum, quod in judicio emittitur, et quod calumniæ dicitur. Nam extra judicium et clerici ob gravem causam jurare solebant. Ita Episcopos, et clericos, ut, se purgarent, jurasse, constat ex Anastasio Bibliothecario in Pelag. t. 3 p. 292 ed. Romæ 1728, et ex can. 10, 18, 19, c. 2. qu. 5. Similiter eos interdum jurasse, cum justa urgeret causa, ostendunt Sozomenus Hist. l. 6 c. 30 p. 265 ed. Valesii Cantabrig. 1720, et Justinianus Novel. 23 c. 1, et Novel. 187 c. 2; ac Patres Concilii Constantinopolitani Œcumenici VI, Gregorium Diaconum in singulis propositis quæstionibus jurare coegerunt.

(2) Cap. 1 de Juram. calumn.

(3) Cap. ult. de Juram. calumn. Clericos, ad instar laicorum, Evangelia, aut martyrum reliquias manu tangere canones vetuerunt. Presbyteri, et Episcopi *vice juramenti, per sanctam consecrationem interrogabantur*; can. 4

c. 2 qu. 5. Interdum etiam *ante corpus* alicujus Sancti *tantummodo* quæsiti respondebant can. 8 et 9 ead. caus. et qu. Verum cum gravior aliqua urgere videretur causa, non solum Diaconos, quod de Evagrio Constantinopolitano tradit Sozomenus l. c. sed ipsos etiam Episcopos tactis Evangeliis jurasse constat. ex c. 4 §. ult. de Jurejur. et c. 5 de Purg. canon. Ad hunc sane modum Severum Episcopum jusjurandum dare, ac deferre debuisse, non obscure tradit S. Basilius Ep. 188 can. 1 ad Amphiloch. c. 10 opp. t. 3 p. 275 ed. Maurin. Paris. 1730.

4. Differt à juramento calumniæ, quod generale est, et omnia complectitur, quæ in judicio aguntur, juramentum speciale, quod datur quoties opus est, in singulis actibus judiciariis, etiamsi generale sacramentum calumniæ emissum fuerit, eoque jurans afirmat, se non ex dolo, aut calumnia certum illum actum expedire. Juramentum hoc à Bonifacio VIII (1) *malitiæ* juramentum dicitur, ut à generali juramento calumniæ distinguatur.

(1) Cap. 2 §. 2 de Juram. calumn. in 6.

TITULUS IX.

DE PROBATIONIBUS.

1. CAUSÆ DISCEPTATIO.—2. QUID PROBATIO; ET AD QUEM PROBANDI ONUS PERTINEAT?—3. PROBATIO PLENA, ET SEMIPLENA.—4. CONFESSIO.—5. POSITIONES.—6. POSITIONUM EFFECTUS.—7. TESTES.—8. UNIUS TESTIMONIUM.—9. QUALIS TESTIUM NUMERUS REQUIRATUR?—10. AD 12. TESTIUM QUALITATES.—13. QUI TESTIMONIUM FERRE NEQUEANT IN OMNIBUS.—14. QUI IN CERTIS CAUSIS.—15. QUI PRO CERTIS PERSONIS.—16. QUI CONTRA CERTAS PERSONAS?—17. ET 18. EXAMEN TESTIUM.—19. EXAMINIS PUBLICATIO.—20. INSTRUMENTA.—21. FIDES PUBLICI INSTRUMENTI.—22. FIDES PRIVATÆ SCRIPTURÆ.—23. JURAMENTUM, EJUSQUE DIVISIO.—24. JURAMENTUM VOLUNTARIUM, ET JUDICIALE.—25. JURAMENTUM NECESSARIUM.—26. VIS JURAMENTI, ET QUANDO EI LOCUS SIT.—27. INSPECTIO REI CONTROVERSÆ.—28. PRÆSUMPTIO JURIS, ET DE JURE.—29. PRÆSUMPTIO JURIS TANTUM.—30. ET 31. PRÆSUMPTIO HOMINIS, EJUSQUE SPECIES.

1.

Jacto litis fundamento, fit progressus ad causæ disceptationem. Si reu sin judicium veniens, satius ducat adversario cedere, quam obsistere, et liberaliter coram judice fateatur, veram, ac justam esse actoris petitionem, diutius judicio non contenditur; cum reus ipse suo testimonio, ac sententia in se condemnationem protulise videatur. Nullum tamen inde oritur impedimentum, quominus judex, audita rei confessione, sententiam proferat. Nam scitum est, judicium semel cœptum sententia esse absolvendum, nisi litigantes ultro, et mutuo consensu liti valedicant.

2. At si reus certamen non reformidet, judiciumque suscipiat, adhibendæ sunt probationes, per quas judici rei veritas innotescat. Neque enim ipsi non cognita rei veritate, sententiam ferre licet (1). Probatio est illius rei, quæ in controversiam venit, legitime judici facta demonstratio. Generatim onus probandi ad actorem pertinet, eoque non probante, reus absolvitur, quamquam nihil ipse præstiterit (2). Sed interdum probandi onere tenetur reus, cum nimirum præsto est actori juris præsumptio (3); aut cum reus, excipiendo, aliquid affirmat, quo contraria actio perimi, ac repelli possit, quia tunc ipse in exceptione sua actor efficitur (4). Interdum etiam tam actor, quam reus probare debet, quod pro se quisque asseverat, uti fit in judiciis duplicibus familiæ erciscundæ, communi dividundo, finium regundorum, in quibus uterque litigantium partes actoris sustinet (5).

(1) Can. 10 c. 30 qu. 5.
(2) L. cod. de Eden. can. 1 c. 6 qu. 3.—' L. 1 tit. 14 *Partitæ III.*'
(3) Cap. 2 de Restit. spoliat. in 6.
(4) L. 9 et 19 ff. de Probat.—' L. 2 ejusd. tit. et *Part.*'
(5) Cap. 3 et 9 de Probat.

(3) Probatio alia plena sive perfecta, alia semiplena, sive imperfecta est (1). Plena est, quæ plane, atque evidenter ostendit id quod proponitur, quæque apta est ad finiendam controversiam: semiplena, quæ fidem aliquam facit, sed non plenam, ac potius injicit opinionem, ut dictum unius testis, comparatio scripturarum, cetera similia.

(1) Plerique interpretes hanc tradunt probationum divisionem, quæ in foro receptissima est. Quamquam enim actor contra reum plene probare debeat id, quod proponit, tamen despicienda non est ea probatio, quæ conjecturam probabilem affert. Ea quidem satis non est ad condemnandum reum, sed tamen judicis diligentiam excitat ad alias conquirendas probationes, quibus suppleatur id, quod in semiplena probatione deesse videtur. Ita hæc semiplena probatio necessitatem imponit jurisjurandi, per quod aut reus se plane purgat, aut actor probationum inopiam supplet. Sane in L. 31 ff. de Jurejur. scriptum est: *solent sæpe judices in dubiis causis exacto jurejurando judicare.* Et in L. 3 cod. de Reb. credit. habentur hæc: *Inopia probationum, per judicem jurejurando res decidi oportet.* Jam vero *dubiis causis, et inopia probationum*, cujus gratia *res jureju-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

c. 2 qu. 5. Interdum etiam *ante corpus* alicujus Sancti *tantummodo* quæsiti respondebant can. 8 et 9 ead. caus. et qu. Verum cum gravior aliqua urgere videretur causa, non solum Diaconos, quod de Evagrio Constantinopolitano tradit Sozomenus l. c. sed ipsos etiam Episcopos tactis Evangeliis jurasse constat. ex c. 4 §. ult. de Jurejur. et c. 5 de Purg. canon. Ad hunc sane modum Severum Episcopum jusjurandum dare, ac deferre debuisse, non obscure tradit S. Basilius Ep. 188 can. 1 ad Amphiloch. c. 10 opp. t. 3 p. 275 ed. Maurin. Paris. 1730.

4. Differt à juramento calumniæ, quod generale est, et omnia complectitur, quæ in judicio aguntur, juramentum speciale, quod datur quoties opus est, in singulis actibus judiciariis, etiamsi generale sacramentum calumniæ emissum fuerit, eoque jurans afirmat, se non ex dolo, aut calumnia certum illum actum expedire. Juramentum hoc à Bonifacio VIII (1) *malitiæ* juramentum dicitur, ut à generali juramento calumniæ distinguatur.

(1) Cap. 2 §. 2 de Juram. calumn. in 6.

TITULUS IX.

DE PROBATIONIBUS.

1. CAUSÆ DISCEPTATIO.—2. QUID PROBATIO; ET AD QUEM PROBANDI ONUS PERTINEAT?—3. PROBATIO PLENA, ET SEMIPLENA.—4. CONFESSIO.—5. POSITIONES.—6. POSITIONUM EFFECTUS.—7. TESTES.—8. UNIUS TESTIMONIUM.—9. QUALIS TESTIUM NUMERUS REQUIRATUR?—10. AD 12. TESTIUM QUALITATES.—13. QUI TESTIMONIUM FERRE NEQUEANT IN OMNIBUS.—14. QUI IN CERTIS CAUSIS.—15. QUI PRO CERTIS PERSONIS.—16. QUI CONTRA CERTAS PERSONAS?—17. ET 18. EXAMEN TESTIUM.—19. EXAMINIS PUBLICATIO.—20. INSTRUMENTA.—21. FIDES PUBLICI INSTRUMENTI.—22. FIDES PRIVATÆ SCRIPTURÆ.—23. JURAMENTUM, EJUSQUE DIVISIO.—24. JURAMENTUM VOLUNTARIUM, ET JUDICIALE.—25. JURAMENTUM NECESSARIUM.—26. VIS JURAMENTI, ET QUANDO EI LOCUS SIT.—27. INSPECTIO REI CONTROVERSÆ.—28. PRÆSUMPTIO JURIS, ET DE JURE.—29. PRÆSUMPTIO JURIS TANTUM.—30. ET 31. PRÆSUMPTIO HOMINIS, EJUSQUE SPECIES.

1.

Jacto litis fundamento, fit progressus ad causæ disceptationem. Si reu sin judicium veniens, satius ducat adversario cedere, quam obsistere, et liberaliter coram judice fateatur, veram, ac justam esse actoris petitionem, diutius judicio non contenditur; cum reus ipse suo testimonio, ac sententia in se condemnationem protulise videatur. Nullum tamen inde oritur impedimentum, quominus judex, audita rei confessione, sententiam proferat. Nam scitum est, judicium semel cœptum sententia esse absolvendum, nisi litigantes ultro, et mutuo consensu liti valedicant.

2. At si reus certamen non reformidet, judiciumque suscipiat, adhibendæ sunt probationes, per quas judici rei veritas innotescat. Neque enim ipsi non cognita rei veritate, sententiam ferre licet (1). Probatio est illius rei, quæ in controversiam venit, legitime judici facta demonstratio. Generatim onus probandi ad actorem pertinet, eoque non probante, reus absolvitur, quamquam nihil ipse præstiterit (2). Sed interdum probandi onere tenetur reus, cum nimirum præsto est actori juris præsumptio (3); aut cum reus, excipiendo, aliquid affirmat, quo contraria actio perimi, ac repelli possit, quia tunc ipse in exceptione sua actor efficitur (4). Interdum etiam tam actor, quam reus probare debet, quod pro se quisque asseverat, uti fit in judiciis duplicibus familiæ erciscundæ, communi dividundo, finium regundorum, in quibus uterque litigantium partes actoris sustinet (5).

(1) Can. 10 c. 30 qu. 5.
(2) L. cod. de Eden. can. 1 c. 6 qu. 3.—' L. 1 tit. 14 *Partitæ III.*'
(3) Cap. 2 de Restit. spoliat. in 6.
(4) L. 9 et 19 ff. de Probat.—' L. 2 ejusd. tit. et *Part.*'
(5) Cap. 3 et 9 de Probat.

(3) Probatio alia plena sive perfecta, alia semiplena, sive imperfecta est (1). Plena est, quæ plane, atque evidenter ostendit id quod proponitur, quæque apta est ad finiendam controversiam: semiplena, quæ fidem aliquam facit, sed non plenam, ac potius injicit opinionem, ut dictum unius testis, comparatio scripturarum, cetera similia.

(1) Plerique interpretes hanc tradunt probationum divisionem, quæ in foro receptissima est. Quamquam enim actor contra reum plene probare debeat id, quod proponit, tamen despicienda non est ea probatio, quæ conjecturam probabilem affert. Ea quidem satis non est ad condemnandum reum, sed tamen judicis diligentiam excitat ad alias conquirendas probationes, quibus suppleatur id, quod in semiplena probatione deesse videtur. Ita hæc semiplena probatio necessitatem imponit jurisjurandi, per quod aut reus se plane purgat, aut actor probationum inopiam supplet. Sane in L. 31 ff. de Jurejur. scriptum est: *solent sæpe judices in dubiis causis exacto jurejurando judicare.* Et in L. 3 cod. de Reb. credit. habentur hæc: *Inopia probationum, per judicem jurejurando res decidi oportet.* Jam vero *dubiis causis, et inopia probationum*, cujus gratia *res jureju-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rando deciditur, nonnisi ad semiplenas probationes referri potest. Accedit auctoritas Juris Canonici in c. 4 de in integr. rest., ubi hæc scripta sunt: *licet non constet ad plenum*; et c. 6 de Frig. et malef. ubi hæc occurrunt: *quamvis semiplene nobis expresseris*. Quo utroque loco sine dubio semiplena probatio designatur. Sed receptam hanc divisionem probationum in plenas, et semiplenas vehementer improbant Duarenus l. 2 disp. 33, Donellus ad tit. Pandectar. de Jurejur. c. 11 n. 5 et seq. opp. t. 10 col. 747 et seq. ed. Lucæ cit., Faber de Error. pragmatic. dec. 19 er. 1. Inquiunt enim, semiplenam probationem nullam esse, neque probatum haberi posse, quod perfecte probatum non est, quemadmodum vitiose cautum non videtur cautum L. 6 ff. Qui satisd. cogan., neque stipulatio, emptio, testamentum valent, nisi perfecta sint omnia L. 115 ff. de Verb. oblig. L. 19 ff de Contrah. empt. Verum hi actus individui sunt, propterea mirum non est, eos non valere, nisi perfecti sint. Sed probatio dividua est, ideoque eam plus, minusve evidentem sæpe dicimus, et interdum etiam *luce clariorem*, qualem causæ criminales postulant L. ult. cod. de probat.

(4) Inter plenas probationes principem sibi locum vindicat confessio, cum nulla sit probatio major ea, quæ à proprii oris confessione procedit (1). Fit autem confessio vel in judicio, vel extra judicium; idcirco dividitur in judicialem, et extrajudicialem. Judicialis confesio summam vim habet, ita ut qui eam emisit, sua se sententia quodammodo damnasse videatur (2). Sed ut ea vires habeat, fieri debet à majori 25 annis, coram competente judice (3), ex certa scientia, sponte, atque libere, procul ab errore facti, quo probato nulla confessio est (4); denique non vaga, et incerta esse debet (5). Extrajudicialis confessionis non tanta vis est, neque ex ea confessus tamquam judicatus habetur; verum et ea plenam probationem constituit, si coram adversario, et idoneis, rogatisque testibus emissa sit (6).

(1) L. 1 ff. de Confessis, L. 15 cod. de non numer pecun.

(2) L. 1 ff. de Confessis, L. unic. cod. eod. Confiteri autem, inquit Paulus Recept. sentent. l. 5 §. 3 apud Schultingium l. c. p. 448, *quis in judicio non tantum sua voce, sed et literis, et quocunque modo potest*. Locum hunc Pauli diligenter explicant Cujacius, et Schultingius ibid.

(3) Confer Glossam in c. ult. de Confessis. Confessio coram incompetente judice emissa extrajudicialis confessionis vim habet.

(4) Cap. 3 de Confessis. L. 2 ff. eod. Verum de errore juris aliud est à legibus constitutum. Recte, præter ceteros, hoc argumentum persequuntur Donellus ad L. 2 ff. de Confessis opp. t. 11 col. 595 et seq. ed. Lucæ cit., et Cujacius ad tit. cod. de Confessis opp. t. 9 col. 1032 cit. ed. Mutin.

(5) L. 3, et L. 6 ff. de Confess. L. 6 ff. de Jur. fisci. Nam confessus incertum declarare debet, ut omnis dubitatio removeatur: L. 12 §. Nihil ff. de Interrog. action.

(6) Novel. 90 c. 2, Auth. Rogati cod. de Testib.

5. Ad eliciendam hanc confessionem jamdiu receptum est,

ut litigantium alter alteri proponat positiones, sive articulos, respicientes, non causam universam, sed facta quædam, quæ ad causam pertinent, ut iis ab adversario constitutis, alteri sit exploratum, quid probare ipse debeat, quid in probatis habere (1). Suffectæ sunt positiones interrogationibus, quæ olim ante contestatam litem fiebant in jure, sive apud Prætorem, cum quis experiri vellet actione reali, puta hæreditatis petitione, ac rei vindicatione, et nescius, possideretne, aut quo jure possideret reus, ex ejus ore acter exprimebat genus actionis, qua ipsum uti oportebat. Actio descendens ex his interrogationibus actio interrogatoria dicebatur, unde Pandectarum tituli *de interrogationibus in jure factis, et interrogatoriis actionibus*.

(1) Cap. 1 de Confess. in 6. Positiones, quales hodie adhibentur, jus civile ignoravit; atque earum primum meminerunt Decretales c. 54 de Elect. et c. un. de Lit. contest. Quod vero inquit Clemens V, Clem. *Sæpe* de Verb. signific., eas *longævo usu* in causis admissas, ad usum fori ecclesiastici referendum est.—'V. leg. 1 tit. 9 lib. 11 *Novis. Compilat.*'

6. Ille cui sunt oblatæ positiones, iisdem respondere juratus debet; ac si confesus fuerit, urgebitur testimonio suo, tamquam re satis certa, et probata (*a*); si respondere noluerit, aut ne responderet, à judicio discesserit, conscientia sua convictus judicabitur (1). Quod quidem obtinet, cum judex respondere jussit; nam qui à judicio discessit, antequam illud à judice mandaretur, contumax, non convictus existimatur. (2). Videre autem in primis judex, et considerare debet, probandæ ne an rejiciendæ sint positiones; non enim litigator positionibus obscuris, captiosis, dubiis, aut ad causam non pertinentibus cogitur respondere.

(*a*) 'Leg. 2 tit. 15 *Partitæ III.*'

(1) Cap. 2 de Confessis in. 6.—'Leg. 1 cit. tit. et lib. *Novis. Comp.*'

(2) Cap. 1 de Confessis in 6.—'Cit. l. 1.'

(N. S. Hispano Jure, in hisce confessionibus non alia admittuntur verba quam hæc: *Fatcor*, vel *Nego*; alias, si interrogatus dixerit *Credo*, vel *non Credo*, pro confesso habetur: leg. 2 tit. 9 lib. 11 *Novis. Compilat.*—Judici integrum est, tam actorem, quam reum, in quacunque judicii parte interrogare, si ad causæ justitiam elucidandam pertineat: leg. 1 *in fine* tit. 10 *Partitæ III.*—Ut autem confessio rite peragatur, plures sunt conditiones necessariæ; quarum præcipua est, ut clam coram judice, scriba excipiente, emittatur, nec ad deliberandum terminus, nec facultas consulendi detur: citata leg. 2).

7. Ubi confessione nequeat educi veritas, aliæ in medium

afferendæ sunt probationes, et veritas exquirenda, vel testibus, vel instrumentis, vel jurejurando, vel oculari inspectione, vel indiciis, et præsumptionibus. Testes sunt personæ fide dignæ, quæ rei controversæ veritatem ostendunt, quodque ab iis dictum est, testimonium appellatur. Omnis quæstio de testibus ad tria capita facile redigitur, ad eorum numerum, qualitatem, examen.

8. Quod attinet ad numerum, unius porro testis, quamquam ipse sit omni exceptione major (1), nulla tuta fides est (2); tantum facit, ne temere fiat, quod sine flagitii periculo fieri non potest. Ita cum dubitatur, num quis baptizatus sit (3), num ecclesia sit consecrata (4), cum agitur de impediendo matrimonio, deque avertendo malo, quod ex illo oriretur (5), uni testi credendum est. Sed et notario, qui ea confirmat, quæ sui officii sunt (6), nuncio, qui se aliquem citasse testatur (7), Episcopo, qui testimoniales literas suo sigillo munitas dedit, parocho, qui de suorum vita, et moribus, magistro, qui de studio discipuli testimonium ferunt, omnis habenda fides est.

(1) Sed *testimonium, ab uno licet Episcopo perhibitum, omnes judices indubitanter accipere* oportere, scriptum est in Extravag. in fin. cod. Theodos. tit. de Episcop. jud. p. 339 t. 6 ed. Gothofredi Lips. 1743. De hac constitutione, quæ Constantini M. nomen præsefert, et quam Gothofredus, aliique falsam putant, satis egi loco superiori tit. 1 §. 22 not. 4 p. 19 et seq.—'L. 33 tit. 16 *Partitæ III*, Regis testimonium plene probare declarat.'

(2) Cap. 10 et 23 de Testib. L. 8 cod. eod.

(3) Can. 110 de consecr. dist. 4.

(4) Can. 16 de consecr. dist. 1, ibique Glossa v. Nec certi.

(5) Cap. 12 de Sponsal. cap. 22 de Testib.

(6) Novel. 73 c. 7.

(7) Cap. 19 de Appellat.

9. Generatim tamen duo saltem, tresve testes requiruntur, ut plena probatio habeatur (1); nisi forte illorum numerus certa aliqua in re à jure sit definitus. Nam sunt certa quædam negocia, quæ plures eo numero testes requirunt (2); et in his quidem præscriptus numerus omnino adhibendus est. Ita personæ dignitas fecit, ut plures, quam duos, tresve, Ecclesia testes postularet, ut Episcopus condemnaretur (3). Expedit autem universe plures afferre testes, ut firmior, et luculentior probatio habeatur; modo adversarius non cogatur graves perferre sumptus propter inanem testium multitudinem. Jus civile eam rem permittit arbitrio judicis, cujus est testium numerum moderari (4); sed jure Decretalium testes supra quadraginta ex utraque parte in medium afferri non possunt (5).

(1) Cap. 23 de Testib. L. 12 ff. eod.—'Matth. XVIII, 6.'

(2) L. 1 §. 2 ff. de Testib. c. 25 mox cit. Consule Brissonium Select. qu. l. 2 c. 17.

(3) Contra Episcopum testes 72 adhiberi voluisse Zephirinum Pontificem, tradit Liutprandus in ejus Vit. p. 183 ed. Antuerp. 1640. Eumdem hunc numerum expresserunt Leo IV in can. 3 c. 2 qu. 4, et Capitularia Caroli M. l. 1 c. 135 t. 1 col. 431 ed. Baluzii Ven. 1772; ac Macedonium Episcopum Constantinopolitanum ab Episcopis septuaginta duobus de gradu dejectum narrat Auctor Chronic. Alexand. Olymp. 285 in Biblioth. PP. t. 12 p. 951 ed. Lugd. Imperatores Valentinianus, Valens, et Gratianus in L. 20 cod. Theod. Quor. appellat. non recip., testes 70 memorant adhibitos in causa Chromatii Episcopi; et Augustinus in Brevia. collat. diei 3 c. 14 opp. t. 9 col. 569 ed. Ven. cit., mentionem facit Concilii apud Carthaginem à Donatistis habiti, quo Cæcilianus ab Episcopis fere septuaginta condemnatus fuit. Mitto decretum Concilii Romani sub Silvestro Pontifice, quod est apud Gratianum can. 2 c. 2 qu. 5, et quo habentur hæc: *Præsul non damnabitur, nisi cum 72 testibus. . . . . Præsbyter Cardinalis nisi cum 24. . . . . Diaconus Cardinalis Urbis Romæ nisi cum 27. . . . . Subdiaconus, Acolytus, Exorcista, Lector, Ostiarius* 7; itemque mitto acta Concilii Sinuessani, ex quibus constat, adhibitos fuisse testes 72 adversus Marcellinum, qui idolis thus adolevisse ferebatur. Mitto inquam utrumque, quoniam Romanum illud Concilium ab Isidoro Mercatore fuisse confictum, omnes norunt; et similiter omnibus compertum est, fabulam esse Marcellini lapsum, et acta Synodi Sinuessanæ, quod, præter ceteros, late ostendit Papebrochius in Conat. Chronolog. Hist. in S. Marcellin. Dissert. 7 in Propyl. ad act. SS. Maii p. 42 et seq. ed. Antuerpiæ. Illud in his actis cura, et observatu dignum est, quod dicitur: *hi omnes electi sunt viri libra occidua, qui testimonium perhibent;* constat autem ex iisdem actis, libræ occiduæ vocabulo testes 72 significari. De libræ nomine parum laboro, nam veteres nominibus ponderum numeros designare solebant, quod præ ceteris ostendunt libræ, et unciarum vocabula usurpata ad significandum integram hæreditatem, quæ duodecim partibus constat. Mirum igitur non est, quod in actis Sinuessanis libræ nomine 72 testes intelligantur, quoniam Valentiniani, et Valentis constitutione in L. 5 cod. de Susceptor. l. 10 sancitum est, ut libra constaret solidis septuaginta duobus. Neque refert, quod Marcellinus Valentiniano, et Valente antiquior fuerit. Nam, ut rectissime est à Baronio ad an. 302 n. 91 seq. t. 3 p. 350 ed. Lucæ observatum, acta Synodi Sinuessanæ, qualia nunc extant, recentiorem habent auctorem, qui verba secundum sui temporis consuetudinem usurpavit. Itaque de libræ nomine expedita res est; sed non ita facile judicari potest, quamobrem Auctor eorum actorum hanc libram occiduam appellet. Joannes Dartis in Decr. Gratian. c. 2 qu. 5, non occiduam, sed assiduam legendum putat, hoc est veram, et expensam, uti eam vocem explicat testimonio Isidori Orig. l. 10 p. 65 ed. Paris. an. 1580; sed id quidem est contra omnium codicum fidem, et auctoritatem. Cujacius Observ. l. 17 c. 9 opp. t. 3 col. 455 ed. cit. et Baronius l. mox. cit. libram occiduam occidentalem explicant. Nam discrimen constituunt inter libram orientalem, et occidentalem, quarum altera constabat solidis octuaginta quatuor, secundum Constantini constitutionem in L. 1 cod. Theod. de Ponderat., altera ex cit. L. 5 cod. de Suscept. l. 10, solidos septuaginta duos continebat. Sed, ut bene monet Cironius Observ. l. 4 c. 5 p. 80 ed. Vindobonæ 1761, nulla est hæc orientalis, et occidentalis libræ distinctio; nec quod Constantini lex Antiochiæ, lex autem Valentiniani, et Valentis Romæ lata fuerit, exinde effici potest, quod illa tan-

tum ad orientem, hæc vero ad solum occidentem pertineret. Imo vero cum illi utrumque tenerent imperium, sine dubio tulerunt legem, qua totum imperium obstringeretur. Ipse Cironius occiduam libram in actis Marcellini interpretatur staterem, et paria libramenta accurato examine; sic ut occidua libra sit, quasi vergens, atque ad unam partem inclinans. Rejicit hanc sententiam Jacobus Gothofredus ad L. unic. cod. Theod. de Oblation. votor. t. 2 p. 465 ed. Lipsiæ cit. et occiduam libram explicat imminutam, quemadmodum à scriptoribus occiduum, imminutum, et quod occidit, passim appellari demonstrat.

(4) L. 1 §. 2 ff. de Testib.

(5) Cap. 37 eod.

* Lex tamen 2 tit. 11 lib. 11 *Novis. Compilat.*, nonnisi 50 adducere unicuique ex litigant. permittit.*

10. Multa etiam in testibus requiruntur, ut eorum testimonium judicio probetur. Principio citandi, atque etiam invitî cogendi sunt ad ferendum testimonium, et patefaciendam veritatem. Vetus est jus cogendorum testium in causis criminalibus (1); sed postea Justinianus etiam ad civiles causas jus idem produxit (2), atque ita factum est, ut in his quoque causis inviti darentur testes, qui pridem erant tantum voluntarii (3). Nunc igitur jure civili etiam invitis denunciatur testimonium, exceptis cognatis, affinibus, et quibusdam aliis (4).

(1) L. 4, 5 et 19 ff. de Testib., Plinius l. 5 Ep. 9 ad Minutian. p. 62 ed. Oxonii 1705. Confer Cironium ad tit. Decretal. de Testib. cogen.

(2) L. 16 et 19 cod. de Testib. Antiquiorem illam constitutionem, qua novum hoc jus induxit Justinianus, ipse memorat cit. L. 16; eam vero ex Basilicis restituit Cujacius Observ. l. 8 c. 15 opp. t. 3 col. 186 ed. cit. De testibus ad ferendum testimonium cogendis est etiam decretum in Lege Ripuariorum c. 50 apud Baluzium Capitular. Reg. Francor. t. 1 col. 27 ed. Ven. 1772, et in Lege Salica c. 51 apud eumdem Baluzium l. c. col. 225. *Si quis*, in Lege Salica scriptum est, *testes necessarios habuerit, et fortasse ipsi ad placitum* (judicium) *venire noluerint, ille, qui eos necessarios haberet, mannire* (monere) *illos debet. Si vero venire noluerint, et eos sunnis* (legitimum impedimentum) *non delinuerit, unusquisque illorum sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur.*

(3) Confer Quintilianum Inst. Orat. l. 5 c. 7 p. 243 ed. Patavii 1736.

(4) L. 4, 5, 8, 19 ff. de Testib.

11. Romana Ecclesia testes hortari et monere, non cogere consuevit (1). Tantum ecclesiasticus judex invito testimonium denunciat, si is odio, vel gratia, vel timore se subtrahat (2), atque alia desit probatio, unde veritas nosci possit (3). Et laicum quidem ipse judex cogit ad ferendum testimonium per excommunicationem (4), clericum vero per suspensionem ab officio, et beneficio, quam, si adhuc pergat obsistere, sequi potest sen-

tentia excommunicationis, ac depositionis (5). Quod si quis jurejurando promiserit, se non dicturum testimonium, nulla vis sacramenti est (6).

(1) Cap. 1 et 3 de Testib. cogen.

(2) Cit. Cap. 1.

(3) Cap. 5 et ult. de Testib. cogen.

(4) Cap. 1, 5, 9 ult. eod.

(5) Cap. 2 eod.

(6) Cap. 18 de Testib. C. ult. de Testib. cogen.

(N S. Testes legitime citati, qui vel Judicem adire renuant, vel Judicem adeuntes, juramentum præstare nolint, bene cogi poterunt, vel multæ indictione, vel captis pignoribus, vel etiam censuris Ecclesiasticis. *Tot. Tit. de Testibus cogendis, vel non*, et leg. 35 tit. 16 *Partit. III*; leg. 1 tit. 11 lib. 11 *Novis. Compilat.* At contra, qui ad dicendum testimonium sponte accedit, pro suspecto habetur.

* Lex 3 Oct. 1820. Reg. ordinat. 30 Aug. 1836 restaurata, sic se habet:

Art. 1.° «Todos, sin distincion alguna, están obligados, en cuanto la ley no les exima, á ayudar á las autoridades, cuando sean interpelados por ellas, para el descubrimiento, persecucion y arresto de los delincuentes.

Art. 2.° «Toda persona, de cualquiera clase, fuero ó condicion que sea, cuando tenga que declarar como testigo en una causa criminal, está obligada á comparecer para este efecto ante el juez que conozca de ella, sin necesidad de prévio permiso del gefe ó superior respectivo. Igual autoridad tendrá para este fin el juez ordinario respecto á las personas ecclesiásticas y militares, que los jueces militares y eclesiásticos respecto á las de los otros fueros, los cuales no deben ni pueden considerarse perjudicados por el mero acto de decir lo que se sabe como testigo ante un juez autorizado por la ley.

Art. 3.° «Toda persona, en estos casos, cualquiera que sea su clase, debe dar su testimonio, no por certificacion ó informe, sino por declaracion bajo juramento en forma, que deberá prestar segun su estado respectivo ante el juez de la causa ó el autorizado por este.»

12. Sed et jurati debent esse testes, quoniam injuratis non creditur, nisi eis adversarius jusjurandum remiserit (1); prælerea non singulares, quales sunt, qui singuli de disjunctis, diversisque actibus testantur, iique, inter quos de eodem actu non convenit (2); neque qui rem ex auditu deprehenderint, quia testes auriti plenam sibi fidem non vindicant, nisi alia præsto sint adminicula, aut nisi aliud causæ natura postulet (3); denique nullo vitio laborare debent, propter quod à testimonio repellantur. Quidam enim ab omnibus judiciis arcentur, quidam ab aliquibus, quorumdam testimonia pro certis personis, quorumdam contra certas personas non recipiuntur.

(1) L. 8 cod. de Testib., C. 39 et 51 eod. Vide etiam Capitularia Caroli M. l. 7 c. 285 t. 1 col. 727 ed. Baluzii Ven. 1772. Forte hujus sacramenti à testibus emittendi necessitas fecit, ut nonnisi à jejunis testimonium dari de-

beret. In Capitularibus Caroli M. et Ludovici Pii l. 5 c. 252 et l. 6 c. 277 apud Baluzium t. 1 col. 584 et 648 ed. cit. scriptum est: *Omnino nullus, nisi jejunus, ad juramentum, vel ad testimonium admittatur.* Quod idem constitutum est in C. 1 de Testib. *Nullus testimonium dicat, nisi jejunus.* Nam, uti sancitum est in canone, quem Cornelii P. nomine describit Burchardus in Decret. l. 12 c. 12, *honestum, et justum videtur, ut qui in sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate, et timore Dei.* Sanè vetus hæc est Ecclesiæ disciplina, ut nonnisi à jejunis sacra tractentur: can. 6 et 7 dist. 5 de Consecr. Sed ne despicienda quidem videtur conjectura, eorum, qui testes jejunos testimonium ferre debuisse putant, ne onusti vino, et cibo, perturbatam, aut minus veram attestationem emitterent. Sane in iisdem Capitularibus Caroli M., et Ludovici Pii C. 105 l. 5 l. c. col. 563 cautum est, ut *nullus ebrius suam causam in mallo possit conquirere, nec testimonium, nec placitum Comes habeat, nisi jejunus.* Illud de Episcopis statutum est Novel. 123 c. 7, eos non ad instar aliorum testium jurejurando sed fide tantum sua, ut decet Sacerdotes Dei, propositis sanctis Evangeliis, testimonium ferre oportere. Triburiensi autem Concilio an. 89 can. 21 col. 640 t. 11 Collect. Labbæi sancitum est, ut *Presbyter vice juramenti per sanctam consecrationem interrogetur, quia sacerdotes ex levi causa jurare non debent.* Consule Christianum Lupum Append. ad Ephesin. Latrocin. c. 2 act. 1 opp. t. 2 p. 220 ed. Ven., ubi causas habes, propter quas clerici jurant.

(2) Cap. 33 de Testib., C. 9 de Probat., C. 25 et 32 de Elect.

(3) Cap. 5, 27 et 47 de Testib., C. 15 de Probat. Tempus, quod hominum memoriam superat, per testes ex auditu, in quibus insint omnia, quæ inesse oportet, recte demonstratur L. 28 ff. de Prob. Iisdem quoque testibus consanguinitatem probari, traditum est; sed hodie, uti monet Cujacius ad C. 47 de Testib. opp. t. 6 col. 856 ed. cit. Lateranensis Concilii decreto arctata ad quartum gradum prohibitione nuptiarum, arctatur etiam de auditu testimonium. Confer ipsum cap. 47 de Testib.

13. A judiciis omnibus, tanquam minus apti, et idonei ad ferendum testimonium, repelluntur furiosi, amentes (1), itemque impuberes, servi, perjuri, infames, excommunicati (2). Quin jure Decretalium quilibet reus criminis postulatus, etiamsi nondum confessus, convictus, damnatus, et notatus infamia sit, testimonium dicere prohibetur (3); exceptis gravioribus criminibus, qualia sunt simoniæ, et læsæ Majestatis (4), in quibus etiam infames testimonium ferunt (5). Nam testes non tantum infamia, sed etiam infamiæ suspicione vacare oportet (6). Ceteri criminosi omnino rejiciuntur, cum adhuc in sceleris contagione versantur (7). Qui crimen perpetrarunt, modo perjuri non sint (8), ac deinceps salva existimatione abjecerunt, in judiciis civilibus, non item criminalibus, in quibus de crimine, pœnaque agitur, testes esse possunt (9).

(1) §. Item furiosi Inst. Quib. non est permiss. fac. test. et L. 20 §. Ne furiosus ff. Qui testam. fac. pos.

(2) Can. 1 et 3 c. 4 qu. 3, C. 47 de Testib.

(3) Cap. 54 et ult. de Testib.

(4) Cap. 7 de Simon., C. 1 de Testib. in 6. Ivo Carnotensis Ep. 27 opp. t. 2 p. 15 ed. Paris. 1647, *Cum in aliis accusationibus*, inquit, *accusatorum, et testium innocentia quæratur, ad insimulationem tamen simoniacorum etiam infames personas admitti.*

(5) Cap. 31 de Simon.

(6) Cap. 1 de Except., can. 39 c. 2 qu. 7 can. 2 et 3 c. 3 qu. 11.

(7) Cap. 54 de Testib., C. 32 de Simon. Confer etiam Capitularia Caroli M. l. 7 c. 324 t. 1 col. 732 ed. Baluzii cit.

(8) Qui in alia causa aliquando pejerasse probantur, etiamsi de perjurio illo damnati non fuerint, testes esse prohibentur C. 7 de Testib., Can. 13 c. 6 q. 1, C. 7 et 14 c. 22 qu. 5.

(9) Cap. 54 de Testib.

14. In certis causis, testimonium ferre nequeunt, fœminæ in causis criminalibus (1), nisi plane alius desit veritatis ostendendæ locus, ac nisi agatur de gravioribus criminibus simoniæ, et læsæ Majestatis, in quibus etiam minus idonei testes recipiuntur (2); patronus, et advocatus in causa, quam defendunt (3); judex in causa, quam judicat (4): denique omnes in propria causa testes esse prohibentur (5).

(1) Jure civili à causis criminalibus, mulierum testimonium excluditur, si hæ corpore quæstum faciant: L. 3 §. 3 ff. de Testib.; sed Decretales omnes universe fœminas repellunt.

(2) Can. 3 et 4 c. 15 qu. 3.

(3) Gloss. in C. 6 de Test. et L fin. ff. eod.

(4) Can. 38 c. 2. qu. 6.

(5) Can. 1 et 2 c. 4 qu. 4 L. 9 cod. de Testib.

15. Pro certis personis testimonium ferre nequeunt ii, qui sunt de domo, sive familia, nisi sint spectatæ fidei, et probitatis (1), vel nisi in controversiam veniat, quod alio modo probari non potest; veluti si quæratur de cognatione, legitimis natalibus, ætate (2). Similiter neque amici testimonium dicunt in causis amicorum (3), neque ii, qui similem cum aliis habent controversiam, et quorum judicium illud interesse potest (4); itemque monachi, et clerici in profanis rebus coram laico judice testimonium ferre vetantur, nisi aliud postulet necessitas ostendendæ veritatis; quo uno casu sunt testes cum sui antistitis venia, aut eorum testimonia ecclesiasticus judex recipit.

(1) L. 1 Cod. de Testib., cap. 24 de Testib.

(2) Cap. 3 Qui matrim. accus. pos.

(3) L. 3 ff. de Testib.

(4) Cap. 10 et 20 de Testib.

16. Postremo, adversus certas personas testes esse nequeunt: reus contra socios criminis (1), exceptis criminibus læsæ Majestatis, hæresis, et simoniæ (2); inimicus contra inimicum (3), libertus contra patronum (4), filius contra patrem, et pater contra filium, exceptis causis matrimonialibus (5); hæreticus, ethnicus, judæus contra orthodoxos (6); denique in causis criminalibus laici à ferendo contra clericos testimonio jure Decretalium repelluntur (7).

(1) Cap. 1 de Confessis, C. 10 de Testib.
(2) Can. 2 dist. 79, C. 4 de Hæret. in 6, C. 1 de Testib. in 6.
(3) Cap. 52 de Simon.
(4) L. 4 ff de Testib. L. 11 cod. de Testib.
(5) Can. ult. c. 4 qu. 2 L. 3 ff. de Testib. L. 5 cod. eod.
(6) Can. 24 et 26 c. 2 qu. 7.
(7) Cap. 14 de Testib.

17. Probi, et honesti testes legitime examinandi sunt, ut ipsis in judicio fides habeatur. Ergo qui probare debet, quod est incertum, testes producit, quos inde competens judex advocat, posteaquam eos dignos judicavit, qui in judicio recipiantur. In primis autem citandus est adversarius, contra quem testes afferuntur, ut contra ipsos proponat, si quid forte objiciendum habeat (1). Sic probati testes initio jurant, se procul habere causas omnes gratiæ, odii, simultatis, eaque dicturos, quæ vere sciunt, non ut cuiquam gratificentur, neque ut spem aliquam propositam habeant, sed quod uno veritatis studio feruntur (2). Deinde à judice clam, et seorsim ab aliis singuli interrogari, et examinari debent (3); nisi ex justa causa ad judicem venire impediantur, quia tunc ad eos mittitur, qui interroget (4).

(1) Cap. 2 de testib., quem in locum vide Cujacium opp. t. 6 col. 837 ed. cit.
(2) L. 8 cod. de testib., c. 31 et 47 eod.
(3) Cap. 52 de Testib.
(4) L. 15 ff. de jurejur., c. 8 de testib. Episcopos ad ferendum in judicio testimonium vocari vetuit Justinianus Novel. 123 c. 7 et 8.

18. Summa in hoc examine diligentia est adhibenda (1): et responsa testium clara esse debent, ita ut, si obscura sint, iterum illi interrogari debeant (2). Interrogantur autem de circumstantiis, personis, loco, tempore, credulitate, fama; in primis autem scientiæ causam afferre testes oportet per eum corporis sensum, cui res controversa subjicitur, veluti per fidem oculorum, si de facto, per fidem aurium, si de dicto quæratur (3). Quæ interrogationes plerumque ab adversario proponuntur (4), quo præsente interrogandi sunt testes, quæ civilis (5), et canonici juris (6) disciplina est; sed fori usu jamdiu receptum est, ut clam à judice interrogentur, ac tantum vocetur adversarius, ut adsit, cum illi sacramentum emittunt (7).

(1) Cap. 52 de testib.
(2) Cap. 53 eod.
(3) Cap. 57 et 47 eod.
(4) Cap. 2 de testib. in 6.
(5) L. 15 cod. de testib., novel. 90 c. 9.
(6) Cap. 2 de testib.
(7) Error interpretum, maxime veterum, hunc morem induxit; error autem processit ex prave intellecta Zenonis constitutione in l. 12 cod. de testib. Ea quidem scriptum est: *intrare* testes *judicantis secretum*. Verum, ut bene monet Polletus, histor. for. Roman. l. 5 c. 12, *secretum* est *tribunal*, ac *judicii locus*; non autem hæc verba significant, quod putarunt Interpretes, testes *secreto* interrogandos, atque *examinandos esse*. Consule Cujacium ad c. 2 de testib. t. 6 col. 857 ed. cit.

(N. S. A dicendo testimonio, alii *natura*, alii *conditione*, ac demum alii *vita* repelluntur.

Natura repelluntur fœminæ, impuberes, perpetuo amentes etc. Leg. 8 et 9 tit. 16 *Part. III.* Fœmina vero, quæ integræ famæ sit, à testimonio dicendo non repellitur legibus Hispanis; excepta testamenti factione: Leg. 17 *ejusd.* *Conditione* arcentur servi, domestici, et familiares, uti adfines, consanguinei, famuli, liberti, coloni etc. Leg. 13, 14, 16 et 18 *ibid.* *Vita* demum prohibentur infames: tum infamia juris, uti sunt omnes de aliquo crimine damnati: tum etiam infamia facti, uti sunt omnes criminosi, et scelesti, qui ob perditos suos mores male olent: *indicat.* Leg. 8. Adhæc reprobatur quoque testimonium inimici adversus inimicum: cap. 19 *de Accusationibus* et Leg. 12 *ibid*; neque facile admittitur testimonium laici adversus Clericum: cap. 14 *de Testibus.* Laici enim solent esse Clericis infesti: uti neque Clerici, in causis præsertim criminalibus, admittuntur adversus laicos: Can. 6 Caus. 2 Quæst. 7. Videsis Caravitam in *Ritu* 144 *M. C. V.* de hoc capite fuse agentem.

Testium adseveratio omni prorsus odii, vel adfectionis suspicione careat necessum est: cap. 5 *de Testibus*, ubi in hunc modum sancitur: « Jurent se non privato odio, neque amicitia, neque pro aliquo commodo, quod habuerunt, vel quod habent, vel habituri sunt, ad hoc jurandum inductos; » cui consonat Lex 24 tit. 16 *Partit. III.* Hoc juramentum initio examinis testibus præstandum omnino est, sine quo uniuscujusque testimonium nullius est roboris. Ad rem Concil. Tolet. VIII can. 2 n. 24: « Omne, quod testis adstipulat, tunc verius constat, quum id adjectio jurationis adfirmat. » Id quod statutum fuit Leg. 25 *ejusd.*

Testes admissos, juratosque, debet Judex ipse per se, clam, et seorsum ab aliis singulatim examinare. *Ipse per se*; judicis enim adspectus haud raro falsi audaciam refrænat; immo vetitum est Judicibus, tum Ecclesiasticis, tum Sæcularibus, in causis magni momenti testium depositiones Notariis committere: Concil. Valent. an. 1565, Sess. 3 tit. 3 cap. 3; leg. 16 tit. 32

lib. 12 *Novis. Compilat. Clam*; scilicet, ut præter judicem non intersit, nisi Graphiarius, vel Notarius, qui depositiones exscribat. *Seorsum ab aliis*; ut nimirum alter alterius testimonium ignoret. Id quod, quam strictissime observari voluerunt Reges nostri; Legi 26 tit. 16 *Partit. III.* et leg. 3 tit. 11 lib. 11. *Novis. Compilat.*; hoc insuper adjicientes, ut testis nullo pacto testimonium suum alteri pandat. De peragendi examinis methodo, tum et de exceptionibus, quæ adversus testes produci possunt, opportunius in *Institut. Civil.* Illud hic tantummodo animadvertere juvat, exceptiones generales contra testes, nullatenus admittendas esse; sed specificas, ex quibus Judici certo constet, eorum testimonia infirmari: leg. 2 tit. 12 lib. 11 *Novis. Compilat.*)

19. Peracto testium examine, publicanda, sive vulganda, ac litigantibus demonstranda sunt omnia, ut intelligant, quid gestum, dictumque sit, ac si quid habent objiciendum, proferant (1). At post publicationem, neque super propositis articulis, nisi forte aliqui omissi fuerint (2), interrogandi sunt testes (3); neque in eorum personas aliquid opponi potest, nisi qui eos refellit, prius juret, se id non dolo facere, aut nisi ante publicationem protestatus sit, aut nisi ostenderit, se demum post publicationem didicisse exceptionum causas, quas ignoraverat (4). Testes ab actore datos refellere potest reus contrariis ab se productis testibus, quos actor aliis item testibus refutabit; atque hic debet consistere productio testium, ut lites habeant medium quemdam modum (5). Cum inter actoris, reique testes pugna est, plus fide digni, ac verisimiliora affirmantes, cum hæc in omnibus paria sunt, plures numero præferuntur (6). Testimonia vero in uno judicio recepta fidem faciunt in eadem causa, et inter easdem personas coram alio judice (7); sed in summario recepta, in plenario non probant (8).

(1) Cap. 15 et 41 de testib.
(2) Cap. 48 eod.
(3) Cap. 17, 18, 25 eod.
(4) Cap. 31 eod.
(5) Cap. 15, 36, 49, 55 eod. Sed interdum, ut his locis explicatur, justis de causis etiam quarta testium productio conceditur. Illud omittendum non est, quod recte observat Cujacius ad c. 49 de testib. cit. t. 6 col. 856, magnum inter refellendos, producendosque testes discrimen intercedere. Nam testes refelli, et refutari etiam post publicationem recte possunt; cum tamen post publicationem iidem, vel alii non producantur.
(6) Cap. 32 de testib.
(7) Cap. 11 eod.
(8) Cap. 38 eod.

20. Præter testes, probationes educuntur etiam ex instru-

mentis; nimirum ex scripturis, quæ fidem judici faciunt rei, quam continent. Nam angustiori significatione scripturæ instrumenta appellantur; cum latiori significatione, quidquid ad causam instruendam pertinet, ideoque etiam testimonia, instrumentorum nomine comprehenduntur (1). Instrumentorum, quæ rite confecta sint, eadem est in judicio, quæ testium, fides, et auctoritas (2), eaque vel publica, vel privata sunt. Publica instrumenta, sive scripturæ sunt, quæ publica auctoritate conficiuntur à personis, quibus id munus datum est, uti sunt censuales tabulæ, instrumenta à notario rite conscripta, acta judicialia, scripturæ ex publicis archiviis eductæ (3), et à publica persona confectæ. Eodem loco sunt scripturæ publico, et autentico sigillo obsignatæ, veluti Principis, Episcopi, Capituli, Universitatis; itemque libri Parochorum, in quibus baptismata, matrimonia, funera describuntur. Privatæ scripturæ à privatis nulla publica auctoritate conficiuntur, et huc spectant epistolæ, apochæ, antapochæ, chirographa (*a*).

(1) L. 1 ff. de fid. instrum. Harmenopulus l. 1 tit. 2 c. 12, vocat probationes, instrumenta; quia hæc probant illud, quod judicio proponitur, et causarum firmamenta sunt. In Basilicis vero, et apud eumdem Harmenopulum instrumenta proprie dicuntur, pacta conventa in scripturam redacta, ut actum facilius probari possit: L. 4 ff. de fid. instrum.
(2) L. 15 cod. de fid. instrum.
(3) Auth ad hæc cod. de fid. instrum.
(*a*) (N. S. Quantum ad Hispaniam attinet, instrumentum publicum illud est, quod à tabellione publico, et à Sap. Castellæ Senatu approbato, confectum sit; leg. 3 tit. 15 lib. 7, et 7 tit. 23 lib. 10 *Novis. Compilat.*; et in quo subscriptiones testium, item contrahentium, et notarii, cum die, mense, anno, indictione et loco, contineantur: leg. 1 cit. tit. 23. Præterea, instrumenti abrasio, vel correctio, in aliqua ejus parte essentiali, suspicionis notam præsefert, nisi à notario de iis integra fides præstetur: ead. leg. 1; et leg. 111 tit. 18 *Partitæ III.*
De *authenticis* scripturis V. leg. 1 et 114 cit. tit. 18 *Partitæ III.*)

21. Publica instrumenta plenam in judicio probationem constituunt; modo authentica ipsa, hoc est, autographa proferantur (1). Nam exemplo non facile creditur, nisi ex authentico sumptum legitime sit, et cum eo conferatur, probeque conveniat (2). Fides tamen publicis quoque instrumentis subtrahi potest exceptione falsitatis, quæ pluribus testibus evidenter demonstrata sit (3). Præterea nihil efficit qui inter se contrarias scripturas protulit (4), aut abrasas in loco suspecto (5), aut lectionis ita impeditæ, ut legi, et intelligi nequeant (6).

(1) Cap. 1 et 16 de fid. instrum., l. 16, 11, 17 cod. eod.
(2) Cap. 1 et 16 eod.
(3) Cap. 10 eod.
(4) Cap. 15 eod.
(5) Cap. 3 eod., c. 7 de Relig. dom., c. 14 de privil.
(6) Cap. 6 de fid. instrum.

22. Privata scriptura, cujus est comperta veritas, tantum contra scribentem probat, modo causa debiti expressa sit (1); excepta liberatoria confessione, in qua creditor sibi solutum debitum profitetur, quæque nulla etiam adjecta causa, contra scribentem probationem facit (2). Sed scripturæ, quæ tribus munitæ sunt testibus, vim habent publici instrumenti (3); ac libris mercatorum, publicæ utilitatis, et commercii ratio, tam pro scribentibus, quam contra scribentes, fidem tribuit.

(1) L. 25 §. ult. ff. de probat., c. 14 de fid. instrum.
(2) L. 40. ff. de partis.
(3) L. 11 cod. *Qui potior. in pignor. habeant.* Necesse tamen est, uti animadvertit Brunnemanus in cit. l. n. 6, quod constet de manu, et subscriptione testium, sive per recognitionem, sive per comparationem, et quod etiam partes ipsæ subscripserint, testesque idonei sint.
(N. S. In Hispania privata instrumenta, in judicium deducta, nullam pariunt actionem, nisi à parte scribente recognita sint, vel duobus saltem testibus comprobata: Leg. 4 tit. 28 lib. 11 *Novis. Compilat.*, et Leg. 119 tit. 18 *Partit. III.*)

23. Est et probatio, quæ oritur ex jurejurando, quod definitur affirmatio religiosa, hoc est advocatio Divini Numinis in testem ejus rei, quæ promittitur, aut asseritur. Dividitur jusjurandum in promissorium, et assertorium. Illud futurum respicit, atque in contractibus non raro adhibetur; hoc ad præsens, aut ad præteritum tempus pertinet. Assertorium jurameatum triplex est, voluntarium, judiciale, et necessarium (1).

(1) Inscriptio illa tituli Pandectarum *de Jurejurando, sive voluntario, sive necesario, sive judiciali*, triplicem hanc habet jurisjurandi divisionem: — ac similiter lex 2 tit. 11 *Partitæ III.*

24. Voluntarium est, quod alter alteri, aut ex conventu, aut sine conventu, extra judicium defert, vel refert (1). Deferre jusjurandum est adversario offerre jurisjurandi conditionem; referre autem est non suscipere hanc conditionem, eamque in ipsum offerentem rejicere. Judiciale juramentum est, quod in judicio alter litigantium alteri defert, judice non cogente, sed

approbante; necessarium est, quod judex vel actori, vel reo defert, ubi plena probatio desit, ut inde veritas innotescat (2).

(1) Recte hoc jusjurandum voluntarium dicitur, quoniam sive illud ex pacto emittatur, hoc quidem ex libera litigantium voluntate procedit, ac præterea qui idem ex pacto deferre debet, neque extra judicium ad deferendum cogi, neque item, si deferat, adversarium ad jurandum adigere possit; sive contra sine conventu deferatur, integrum sit deferenti non deferre; integrum ei, cui delatum est, nec præstare, nec referre; integrum denique ei, cui delatum est, nec tunc illud præstare, quoniam semper deest, qui cogat, cum id privatus in privatum efficere nequeat. Consule Voetum in Pandect l. 12 tit. 2 n. 7.
(2) De voluntario jurejurando eadem est Latinorum, Græcorumque sententia: sed de necessario, ac judiciali magna dissensio est, quam jam sua ætate fuisse tradit Azo in Summa cod. de jurejur. n. 6. Nam Græci necessarium vocant, quod alter alteri in judicio defert, judice suscipiendi, aut referendi juramenti necessitatem imponente; judiciale, quod judex ipse defert sponte sua. Balsamon in Nomocanon. Photii tit. 15 c. 18, apud Justellum biblioth. Jur. can. t. 2 p. 1117 ed. Paris. 1661, « Voluntarium, inquit, quod datur ex voluntate partium extra judicium; necessarium, quod deferente actore, et ex interloquutione judicis datur; judiciale, quod judicis sententia, etiam nolentibus iis, qui litigant, controversiam decidit. » Cujacius in Paulum Recept. senten. l. 5 tit. 31 opp. t. 1 col. 449, et ad edict. Paul. l. 13 leg. 17 t. 5 col. 211, ita rem omnem distinxisse videtur, ut voluntarium jusjurandum sit, quod alter alteri extra judicium defert, necessarium, quod alter alteri in judicio, judiciale, quod à judice defertur. Tum observ. l. 18 c. 35 t. 5 col. 494, jusjurandum alteri ab altero delatum *voluntarium*, aut *necessarium* esse inquit, voluntarium, quod extra judicium, necessarium, quod in judicio defertur. Verum in Paratitl Digestor. ad tit. de jurejur. sive voluntar. sive neces. sive judicial. t. 10 col. 595, voluntarium esse inquit, quod ab altero alteri defertur in judicio, vel extra judicium; necessarium, quod refertur; judiciale, quod à judice refertur. Ego communem Latinorum opinionem sequor. Sane Gajus in l. 1 ff. de jurejur. « Maximum, inquit, remedium expediendarum litium in usum venit jurisjurandi religio, qua vel ex pactione ipsorum litigatorum, vel ex auctoritate judicis deciduntur controversiæ. » Duplex hoc loco Gajus jusjurandum proponit, alterum, quod *ex pactione litigatorum*, alterum, quod *ex judicis auctoritate* emittitur. Juramentum, quod ex litigatorum pactione procedit, necessarium esse omnino non potest; cumque huic pactioni oponatur judicis auctoritas, quæ necessitatem facit, consequens est, ut necessarium juramentum illud prorsus habeatur, quod in dubiis causis à judice pro sua auctoritate defertur. Juramentum autem ex pactione aut in judicio, aut extra judicium datur. Hoc plane voluntarium est, illud judiciale, quoniam coram judice emittitur. Revera Paulus l. 17 ff. de jurejur. juramenti ex conventione non unum genus constituit: « Jusjurandum, inquit, quod ex conventione extra judicium defertur, referri non potest. » *To extra judicium*, evidenter ostendit, aliud esse jusjurandum ex conventione, quod in judicio defertur; et hoc nonnisi judiciale juramentum esse potest, quod ab alio distinguitur propter conventionem, quæ in judicio facta est. Gajus, qui genus enarrabat juramentorum finiendæ litis causa instituorum, utrumque juramentum, quod nos voluntarium, et judiciale appellamus, complexus est uno verbo *ex conventione*; sed Paulus, qui speciem

explicabat conventionalis juramenti, addere debuit *extra judicium*, ut ostenderet, non utriusque conventionalis juramenti vim eamdem esse, sed aliud valere juramentum ex conventione in judicio, aliud juramentum ex conventione extra judicium facta. Communem Latinorum de jurisjurandi distinctione sententiam, præter ceteros, late exornant Donellus in tit. digest. de jurejur. opp. t. 10 col. 849 seq., et Voetus in Pandect. l. 12 tit. 2 n. 7. Vide etiam Ant. Matthæum de judic. disp. 10 th. 6 et 7.

25. Juramento necessario locus est in causis dubiis, idque dicitur *suppletorium*, quoniam eo semiplena probatio supplетur (1). Dubiæ causæ ex veriori sententia sunt, in quibus plena probatio data non est, puta, quod graves adsint præsumptiones, quæ non omnem abigunt scrupulum, aut quod allati sint testes in quos aliqua exceptio cadere posse videatur. Defertur hoc jusjurandum ei, qui semiplene probavit, modo personarum, et causæ ratio habeatur (2); et si reus æque, atque actor semiplene probaverit, deferendum est reo, cujus in re dubia potior causa est (3).

(1) Qui semiplenam probationem contemnunt, juramenti suppletorii nullam rationem habent. At in dubiis causis, ut inquit Cajus in L. 31 ff. de Jurejur., vel, ut loquuntur Diocletianus, et Maximianus in L. 3 cod. de Reb. cred., in probationum inopia, judex delato juramento litem finit. Verum si quærimus, dubia causa, et inopia probationum nihil est aliud, quam causa, in qua semiplene probatum est. Nam si dubiam causam, et inopiam probationum intelligamus causam, in qua pares ab actore, et reo probationes datæ sunt, par erit utriusque causa, ideoque absolvere oportebit reum, cujus in pari causa potior conditio est: L. 125 et 128 ff. de Regul. jur. C. 6 de Fide instrum., C. 65 de Verb. signif. in 6; tantum abest, ut jusjurandum à judice deferendum sit. Rursus si probationum inopiam, quod placuit Giphanio in L. 3 cod. de Reb. cred., intelligamus causam, in qua nihil ab actore probatum est, erit omnino judicandum pro reo, quem actore non probante..... etsi nihil ipse præstet, obtinere voluit Imperator Antoninus in L. 4, cod. de Eden. Restat igitur, ut dubiam causam, et inopiam probationum omnino referamus ad causam, in qua semiplene probatum est.

(2) Cap. ult. §. ult. de jurejur.

(3) L. 125 et 128 ff. de regul. jur.

(N. S. Jusjurandum maxime expediendarum litium remedium habitum est: leg. 1 *Dig. de Jurejurando*. Ac merito *Suppletorium* audire consuevit, quippe quod defectum probationum suppleat. Namque nonnisi ob defectum probationum, à Judice per Jusjurandum litem aliquam decidi oportet. Id quod agnovit Syn. Tolet. VIII, can. 2 n. 24: « Quod si et testis deficiat, innocentis fidem sola Jurisjurandi taxatio manifestat:» et Alphonsus Sap. leg. 2, et 9 tit. 11 *Partit. III.*)

26. Oblatum juramentum litigantes recusare non possunt, nisi justam habeant recusandi causam; ut si deferatur reo, contra quem nihil probavit actor, aut actori, qui plenam proba-

tionem attulit (1). Delato, et emisso juramento, secundum eum, qui juravit, ferendum judicium est (2). In omnibus autem causis civilibus huic juramento locus est; non item in criminalibus, propter perjurii metum (3).

(1) Cap. 2 de Probat.

(2) L. 31 ff. de Jurejur.

(3) Consule Voetum in Pandect. l. 12 tit. 2 n. 10. Juramentum hoc, quo quis se purgat ob infamiam ex crimine contractam, purgatio *canonica* appellatur, de qua titulus est in Decretalibus *de Purgatione canonica*, et cujus olim frequens usus erat. «Clerici, qui sunt de apostasiæ crimine infamati.... per districtionem ecclesiasticam coercendi sunt, donec deficiente probatione, ad infamiam abolendam, purgationem canonicam curaverint exhibere;» inquit Innocentius III. in cap. 3 de Apost. Idem de clerico homicidii reo in C. 14 de Homicid. volunt., vel casual., de calumniæ suspecto in C. 2 de Calumn., de presbytero accusato in C. 10 de Accusat., de clerico concubinatus suspecto in C. 8 de Cohabit. cleric. et mulier. statutum est. Memorant quoque hoc sacramentum Augustinus Ep. 78 opp. t. 2 col. 241 ed. Maurin. Ven. 1759, Gregorius M. l. 2 Ep. 35 l. 7 Ep. 18 l. 13 Ep. 34 opp. t. 2 col. 597, 864, 1241 ed. Paris. cit., et Gregorius Turonensis Histor. Francor. l. 8 c. 9 et 40 col. 382 et 411 ed. Paris. 1699. Jurare olim mos fuit ad B. Petri corpus, de qua formula, et similibus videndus Du-Cangius in Glossar. Veteri consuetudine, institutoque, juraturus, tres, quinque, aut septem ejusdem prope ordinis vicinos, aut saltem, qui eum plane nossent, ac probatæ fidei essent, sibi socios, tamquam adsertores adsciscebat can. 12, 13, 16, 17 19, c. 2 q. 5 C. 7, 9, 11 de Pugat. canon., quo spectant formulæ tertia, quinta, aut septima manu jurare. Interdum plures etiam ad jurandum vocabantur, si aut qui se purgabat, laicus esset, aut gravioris esset infamia criminis, qua clericus laborabat C. 1 et 10 de Purgat. canon. Ili porro socii *Compurgatores*, *Conjuratores, et Sacramentales* dicebantur; quorum crebra mentio est in Capitularibus Regum Francorum, præsertim in Capitular. Dagoberti tit. 1 n. 6 tit. 9 n. 4, in Capitularibus Caroli M. l. 3 c. 9 apud Baluzium t. 1 col. 68, 84, 509, et in L. Salica tit. 50 ib. col. 224. Primum ille, cujus erat negotium, de quo quærebatur, super sancta Evangelia jurabat; deinde compurgatores jurabant similiter super sancta Evangelia, eum vere, ut ipsi credebant, jurasse can. 17 c. 2 qu. 5. Sed nunc purgatio canonica fere ubique desuevit, neque amplius in causis criminalibus jusjurandum emittitur. Confer Giraldum Exposit. Jur. Pontific. l. 5 tit. 34 sess. 894 p. 755. Memorat etiam Gratianus can. 25 c. 2 qu. 5, ex Concilio Wormatiensi, purgationem per sacram communionem, quæ hoc modo fiebat. Cum aliquis accusatus omnem ab se removere cupiebat suspicionem criminis, quod vel non poterat demonstrari, vel non satis evidenter excludi, is ante altare, et sanctissimam Eucharistiam ducebatur. Antequam vero Christi corpus acciperet, animum suum aliis præsentibus declarabat his, aut similibus verbis: *Corpus Domini sit mihi ad purgationem hodie*. Plures hujusmodi purgatione uti consuevisse, testatur Muratorius Antiq. Italic. dissert. 58; qui illud etiam animadvertit, quod quamquam hæc purgatio parum differret ab ea, quæ per juramentum fiebat, tamen posteriori ætate, legitima, et canonica purgatio juramentum habitum est. Alias quoque purgationes describit Martenius de Antiq. Eccl. rit. l. 3 c. 7 §. 3 et 4.

* V. leg. 10 tit. 11 *Partitæ III.*

(N. S. In antiquis Visogotthorum legibus, lib. 7 cap. 97 sancitur, ut Judex

provirili nitatur per testes, vel per scripturas veritatem extundere: *Ne ad Sacramenta facile veniatur. Ut Sacramenta cito non fiant.* Qua de re Alexander III in cap. 2 *de Probationibus*, quum apud quosdam consuetudo invaluisset, ut etiamsi actor plene probasset, jurare cogeretur, in hunc modum edixit: « Sane quoniam apud vos consuetum esse didicimus, ut quum aliquis intentionem suam fundaverit instrumentis, aut testibus, et Sacramentum nihilominus deferatur, quod si subire noluerit, fides probationibus non habeatur: Nos (quum tunc demum ad hujusmodi sit suffragium recurrendum, quum aliæ legitimæ probationes deesse coscuntur), talem consuetudinem reprobamus.»—In Hispania usitata quoque fuit hujusmodi purgationis forma, nedum in Foro, uti evincitur ex leg. 2 tit. 1 lib. 6 *Fori Judic.*; sed et in Ecclesia; quod patet ex Synod. Auson. an. 1068, cap. 7; Ilerdensi an. 1219, in Compilat. Tarracon. lib. 5 tit. 14 cap. un.; quam et interdum usitandam voluit Synod. Vallisolet. an. 1322 Capite 26).

27. In probationum ordinem referenda est etiam inspectio rei, quæ à judice adhibetur, ut oculis subjiciat, quæ non satis certa, et explorata sunt, atque ita oculorum testimonio controversiam expediat. Hanc inspectionem pragmatici *accessum* vocant, quia judex ad rem inspiciendam accedit, eique locus est in iis rebus quæ sub oculos cadunt; veluti in judicio *finium regundorum*, ac servitutum, in *novi operis nunciatione*, in ætate ex habitu corporis definienda, in causis matrimonialibus, in quibus quæritur, num aliquis aptus ad matrimonium sit, num umquam venerem exercuerit. Verum in his causis judex non solus rem ipsam inspicit, sed viros adhibet peritos rei, de qua agitur, aut ipsis judicium committit. Quin in causis matrimonialibus, ubi quæritur, num quis liberis operam dare possit, viri à medicis, et quirurgis, mulieres ab honestis matronis, et obstetricibus inspiciuntur (1).

(1) Cap. 4 et 14 de Probat, C. 6 et seq. de Frigid. et malefic.
(N. S.: Hoc probationis genus etiam in antiquis Hisp. Eccl. judiciis locum obtinuisse, constat. Patres enim Syn. Hispal. II, can. 2, querimoniam inter Fulgentium Astigitanum et Honorium Cordubensem agitatam, propter parochiam cujusdam basilicæ, quam alter eorum Cælestinensem, alter Regiensem asserebat, ad litem terminandam *inter alternas partes, inspectionis viros mittendos* decreverunt, ut limitum actio, ab utroque Episcopo vindicata, hoc modo patefieret. In civilibus judiciis æque admittendam esse hanc probationem, sanxit Alph. Sap. legg. 8 et 13 tit. 14 *Partitæ III*).

28. Denique vim probationis habent præsumptiones (1), quæ sunt conjecturæ ex aliquo verisimili ad probandum sumptæ (2), eæque vel juris, vel hominis sunt. Præsumptio juris à lege procedit, hoc est, certa lege, vel canone comprehenditur, neque à judicis arbitrio pendet; eaque duplex est, pro diversa ratione,

qua proponitur, alia *juris tantum*, alia *juris*, et *de jure*. Præsumptio *juris*, et *de jure* est, quam non modo jus probat, sed etiam ita certam, atque exploratam habet, ut omnem contrariam probationem excludat. Ita, jure Decretalium, si quis concubuit cum muliere, cum qua prius sponsalia contraxerat, inducitur matrimonii præsumptio, quæ labefactari non potest, et qui ea premitur, aliam uxorem accipere prohibetur (3).

(1) L. 16 cod. de Probat., C. ult. de Præsumpt., C. 7 de Hæret. in 6.
(2) Hoc in primis habet præsumptio, ut ad veritatem referatur, neque de falsis argumentum accipiat; in eoque differt à fictione, quæ fit de eo, quod non est, nec fuit, veluti fictio legis Corneliæ, quæ postliminio reversos in civitate semper fuisse fingit, non autem præsumit. Huc etiam spectat Publiciana actio, et ficta traditio, cujus in jure civili frequens usus est. Ita si quis sibi rei donatæ, et non traditæ usumfructum retineat, ut in L. 28 et 55 §. Sed si quidem cod. de Donat., vel conducat, ut in L. 76 ff. de Rei vindic., vel precario possidere constituat, ut in L. 18 ff. de Acquir. possess., traditio corporalis rei donatæ pro facta habetur, quamquam revera facta non fuerit, quia fingitur, quod donans donatario, rem *brevi manu* tradiderit. Raro jus canonicum has fictiones admittit; neque ego assentior Cujacio, qui Observat. l. 19 c. 18 opp. t. 3 col. 510, fictæ traditionis argumentum sumit à cap. 2 de Consuet. ubi glebæ traditio non fictionem continet, sed signum est datæ possessionis, atque ejus veritatem ostendit. Quæ traditio fit sæpe per glebam, per herbam, per festucam, per cultellum, per ostium, in formulis antiquis, per panem, per librum. Atque ita annulus signum est fœderis conjugalis, et veri matrimonii, vitta conjunctionis can. 7 c. 30 q. 5. Est autem præsumptio diligenter à fictione distinguenda.
(3) Cap. 30 de Sponsal. Sed hoc jus antiquatum nunc esse monui l. 2 tit. 2 sect. 7 § 105 (p. 125).

29. Præsumptio *juris tantum* est ea, quam jus probat tamquam verisimilem, non tamquam certam, et veram, adeout contraria probatione infirmari non possit. Ita hæres, qui inventarium non confecit, hæreditaria bona distraxisse censetur; sed hæc præsumptio contraria demonstratione tolli potest. Hujusmodi sunt pleræque præsumptiones, de quibus agunt Decretales *in titulo de Præsumptionibus*; et harum omnium propriæ sunt formulæ *videri*, *existimari*, *intelligi*, *haberi*. Præsumptio *juris* et *de jure* omnem respuit contrariam probationem (1); præsumptio *juris tantum* non eam sane respuit, sed probandi onus in illum transfert, qui habet contra se præsumptionem (2).

(1) Cap. 30 de Sponsal., C. 4. Qui matrim. accus.
(2) L. 24 ff. de Probat., C. 10 de Præsump.

30. Præsumptio hominis est conjectura ab indiciis nata, quæ

nulla certa lege continetur, eaque vel est levis, et temeraria, vel probabilis, vel violenta. Levis et temeraria præsumptio est, quæ ex incertis oritur, levibusque argumentis, et quæ nihil probat. Ad hoc præsumptionis genus referri possunt antiquæ purgationes, quæ *vulgares* dicebantur (1), quasque olim interdum adhibitas fuisse constat per aquam frigidam (2), aut ferventem (3), ferrum candens (4), monomachiam, seu duellum (5), et similia; quæ cuncta à Summis Pontificibus merito damnata, et improbata sunt (6).

(1) *Vulgarium purgationum*, quæ etiam appellabantur *judicia Dei*, de quibus videndus Du Cangius in Glossar. verb. *Judicium Dei*, multæ erant species, quas à Longobardis, aliisque è Germania populis in Italiam invectas, exponunt Gonzalez in C. 5 de Purgat. vulgar. Cujacius l. 1 Feudor. tit. 1 §. Si autem controversia opp. t. 2 col. 1077 seq. ed. cit., Muratorius Antiq. Italic. dissert. 58 et 59, Martenius de Antiq. Eccles. rit. l. 3 c. 7 aliique permulti. Longobardorum Rex Luitprandus L. 3 Longob. de Hom. l. hom. profitetur, se propter suorum consuetudinem impiam illam legem duelli vetare non potuisse. Canones passim damnant has vulgares purgationes can. 7 §. 1 can. 20 et 21 c. 2 qu. 5 C. 8 de Purgat. canonic., et titulus Decretalium de Purgat. vulgar. Tribuitur autem Gregorio M., can. 7, quem mox laudavit; et certe prima ejus pars desumpta est ex ipsius Gregorii Ep. 6 l. 13 ad Brunichildem Franc. Regin. opp. t. 2 col. 1218 ed. Paris. cit., sed pars altera, ubi vulgaris per frigidam aquam, ignitumque ferrum probatio memoratur, pertinet ad epistolam Alexandri II, cujus initium est in can. 11 caus. et qu. cit. post cujus can. 11 extrema verba pars posterior can. 7 continenter legenda est. Revera Alexandro II. posteriorem hujus canonis partem tribuit Ivo Part. 10 c. 5, et Pann. l. 5 c. 8, quod rectissime animadversum est à Romanis Correctoribus, qui diligenter etiam notant apocryphos canones, qui in eam rem à Gratiano laudantur. Verum alicubi ferventis aquæ, aut ferventis ferri judicium permissum fuisse, innuit Triburiensis Concilii canon apud Gratianum can. 15 c. 2 q. 5, cujus canonis sententia est in C. 1 de Purgat. canon. Sed quoniam hæc judicia semper Romana Ecclesia aversata est, ea verba ferventi aqua, aut candenti ferro, prudens Raymundus omisit. Vulgarium probationum vestigia usque ad extremam ætatem alicubi superfuisse, tradit Van-Espenius Jus eccl. univ. par. 3 tit. 8 n. 37. Vide etiam Ivonem Carnotensem Ep. 74 opp. t. 2 p. 57 ed. Paris. 1647, et Cironium Paratitl. in Decret. de Purgat. vulgar.

(2) Aquæ frigidæ judicium unum erat ex vulgaribus probationibus, quas Dei judicia appellabant. Gravioris alicujus criminis suspectus, aut accusatus, in aqua mergebatur, ac si supernataret, nocens, ac reus, contra si in imum delaberetur, innocens judicabatur. « Conligatur autem fune, inquit Hincmarus de Divort Lothar., qui examinandus in aquam demittitur.... qui ob duas causas conligari videtur; scilicet ne aut aliquam possit fraudem in judicio facere, aut si aqua illum velut innoxium receperit, ne in aqua periclitetur, ad tempus valeat retrahi. » Similia habet vetustus Ordo apud Martenium de Antiq. Eccl. rit. Ord. 8 l. 3 c. 7. Judicium hoc aquæ frigidæ etiam à Monachis adhibitum, narrat Mabilonius Annal. Benedict. l. 54 §. 112 t. 4 p. 261 ed.

Lucæ 1739. Quibus autem ritibus, et cæremoniis judicium illud, ac cetera, de quibus mox dicam, peragerentur, ostendunt, præter ceteros, Juretus in Ivon. Carnoten. Ep. 74 p. 154 seq. ed. Par. 1647. Delrius Disquis. magic. l. 4 q. 4 sect. 4, Pithœus in Glossar. ad Capitul. Caroli M. verb. Aquæ ferventis etc., Baluzius Formul. Exorcism. post Capitular. Reg Francor. t. 2 col. 445 seq ed. Ven. 1755, Mabillonius Analect. t. 1, Martenius de Antiq. Eccles. rit. l. 3 c. 7 ord. 8 et 9, Muratorius Antiq. Eccles. Dissert. 58.

(3) Judicii, aut examinis aquæ ferventis ratio hæc erat. Criminis accusatus, ut se purgaret, manum in aquam ferventem nudato brachio immittebat, ac si illam incolumem educeret, innocens, si contra, reus pronuntiabatur.

(4) Criminis accusatus, ferrum candens nuda manu tenere debebat, eaque incolumi innocens, combusta vero, reus habebatur. Judicium hoc ferri candentis dicebatur. Huic simile erat judicium vomerum ignitorum, per quos gravi criminis suspicione laborans, nudis pedibus transire debebat. In vita S. Henrici apud Surium c. 21, 14 Julii, scriptum est, hoc sibi judicium elegisse sanctissimam fœminam Cunegundem, Henrici Imperatoris uxorem; quamquam illud servorum proprium fuisse demonstret Concilium Moguntinum an. 847 can. 24 apud Labbæum t. 9 conc. col. 1045 ed. Ven. Erat et judicium ignis, per quem transire debebat quisquis rei alicujus veritatem demonstrare cupiebat. Celebre illud, quod de Petro, Monacho Vallis-Umbrosæ, qui *Igneus* appellatus, atque Albani Episcopus, et Cardinalis fuit, memoriæ proditum est. Is, ut ostenderet Florentinum Episcopum simoniace in eam sedem irrepsisse, per medios ignes transivit, sicuti narrant Baronius ad an. 1063 n. 53 t. 17 p. 249 ed. Lucæ, et Ughellius ital. sacr. in episc. Alban. n. 26 t. 1 col. 251 ed. Ven. an. 1717.

(5) De Monomachia, seu duello late agit Muratorius antiq. italic. dissert. 59. Erat et judicium crucis, ac panis et casei, quæ duo similiter ad vulgares probationes referuntur. Crucis judicium pluries memorant Capitularia Regum Francorum. Du-Cangius in glossar. verb. Crucis judicium, multis quærit, quænam esset hujus judicii ratio, ac denique sic statuit, eos, qui hoc judicium subibant, expansis in crucis formam brachiis, ad crucem stare debuisse certo, ac definito tempore, ex gr. donec Evangelium, aut aliqui psalmi recitarentur; qui si immobiles permanerent, innocui, si vero caderent, aut crimen fateri ultro cogerentur, rei judicabantur. Judicium panis, et casei in eo consistebat, quod alicui panis, et caseum benedictum dabatur, ac si is utrumque ederet, atque in stomachum mitteret, innocens, contra vero, reus habebatur.

(N. S. In Hispania plurimum quondam invaluit id genus Purgationum. Usus *monomachiæ* ad difficile sterminandas contentiones, frequentissimus sane fuit. Profecto de monomachia, uti de communi probationis modo, loquitur Alphonsus Sap leg. 1 tit. 4 *Partit. VII.* Altera purgationis forma fuit *per aquam ferventem*; quam quidem ratam habuere Egica, et Witiza leg. 3 tit. 1 lib. 6 *Fori Jud.* Tum et alia *per aquam frigidam*, quam et probarunt Syn. Tullugiensis an. 1045 cap. 9, et Ausonen. an. 1068 cap. 7. Postrema *per ferrum candens;* eamque Alphonsus V Legionensibus, et Alphonsus VIII Biaciensibus servandam præscripsit. Plures, easque revera superstitiosas cæremonias ad hujus purgationis usum indixit præf. Alphonsus VIII, uti erat illorum temporum opinio: at non defuerunt, qui eas, non modo non probarent, uti Alphonsus Sap. monomachiam pro rei controversæ decisione, leg. 8 tit. 14 *Partit. III*, sed et improbarent omnino: Syn. Vallisolet. an. 1322 cap. 27).

(6) Can. 20 c. 2 q. 5, c. 8 de purgat. canon.

31. Præsumptio probabilis oritur ex probabilibus conjecturis, quæ prudentibus etiam viris persuaderi possunt; violenta ex indiciis, argumentisque gravissimis, quæ fere claram probationem constituunt. Cunctæ hominis præsumptiones pendent ab arbitrio judicis, cujus est pro animi sui religione judicare, quanta in singulis vis insit, et quanta iis fides tribuenda videatur. Coacervantur autem præsumptiones, et conjecturæ, quæque singulæ forte inter se non movent, universæ tamen connexæ, atque conjunctæ, movere debent. Plus præstant præsumptiones, in causis civilibus, quam in criminalibus, in quibus nemo ex solis conjecturis, etiam vehementibus, condemnandus est (1); excepto crimine hæreseos, cujus suspectus tamquam hæreticus condemnatur, nisi omnem suspicionem excusserit (2).

(1) Cap. 14 de præsumpt.
(2) Cap. 13 §. Qui autem de hæret. c. 7, 8 eod. in 6.

* De *presumptionibus* V Præpositi D. Joan. Salæ opus: *Ilustracion del Derecho Real de España*, lib. 3 tit. 6 §§. 27 et seq.*

TITULUS X.

DE EXCEPTIONIBUS ET REPLICATIONIBUS.

1. EXCEPTIONES PEREMPTORIÆ, VEL DILATORIÆ.—2. PEREMPTORIÆ LITIS FINITÆ.—3. SIMPLICITER PEREMPTORIÆ.—4. PEREMPTORIÆ EXCEPTIONES QUANDO PROPONENDÆ?—5. DILATORIARUM EXCEPTIONUM DIVISIO.—6. DIES FERIATI.—7. EXCEPTIONES CONTRA ACTOREM.—8. EXCEPTIONES CONTRA JUDICEM.—9. DILATORIÆ EXCEPTIONES, QUANDO PROPONENDÆ?—10. EXCEPTIO MAJORIS EXCOMMUNICATIONIS.—11. EFFECTUS EXCEPTIONIS.—12. REPLICATIONES, DUPLICATIONES, TRIPLICATIONES.

1.

HABET et reus arma sua, quibus in judicio adversus actorem utitur, eaque sunt exceptiones. Exceptio est actionis, vel intentionis exclusio. Ea si omnino perimit, ac tollit actionem, *perpetua*, et *peremptoria*; si tantum ad tempus agenti obstat, et causam ad aliud tempus, aut alium judicem, vel locum transfert, *temporalis*, et *dilatoria* appellatur.

2. Ex peremptoriis exceptionibus quædam sunt, quæ majorem vim habent, et ideo *peremptoriæ litis finitæ* dicuntur, ceteræ *simpliciter peremptoriæ* appellantur. Primi generis sunt exceptiones jurisjurandi, rei judicatæ, transactionis. Hæ litem jam compositam, atque è medio sublatam ostendunt, et exordium ipsum impediunt litis, vetantque, ne frustra novum judicium instituatur (1). Sed ut locum habeant hujusmodi exceptiones, necesse est, quod lis pridem extincta vel jurejurando, vel transactione, vel re judicata, denuo inter easdem personas, de eadem re, atque ex eadem petendi causa instituatur (2).

(1) Cap. 1 de lit. contest. in 6.
(2) L. 3, 12, 21, 23, 41 ff. de except. rei judic.

3. Exceptionum, quas *simpliciter peremptorias* dicimus, longe major est numerus, cum nulla fere sit actio, quæ contraria exceptione submoveri, aut tolli aliquando non possit. Ad hoc genus referuntur exceptiones præscriptionis, doli mali, metus, et ceteræ, quarum non exiguus est numerus, quæque suis locis in utroque Jure singillatim explicantur. Hæ non impediunt quidem ingressum litis, sed tamen perimunt, et evertunt actionem institutam.

4. Peremptoriæ exceptiones, non modo ante litem contestatam, sed etiam postea in qualibet judicii parte ante rem judicatam (1), quin etiam interdum post rem judicatam in actione judicati, recte opponuntur (2). Par est ratio exceptionum, quæ impediunt exitum sententiæ, ut si post eam actor acceperit, quod petebat, recte reus exceptionem proponit, per quam ab se latæ sententiæ executionem avertit.

(1) L. 4 et 8 cod. de except, l. 2 cod. senten. rescind. non poss.
(2) L. 11 ff. ad S. C. Macedon., l. 1 §. 18, l. 20 §. ult. ff. de re judic. Confer Cujacium in c. 29 de test. opp. t. 6 col. 816.

5. Dilatoriæ exceptiones aut ipsam respiciunt causam, aut actorem, aut judicem. Prioris generis sunt exceptiones illæ, quæ proponuntur contra libellum, quod sit vel ineptus, vel obscurus, quod non cesserit solutionis dies, quod feriarum tempore sit emissa citatio.

6. Feriati dies sunt illi, quibus lege agere non licet, et omnis judicialis strepitus conquiescit (1). Feriarum quædam civiles, quædam ecclesiasticæ dicuntur; hoc est, quædam hominum, quædam religionis causa institutæ sunt. Illæ variæ sunt pro more, et legibus populorum, præcipuæ tamen pertinent ad commoda messium, et vindemiarum (2); hæ sunt *dies devotionum et orationum* (3), seu festi dies, quibus religioni operam dare oportet, et quibus communes dies opponuntur (4). Jure civili judiciales actus feriatis diebus exerceri non possunt (5), nisi liti-

31. Præsumptio probabilis oritur ex probabilibus conjecturis, quæ prudentibus etiam viris persuaderi possunt; violenta ex indiciis, argumentisque gravissimis, quæ fere claram probationem constituunt. Cunctæ hominis præsumptiones pendent ab arbitrio judicis, cujus est pro animi sui religione judicare, quanta in singulis vis insit, et quanta iis fides tribuenda videatur. Coacervantur autem præsumptiones, et conjecturæ, quæque singulæ forte inter se non movent, universæ tamen connexæ, atque conjunctæ, movere debent. Plus præstant præsumptiones, in causis civilibus, quam in criminalibus, in quibus nemo ex solis conjecturis, etiam vehementibus, condemnandus est (1); excepto crimine hæreseos, cujus suspectus tamquam hæreticus condemnatur, nisi omnem suspicionem excusserit (2).

(1) Cap. 14 de præsumpt.
(2) Cap. 13 §. Qui autem de hæret. c. 7, 8 eod. in 6.

* De *presumptionibus* V Præpositi D. Joan. Salæ opus: *Ilustracion del Derecho Real de España*, lib. 3 tit. 6 §§. 27 et seq.*

TITULUS X.

DE EXCEPTIONIBUS ET REPLICATIONIBUS.

1. EXCEPTIONES PEREMPTORIÆ, VEL DILATORIÆ.—2. PEREMPTORIÆ LITIS FINITÆ.—3. SIMPLICITER PEREMPTORIÆ.—4. PEREMPTORIÆ EXCEPTIONES QUANDO PROPONENDÆ?—5. DILATORIARUM EXCEPTIONUM DIVISIO.—6. DIES FERIATI.—7. EXCEPTIONES CONTRA ACTOREM.—8. EXCEPTIONES CONTRA JUDICEM.—9. DILATORIÆ EXCEPTIONES, QUANDO PROPONENDÆ?—10. EXCEPTIO MAJORIS EXCOMMUNICATIONIS.—11. EFFECTUS EXCEPTIONIS.—12. REPLICATIONES, DUPLICATIONES, TRIPLICATIONES.

1.

HABET et reus arma sua, quibus in judicio adversus actorem utitur, eaque sunt exceptiones. Exceptio est actionis, vel intentionis exclusio. Ea si omnino perimit, ac tollit actionem, *perpetua*, et *peremptoria*; si tantum ad tempus agenti obstat, et causam ad aliud tempus, aut alium judicem, vel locum transfert, *temporalis*, et *dilatoria* appellatur.

2. Ex peremptoriis exceptionibus quædam sunt, quæ majorem vim habent, et ideo *peremptoriæ litis finitæ* dicuntur, ceteræ *simpliciter peremptoriæ* appellantur. Primi generis sunt exceptiones jurisjurandi, rei judicatæ, transactionis. Hæ litem jam compositam, atque è medio sublatam ostendunt, et exordium ipsum impediunt litis, vetantque, ne frustra novum judicium instituatur (1). Sed ut locum habeant hujusmodi exceptiones, necesse est, quod lis pridem extincta vel jurejurando, vel transactione, vel re judicata, denuo inter easdem personas, de eadem re, atque ex eadem petendi causa instituatur (2).

(1) Cap. 1 de lit. contest. in 6.
(2) L. 3, 12, 21, 23, 41 ff. de except. rei judic.

3. Exceptionum, quas *simpliciter peremptorias* dicimus, longe major est numerus, cum nulla fere sit actio, quæ contraria exceptione submoveri, aut tolli aliquando non possit. Ad hoc genus referuntur exceptiones præscriptionis, doli mali, metus, et ceteræ, quarum non exiguus est numerus, quæque suis locis in utroque Jure singillatim explicantur. Hæ non impediunt quidem ingressum litis, sed tamen perimunt, et evertunt actionem institutam.

4. Peremptoriæ exceptiones, non modo ante litem contestatam, sed etiam postea in qualibet judicii parte ante rem judicatam (1), quin etiam interdum post rem judicatam in actione judicati, recte opponuntur (2). Par est ratio exceptionum, quæ impediunt exitum sententiæ, ut si post eam actor acceperit, quod petebat, recte reus exceptionem proponit, per quam ab se latæ sententiæ executionem avertit.

(1) L. 4 et 8 cod. de except, l. 2 cod. senten. rescind. non poss.
(2) L. 11 ff. ad S. C. Macedon., l. 1 §. 18, l. 20 §. ult. ff. de re judic. Confer Cujacium in c. 29 de test. opp. t. 6 col. 816.

5. Dilatoriæ exceptiones aut ipsam respiciunt causam, aut actorem, aut judicem. Prioris generis sunt exceptiones illæ, quæ proponuntur contra libellum, quod sit vel ineptus, vel obscurus, quod non cesserit solutionis dies, quod feriarum tempore sit emissa citatio.

6. Feriati dies sunt illi, quibus lege agere non licet, et omnis judicialis strepitus conquiescit (1). Feriarum quædam civiles, quædam ecclesiasticæ dicuntur; hoc est, quædam hominum, quædam religionis causa institutæ sunt. Illæ variæ sunt pro more, et legibus populorum, præcipuæ tamen pertinent ad commoda messium, et vindemiarum (2); hæ sunt *dies devotionum et orationum* (3), seu festi dies, quibus religioni operam dare oportet, et quibus communes dies opponuntur (4). Jure civili judiciales actus feriatis diebus exerceri non possunt (5), nisi liti-

gantes sua sponte ad judicem veniant (6); sed jure Canonico, ne ipsis quidem litigantibus consentientibus, eosdem actus festis diebus expedire licet (7).

(1) Eleganter Ovidius Fast. l. 1 vers. 73 opp. t. 3 p. 15 ed. Amstelæd. 1702, hos dies expressit his versibus:

Lite vacent aures, insanaque protinus obsint
Jurgia, differ opus, livida lingua, tuum.

Ideo à clericis dies omnes hebdomadæ feriæ dicuntur, quia clerici nullo die à divinis vacare debent; atque etiam flaminibus omnes dies feriati erant apud A. Gellium noct. attic. l. 10 c. 15 p. 531 ed. Lugdun. Batav. 1666, quod recte observavit Baronius ad. an. 44 n. 88 t. 1 p. 316 ed. Lucæ. Atque hoc feriæ nomen primum hebdomadæ Paschalis diebus datum fuisse, animadvertit Cironius in Paratitl. decretal. de Feriis n. 5 p. 147 ed. Vindobon. 1761; quibus diebus omnes Christiani sese ab opere servili abstinere, et sacrosancta mysteria percipere debebant: Concilium Matisconense II. can. 2 apud Labbæum t. 6. col. 674, Paschale hoc tempus feriatum fecisse Constantinum M. tradit Alexander Monachus de invent. S. Crucis apud Cironnium l. c. n. 6; et exemplo harum feriarum, reliqui etiam dies dicti sunt feriæ, distinctione tamen habita inter ferias simplices, et solemnes, c. ult. de Feriis. Sane lex Constantini memoratur apud Josephum Scaligerum de emend. tempor. p. 776 ed. Genevæ 1629, in qua duæ hebdomadæ paschales, quarum altera Pascha antecedit, altera sequitur, ab opere faciendo excipiuntur. Nam majores nostri Paschali solemnitati integros dabant dies quindecim, hoc est hebdomadam, quæ Pascha antecedebat, et hebdomadam, quæ sequebatur; illa *pascha crucis*, hæc vero *pascha resurrectionis* vocabatur. Utriusque generis exempla collegit Joannes Gaspar Sviceras Thesaur. eccles. t. 1 p. 504, et t. 2 p. 1014 ed. Amstelædam. 1682. Generale nomen Pascha, quod est ex Hebræo «pesach», quod «transitum» significat, utrumque comprehendit Nam Pascha Christianorum tum passionem, tum resurrectionem includit Christi Servatoris, qui est vere agnus paschalis, qui pro nostrum salute, sese præbuit hostiam ad sacrificium. De his quindecim diebus Paschalibus lex est Valentiniani, Theodosii, Arcadii l. 2 cod. theod. de Feriis, in qua habentur hæc: *Sanctos quoque Paschæ dies, qui septeno vel præcedunt numero, vel sequuntur, in eadem observatione numeramus.* Consule Gothofredum in eamd. l. 2 t. 1 cod. Theod. p. 142 ed. Lipsiæ 1736, ubi multa habes antiqua testimonia, ex quibus constat, qua reverentia majores nostri quindecim hos paschales dies, quos rebus dabant Religionis, prosequerentur. Memorant etiam quindecim hos dies, tamquam ubique feriatos, Papianus respons. tit. 12 apud Schultingium jurispr. vet. ante-justin. p. 835 ed. cit.; S. Augustinus serm. 259 in die domin. oct Pasch. l. 6 col. 1064 t. 5 par. 1 ed. Ven. 1731; S. Joannes Chrysostomus, S. Epiphanius, ceteri, quos laudat Gothofredus l. c.

(2) Harum feriarum mentio est apud Statium silv. l. 4 vers. 39 seq. p. 198 ed. Lugd. Batav. 1671.

Certe jam Latiæ non miscent jurgia leges,
Et pacem piger annus habet, messesque reversæ
Dimisere forum.

A. Gellium noct. attic. l. 9 c. 15 p. 496 ed. Lugdun. Batan. 1666, Plinium l. 8 ep. 21 p. 212 ed. Oxonii 1703, Ulpianum l. 1, 2, 3 ff. de Feriis, S. Augustium confess. l. 9 c. 2 opp. t. 1 col. 157 ed. Ven. cit.: in can. 2 c. 18 q. 4, in l. 2 et 7 cod. de Feriis, in l. 2 cod. theod. de Feriis, omnes dies juridici esse jubentur, exceptis duobus mensibus messium, et vindemiarum, Kalendis Januariis, natalibus urbium maximarum Romæ, et Constantinopolis, natalibus Imperatorum, quibus et editi in lucem, et imperium auspicati erant, quindecim diebus Paschalibus, qui et ecclesiastica, et civili lege feriati erant, et omnibus diebus Solis per integrum annum. Multa de feriis tum civilibus, tum ecclesiasticis habent Binghamus antiquit. eccl. l. 20 c. 1 et seq. t. 9 p. 1 et seq. ed. Halæ Magdeburg. 1760, Gothofredus in cit. l. 2 cod. theod. de Feriis t. 1 p. 140 seq., et Selvagius Antiq. Christian. l. 2 c. 4 §. 2.

* Quod ad Hisp. attinet, habenda nunc præ oculis, Reg. decretum 9 ac consequens Instructio 10 Maji 1851; necnon Reg. ordinat. 1 Maji 1852, quæ illam supplet et aliquatenus emendat.*

(3) Ita hi dies appellantur in l. ult. cod. theod. de Navicul.

(4) L. 2 cod. de stat. et imagin. De feriatis diebus agit Gregorius IX. in c. ult. de Feriis.

(5) L. 2 cod. de Feriis.

(6) L. 8 Cod. eod.

(7) Cap. ult. de Feriis. Sed obstare videtur c. 6 de dol. et contumac., ubi habentur hæc: *Ipsi mandavimus: ut usque ad Dominicam..... per se, vel procuratorem..... ad præsentiam nostram accederet;* itemque cap. 15 de Accusat., ubi scriptum est: *Episcopum ad festum Dominicæ peremptorie nos meminimus citavisse.* Has decretales quidam ita explicant ajentes, usque ad, et ad idem, sæpe esse quod infra, ut in c. 9 de fid. instrum. Sed aliud ex cit c. 6 non obscure deprehenditur, ut proinde alia earum Decretalium sententia sit. Scilicet utroque loco reus citatus fuerat jussu Summi Pontificis, qui derogaverat legi, quæ festis diebus judicia exerceri vetabat. Ceterum disertissime Gregorius IX. in cit. c. ult. de Feriis, debere inquit *judicialem strepitum diebus conquiescere feriatis;* idemque jam erat ante Gregorium jure canonico constitutum. Nam Concilio Compendiensi, quod descriptum est in c. 1 de Feriis, in eis, inquit de Dominicis diebus, *mercatum minime fiat, neque placitum*, hoc est *judicium*, quo sensu illud vocabulum sæpe usurpatur in Capitularibus Regum Francorum, in legibus Ripuariorum, Longobardorum, aliarumque gentium, unde ortum est verbum placitare, nimirum judicio contendere. Idem habet Concilium Triburiense an. 895 can. 35 t. 11 concil. col. 617, et Aquisgranense II. can 18 t. 9 col. 840 collect. Labbæi ed. Ven. cit. Quod autem addit Gregorius, judiciales actus festis diebus gestos plane irritos esse, id forte ante ipsum nullo canone expresse statutum fuerat, quamquam id esset nominatim sancitum à jure civili in l. 1 ff. de Feriis, et in l. 2 cod. eod. Sed quoad dies festos Gregorius jus civile emendavit, quoniam, ne cum consensu quidem litigatorum, iis diebus judiciales actus fieri permisit.

7. Ad actorem pertinent exceptiones, quibus reus utitur contra personam actoris, aut procuratoris, ut si opponat, alterutrum, vel utrumque esse excommunicatum, proscriptum, pupillum, aut alio juris, vel naturæ impedimento in judicio stare

prohibitum, procuratorem mandato carere, aut non recte esse constitutum.

8. Postremo exceptiones contra judicem duobus ex fontibus hauriuntur, aut quia non est competens, sive legitimus, aut quia suspectus est. Judex non competens, sive non legitimus, ille dicitur, qui vel extra territorium suum jus dicit, vel inter homines sibi non subjectos, vel suæ jurisdictionis modum excedit (1). Suspectus autem judex est, quia cognatus, affinis, conjunctus actori, quia cum reo graves inimicitias gerit, quia juris imperitus, quia eidem causæ patronus fuit, quia similem ipse in alio judicio litem habet (2).

(1) Confer titulum Codicis *Si non à competen. judic.*
(2) Cap. 36 de Appellat. Vide etiam capitularia Caroli M. l. 7 c. 240 col. 718 t. 1 ed. Baluzii Ven. 1772.

9. Omnes dilatoriæ exceptiones inter exordia litis (1), hoc est ante litem contestatam opponendæ sunt (2); nisi postea suboriantur, vel postea innotescant (3). Quin etiam ne dolo, et malitia rei judicium in longum trahatur, certus à judice dandus est dies dilatoriis exceptionibus opponendis; quo elapso illæ tantum proponi possunt, quas nova obtulit causa, quasque reus tunc sibi primum fuisse cognitas juratus affirmaverit (4), itemque illæ, quæ irritum, et inane judicium faciunt (5). Sed præsertim initio litis, atque ante ceteras dilatorias exceptiones opponi debet præscriptio fori, ne quis, ea omissa, si ad aliquem actum in judicio pergat, in judicem consensisse videatur (6); nisi justa recusandi judicis causa deinceps exoriatur (7). Excipitur clericus, qui uti demonstratum supra est, jurisdictionem laici judicis prorogare non potest.

(1) Sic Julianus Imperator in L. 12 cod. de Except.
(2) Hæc quidem Canonici, et Civilis Juris regula est in L. 4 de Jurisd. omn. jud., et in cit. L. 12, et c. 20 de Senten. et re judic.
(3) Cap. 4 de Except.
(4) Cap. 4 cit. c. 6. Qui matrim. accus. pos.
(5) Huc spectat exceptio falsi Procuratoris, seu mandato carentis, quæ *non solum ante sententiam, verum etiam postea potest objici, utpote qua probata, judicium nullum, et nullius momenti controversiæ reputantur*, ut inquit Pontifex in c. 4 de Procurat. Eadem ratio est exceptionis revocati procuratoris, cum mandatum expiret, posteaquam revocatum est c. 3 eod.
(6) L. 1 et 2 ff. de Judic.
(7) Cap. 21 et 25 de Offic. judic. delegat.

10. Sola exceptio majoris excommunicationis in qualibet parte litis opponi potest, etiamsi reus eam præfinito tempore omiserit; quod jure singulari cautum est, *ne quisquam in periculum animæ suæ excommunicato communicare coyatur* (1). Tantum post appellationem proposita hæc exceptio, judicii cursum non impedit (2); sed antea judex ipse ex officio debet publice excommunicatum à judicio repellere, quamquam nemo hujusmodi exceptionem objecerit (3). Quoniam vero litigatores exceptione excommunicationis ad vexandos adversarios abutebantur, sapientissime ab Innocentio IV certus est constitutus ejus opponendæ modus (4). Scilicet reus, qui illa contra actorem exceptione utitur, exprimere speciem excommunicationis, nomenque excommunicatoris debet, illamque demonstrare intra dies octo; secus progrediendum judici in causa est, ac reus in expensas condemnandus. Quod si iterum hæc exceptio objiciatur, atque probetur, actor à judicio repellitur, sed valent ea quæ gesta sunt; post duas vero vices non amplius eadem exceptio, nisi ob justam causam, proponi potest.

(1) Cap. 12 de Except.
(2) Cap. 11 de Except.
(3) Cap. 12 cit., et c. 1 eod. in 6.
(4) Cap. 1 de Excep. in 6.

11. Duo potissimum parit exceptio: primum, quod ea recte probata, actionem excludit; sive ad tempus, sive perpetuo, prout exceptio dilatoria, aut peremptoria est (1); alterum, quod reus exceptione actor efficitur (2). Propterea quemadmodum ad actorem probandi onus pertinet, ita et reus probare debet exceptionem suam (3); quod si ipse non præstet, tamen actor non liberatur ab onere probandi; quoniam reus, qui excipit, actoris intentionem non censetur confiteri (4).

(1) L. 2 ff. de Except.
(2) L. 1 ff. eod.
(3) L. 19 de et 25 ff. de Probat.
(4) L. 9 ff. de Except.
(N. S. Igitur si excommunicationem excipias, reliquæ *dilatoriæ* exceptiones, non in quacunque judicii parte, sed intra terminum à judice præfixum opponi debent: cap. 4 *de Exceptionibus*.—Jure nostro Regio, intra novem à citatione dies, præsertim si declinatoria fori opponatur: leg. 1 tit. 7 lib. 11 *Novis. Compil.* Id quod limita quando quis coram judice omnino incapaci conveniretur, tunc enim exceptio hæc in quacunque litis parte audienda est: cap. 12 *de Foro Compet.* cap. 4 *de Judiciis*. Immo si laicus laicum apud Judicem Ecclesiasticum in temporalibus causis pertrahat, Actor jure suo cadet, et Reo actio adquiritur: leg. 7 tit. 1 lib. 4 *Novis. Compil.* De-

mum ad exceptiones *peremptorias* proponendas spatium viginti dierum post litem contestatam datur; nisi reus juraverit, post elapsum illum terminum ad ejus notitiam pervenisse: *præf.* Leg. 1.)

12. Adversus exceptiones comparatæ sunt *replicationes*, quæ sunt adjumenta, et præsidia, quibus actor utitur adversus reum, ut exceptionem tollat (1). Nam replicatio est exceptionis exclusio (2), quæ tametsi à parte actoris veniat, tamen est potius exceptio, quam actio, quia opponitur excipienti reo, qui in exceptione actor est (3). Quemadmodum vero rei exceptionem removet actoris replicatio, ita hanc excludit duplicatio rei, atque hanc rursus actoris triplicatio, et sic *deinceps multiplicantur nomina, dum aut reus, aut actor objicit* (4). Non enim jure civili definitus est modus defensionum, quæ ab actore, et à reo proponuntur. Sed in foro Ecclesiastico hæ duplicationes, triplicationesque non obtinent; verum judex ex officio iis modum constituit, et causam definit (*a*).

(1) L. 3 cod de Except.
(2) L. 2 §. 1 ff. de Except.
(3) L. 1 ff. eod.
(4) L. 2 §. 3 ff. de Except. Quo loco Ulpianus replicationi non *duplicationem*, ut Tribonianus § 1 Instit. de Replicat., sed *triplicationem*, opponit. In eadam cum Ulpiano causa est Julianus in L. 7 §. Curator ff. de Curat. furios. Ne à duobus his Jurisconsultis Tribonianus dissentiat, sunt qui ex ejus auctoritate utrumque illum Ulpiani, et Juliani locum emendandum putant; sed id quidem est contra omnium veterum exemplarium fidem. Meo judicio, nihil est, quod ea de re multo sermone laboremus. Quæ Triboniano est *duplicatio*, eam antiqui Jurisconsulti *replicationem* appellarunt, et certe *replicare* est rursus plicare, idemque prorsus ac *duplicare*. Merito igitur replicationem *triplicatio* excipere debebat.

(*a*) (N. S.—Trid. sess. 25 Ref. cap. 10; Synod. Hispal. an. 1512 cap. 56; Valent. an. 1565, sess. 3 tit. 3 cap. 5; id quod et de foro Laico similiter intelligas: leg. 1 tit. 15 lib. 11 *Novis. Compilat.*)

TITULUS XI.

DE ORDINE COGNITIONUM.

1. QUALES EXCEPTIONES CERTO ORDINE COGNOSCENDÆ?—2. QUESTIONES PRÆJUDICIALES.—3. CAUSÆ INCIDENTES.—4 ET 5. CAUSÆ PRÆPARATORIÆ, EARUMQUE SPECIES —6. SPOLIUM QUID?—7. QUEMADMODUM, ET QUIBUS, IN REBUS COMMITTATUR?—8. SPOLIUM ACTIONIS, ET EXCEPTIONIS LOCO PROPONITUR.—9. SPOLIATUS ANTE OMNIA RESTITUENDUS.—10. ET 11. QUANDO SPOLIATUS NON RESTITUITUR?

1.

EXCEPTIONES, quæ à reo proponuntur, plures sæpe causas, et

quæstiones inducunt, quæ certo ordine à legibus definito tractandæ sunt, qui *ordo cognitionum* appellatur (1). Causæ autem hujusmodi sunt vel *præjudiciales*, in quibus ab unius decisione alterius decisio pendet, vel *incidentes*, quæ nimirum incidunt in ipsa lite, cujus gratia judicium exercetur; vel *præparatoriæ*, quarum decisio alterius decisionem faciliorem reddit; vel quæ quidem *ex eodem negotio* oriuntur, sed tamen *ad diversa* tendunt, neque à se invicem pendent.

(1) Cognitionis nomen proprie ad principem, vel ad magistratus refertur, cum princeps sua sponte cognoscit, vel magistratui cognitionem committit, vel etiam ipsi magistratus ex suo officio cognoscunt, quæ cognitio legitima, et extraordinaria appellatur, uti patet ex titulo ff. de Extraord. cognit. Hinc illud Suetonii in Claud. c 15 p. 450 ed. Traject. ad Rhen. 1691: *Alium interpellatum ab adversario de propria lite, negantemque cognitionis rem, sed ordinarii juris esse, agere causam confestim apud se coegit*; ita intelligendum est, negantem ad principis cognitionem rem pertinere, atque ajentem, ipsum non cognoscere, sed judicium dare debuisse, apud se causam agere coegit. Scilicet cum ordine, et jure in jurisdictione recepto Prætori liceret judicium dare, quod est jurisdictionis L. 3 ff. de Jurisd., ac dare etiam pro potestate solitus esset, extraordinariam esse oportuit cognitionem, quam ipse cogente officio suscipiebat; et quam alteri committere non poterat. Atque huc equidem referendum arbitror quod de Nerone narrat Tacitus Annal. l. 13 c. 51 t. 1 p. 890 ed. Amstelæd. 1673, quem ait edixisse, *ut Romæ Prætor per provincias qui pro Prætore, aut Consule essent, jura adversus publicanos extra ordinem redderent.* Alii extraordinarias cognitiones vocant, de quibus nulla ordinaria, certoque jure actio erat constituta, quæque à Prætore extra ordinem, et ex æquitate suscipiebantur, easque opponunt ordinariis cognitionibus, quæ ordinariam habebant actionem, certoque jure nitebantur. Contra aliis ordinaria cognitio est, quæ judicibus datis competit. Consule Donellum de Jur. Civil. l. 8 c. 2 n. 4 opp. t. 2 col. 695, et l. 17 c. 22 n. 9 et 10 t. 4. col. 1351 et seq. ed. Lucæ. et Scipionem Gentilem de Jurisd. l. 2 c. 20 opp. t. 3 p. 187 et seq. ed. Neap. 1764 Verum facultas judicandi, sive ordinaria, sive extraordinaria, vulgo cognitio dicitur L. penult. ff. de Jurisd. omn. jud. Quare titulus hic, qui in Gregorianis Decretalibus est *de Ordine cognitionum*, in prima compilatione inscribitur *de Ordine judiciorum*, quasi idem *judicium*, et *cognitio* sit, ut in cap. 1 et penult. de Ordin. cognit. Cognitionales sententias memorat L. un. cod. de Senten. Præf. præt., et L. 13 cod. de Sent. et interloq. quæ scilicet causa cognita feruntur; et in L. ult. §. Illud etiam cod. de Temp. et reparat. occurrit verbum *cognitionaliter*, quo significatur id, quod parte utraque præsente, et adhibita causæ cognitione gestum est.

2. Præjudiciales quæstiones noscendæ, definiendæque sunt, antequam causa altera, quæ ex illis pendet, cognoscatur. Ita si qua mulier affirmet, se cum certo homine iniise matrimonium, isque excipiat, illud consistere non potuisse propter impedimentum cognationis, antea hæc exceptio cognoscenda est, quoniam ea

cognita, ac definita, matrimonii quæstio dirimitur (1). Similiter exceptio excommunicationis ante causam, de qua præcipue quæritur, expendenda est (2): et si petenti hæreditatem, et successionem jure cognationis, opponatur status natalium, primum de natalibus, quoniam hæc quæstio præjudicialis est, postea de successione quæritur (3).

(1) Cap. 1 de Ordin. cognit. Sed tamen recte est, vereque animadversum à Jacobo Cujacio in cit. c. 1 opp. t. 6 col. 802 ed. cit., id quidem obtinere, cum reus actoris intentionem confitetur, verumtamen præjudicialem, et peremptoriam exceptionem proponit. Secus enim cum reus non confitetur actoris intentionem, non ante est probanda exceptio, sive dilatoria, sive peremptoria, quam actor probaverit intentionem suam L. 9 c. de præscription. Long. tempor. L. 9 cod. de Except. seu præscript. L. 19 cod. de Probat., nimirum quia actore non probante reus absolvitur, quamquam ipse exceptionem suam non probaverit: L. 4 cod. de Eden., c. 3 de Caus. possess.
(2) Cap. 19 de Judic.
(3) Cap. 3 de Ordin. cognit.

3. Causæ incidentes ab eodem cognoscendæ sunt judice, cujus est de præcipua causa judicare, quamquam ipse minus competens esset, si de iis præcipue judicium institutum fuisset (1): nisi causa civili incidens sit ecclesiastica, quam ne incidenter quidem cognoscere laicus judex potet (2), licet contra integrum sit judici ecclesiastico de causa civili incidente judicare (3).

(1) L. 1 cod. de ord judic., L. 3 cod. de Judic.
(2) C. 3 de ordin. cognit., c.7 Qui fil. sint legit.
(3) Cap. 3 de Donat. inter vir. et uxor.

4. Causam quoque *præparatoriam* prius definiri, judiciali ordini aptum, et conveniens est (1). In quæstionibus civilibus, quæ diversæ sunt, neque à se invicem pendent, licet ex eodem negotio oriantur, videndum est, quomodo propositæ sint. Si per modum *actionis* separato judicio, utraque actio in proprio foro expeditur; si per modum *reconventionis* in eodem foro, vicissim tractanda, atque eadem sententia utraque definienda est (2); si per modum *exceptionis peremptoriæ*, illa adhibenda ratio est, quam in his exceptionibus cognoscendis observandam esse, superiori loco demonstravimus.

(1) L. 35 ff. de Acquir. et amitt. possess., L. 13 cod. de Rei vindic.
(2) Cap. 2 de Ordin cognit.

5. Si civiles, et criminales causæ concurrant, distinguendum est, utrum altera præjudicialis sit, an semet invicem non attingant. Si causa præjudicialis sit, ea primum cognoscenda est, sive civilis (1), sive criminalis sit (2). Si altera causa alteram non attingat, neque ab ea pendeat, criminalis, quæ majoris est momenti, ante civilem definienda est (3).

(1) L. 3, 5, et 6, cod. de Ord. cognit. Atque huc referenda est L. 4 c. de Ordin. judic., ubi Constantinus inquit, *sæpe* causam civilem intermitti, ex quo patet, interdum civilem causam prius esse cognoscendam, si causa criminalis inde dependeat, quo spectat L. 1 cod. de Appellat.
(2) L. 14 cod de Testib.
(3) Id quidem generatim est verum, cum semper criminalis quæstio gravior habeatur. Sed interdum judex utramque causam, et civilem, et criminalem uno judicio absolvit, cum scilicet actor quæstionem utramque proposuit: L. 4. §. 4 ff. Fin. regund. L. 1 ff. de Publ. judic. L. 3 c. de Ord. judic. L un. c. Quand. civ. act. crimin. præjud. Quod si actio criminalis *principaliter* est proposita, et reus civilem quæstionem movet, primum illa, tanquam gravior, noscenda est: L. 5 §. 1 ff. ad L. Jul. de Vi publ., L. 33 c. ad L. Jul. de Adulter. Quod etiam dicendum videtur, si quæstio civilis instituta sit, ac reus actorem criminis accusaverit; nam causa civili tamdiu supersedendum est, quamdiu criminalis absoluta fuerit: L. 4. c. de Ordin. judic.

6. Sed et exceptio *spolii* hoc præcipuum habet, ut ea sit expendenda, antequam proposita actio cognoscatur (1). Est autem spolium facinus indignum, et iniquum, quo quis ex rei suæ possessione, vel quasi dejicitur. Itaque ad spolium utrumque requiritur, quod quis habuerit rei possessionem, vel quasi, et quod ea per injuriam ablata sit (2).

(1) Cap. 2 et ult. de Ord. cognit. Est autem à jure canonico inductum spolii judicium, ut quis recuperet possessionem, unde injuria dejectus est, eoque latius explicatum est civile interdictum *unde vi*, cui non omnia ea de re satis considerata, et provisa erant. Consule Vicatum *Vocabul. jur. verb. Spolium*, et Voetum in Pandect. l. 43 tit. 16 n. 7.
(2) Cap. 10 de Offic. et potest. jud. deleg. c. 17 de Restit. spoliat.

7. Committitur autem spolium in rebus tum immobilibus tum mobilibus (1), atque etiam in juribus (2); neque vero refert an vis, dolusve intervenerit, quoniam sola culpa, et bona fide committi potest. Etiam judex spolii reus est, cum neglecto juris ordine alicui possessionem adimit (3), neque à spolio alienus est, qui illud mandavit, vel ratum habuit (4), imo etiam qui rem spolio ablatam scienter accepit (5), non vero tertius bonæ fidei possessor.

(1) C. 2 de Restit. spoliat in 6 de Sepult., C. 2, 3, 4, 8, 10 et 13 de Restit. spoliat, c. 10 de Probat.

(2) Cap. 3 de Caus. pos. et propriet., c. 6 de Sepultur. Spolium latissime patet, adeo ut qui qualicunque possesione, vel quasi, inique est privatus, spoliatus habeatur. Si uxor à marito divertit, maritus spoliatus dicitur c. 8 de Restit. spoliat., modo per legitimum matrimonium in ejus domum traducta fuerit c. 12 eod. Mulier spoliata est, quæ à marito expulsa, et domo ejecta est c. 10 et 12 eod., qui suo se beneficio, aut jure per vim, vel inique abdicare coactus est, c. 2. et 3, eod., quibus denegantur pensiones, quas hactenus perceperunt c. 9 eod.; qui excluduntur ab electionibus, quibus hactenus interfuerunt c. 3 de Caus. possess. et propriet., qui injuria extra parochiam, vel ubi sepultura facienda erat, cadaver intulerunt c. 6 de Sepult., qui propter nullum contractum possessionem amiserunt.

(3) Cap. 7 de Restit. spoliat., c. 22 de Offic. et potest. jud. delegat. — *Leg. 2 tit. 34 lib. 11 *Novis. Compilat.*

(4) Cap. 15 de Restit. spoliat.

(5) Cap. 18 eod. Jure Civili interdictum *unde vi* datur tantum adversus eum, qui vi adhibita possessorem dejecit, non adversus eum, ad quem res ab alio violenter ablata pervenit L. 7 ff. de Vi et vi armat. Nam hoc interdictum scriptum est in personam hoc modo; *unde tu illum vi dejecisti.* Sed juri civili derogat Cælestinus III. in cit. c. 18, ubi interdictum unde vi concedit etiam adversus eum, ad quem non ignarum vitii, res ab alio per vim ablata delata est. Fateor equidem Jus civile etiam adversus hæredem prædonis hoc idem interdictum tribuere L. 1 §. ult., et L. 2 ff. de Vi et vi arm., quia nimirum hæres sucessor universalis est, ad quem omne defunti vitium defertur L. 11 ff. de Divers. et temporalib. præscript. L. penult. cod. de Acquir. poss.; sed non item concedit adversus emptorem, aliumve successorem singularem, qui non succedit in vitium ejus, à quo rem obtinuit. At jure canonico malæ fidei emptor succedit etiam in vitium venditoris; et ideo nihil refert, sive quis rem per vim abstulerit, sive ab alio ablatam sciens prudens retinuerit. Errant autem vehementer qui hanc Cælestini constitutionem non pertinere existimant ad interdictum unde vi, sed potius ad beneficium editum in can. Redintegranda c. 3 qu. 1, quod quidem beneficium perpetuum est. Nam si id verum haberetur, nullum esset inter jus canonicum, et civile discrimen, quoniam ea in re eadem esset juris utriusque regula; at vero Cælestinus cit. c. 18 expresse profitetur, sese juri civili derogare, uti patet ex verbis: *non obstante juris civilis rigore, sancimus* etc. Non ignoro, quam multæ sint turbæ de interpretatione can. Redintegranda c. 3 qu. 1. Sed mihi perspicuum videtur, eum Canonem id velle, quod etiam jure civili sancitum est, ut quamquam interdictum unde vi annale sit L. 1 ff. de Vi et vi arm., tamen perpetua sit persequuntio rerum vi ablatarum L. penult. ff. de Interd Nihil dico de fide, et auctoritate ejusdem canonis, quem Gratianus abscribit Joanni I. P. in Ep ad Zachariam Archiepisc., sed Joannis revera non est. Consule Berardum *Gratiani canones genuini* etc. par. 2 t. 1 c. 50.

8. Spolium vel exceptionis, vel actionis loco proponitur. Exceptio pertinet ad repellendam intentionem actoris (1), qui non auditur, nisi primum rem injuria ablatam restituat (2), eaque spolianti contra spoliatum ex quacumque causa agenti opponi potest, nisi de causa ecclesiastica egerit (3). De tertii spolio ex-

cipere nequit reus, nisi in criminalibus, si demonstraverit, sibi violenter rem universam suam, vel majorem ejus partem ademptam fuisse (4). Exceptio autem probari debet intra dies quindecim, posteaquam proposita est, ne forte vertatur in fraudem, et judicii cursus retardetur (5).

(1) Cap. 2 de Ordin. cognit.
(2) Cap. 16 de Restit. spoliat.
(3) Cap. 1 de Restit. spoliat. in 6.
(4) Cap. 1 cit.*
(5) Cit. C. 1 de Restit. spoliat. in 6.

9. Actio spolii eo spectat, ut spoliato res ablata ante omnia restituatur. Itaque nulla contra eum opponi potest exceptio, quæ ad petitorium pertineat, veluti dominii (1), renunciationis (2), quod canonice non sit institutus (3), quod crimen commiserit (4). Adeo sane leges odio habent, improbantque spolium, ut *prædo etiam secundum rigorem juris sit restituendus* (5); quia nec exceptionis spolii antea commisi habenda ratio est, sed tantum vis inspicitur, quæ postremo illata fuit. Quinimo non tantum res ablata spoliato restituitur, aut ejus loco æstimatio datur, sed etiam sarcienda sunt damna, ac restituendi fructus à spoliante percepti, quin etiam percipiendi, si spolium vi, aut dolo malo patratum sit (6). Quorum probationem, atque æstimationem spoliatus jurejurando peragere potest (7).

(1) Cap. 1 de Restit. spoliat.
(2) Cap. 1, et 5 eod.
(3) Cap. 5 eod.
(4) Cap. 1, et 6, eod. Atque hoc est quod dici solet, spoliatum ante omnia restituendum esse, hoc est nulla audita exceptione, vel objectione; satis est, quod actor spoliatus fuerit: L. 1 §. 30 ff. de Vi et vi arm.—*Leg. 5 tit. 10 *Partitæ III.*

(5) C. 5 eod. L. 12 et 18 ff. de Acquir. vel amitt. possess.
(6) Cap. 51 de Appellat., c. 11 de Restit. spoliat. Verum gravis inopia spoliantis, qui alienum restituere nequit, nisi primum ipse suum recuperet, impedimento est, quominus spoliatus statim rei suæ fructus obtineat cap. 1 de Restit. sopliat. —* Leg. 10 tit. 10 *Partitæ VII.*
(7) Cap. 7 *de His quæ vi met. caus. fiunt.*

10. Atque hæc quidem regula juris est, ut nulla exceptio agenti de spolio opponi possit. Verum extra ordinem exceptiones admittuntur. Sic audienda est exceptio proprietatis, vel quæ petitorium respicit, ubi actor consentit (1). Contra spolii actio-

nem admititur exceptio spolii, si actor in alia causa reum spoliavit, adeout probationes super hac exceptione primum noscendæ sint, quibus absolutis, reus actori de spolio agenti respondere non cogitur, nisi ab ipso restitutus fuerit, quoniam exceptio spolii ex earum numero est, quæ litis ingressum impediunt (2). Exceptio consanguinitatis opponi potest marito, à quo uxor discessit, si illico demonstrari queat (3); si graviorem indagationem postulat, rejicitur, et restitutio decernitur (4). Si actor possessorium, et petitorium cumulat, recusare nequit exceptiones, quæ petitorium respiciunt (5).

(1) Cap. 1 de Restit. spoliat.
(2) Cap. 2 de Ordin. cognit.
(3) Cap. 13 de Restit. spoliat.
(4) Cap. 10 eod.
(5) Cap. 2 de caus. possess. et propriet.

11. Simili modo audienda est exceptio deficientis possessionis (1), vel etiam quod quis ad possidendum minime aptus, et idoneus fuit; propterea restituendus non est laicus, qui ex spiritualium possessione dejectus est. Idem sit judicium de exceptione vitiosæ possessionis, cui Jus commune aperte adversatur. Ita qui spoliatus est decimis, quas se in aliena parœcia habuisse contendit, non restituitur, nisi primum evidenter ostendat jure se earum possessionem obtinuisse (2). Neque dissimilis ratio est exceptionis privatæ occupationis in jure permissæ, ac justæ defensionis. Licet enim statim vim vi repellere, nec vis illata dicitur ab eo, qui illico rejicientem rursus dejicit (3). Eodem loco est exceptio damni irreparabilis. Ita mulier non statim viro restituenda, si insidias suæ vitæ factas opponat, sed interim in loco tuto commorari debet (4), nisi maritus idoneam præstet cautionem, per quam illi consulatur (5). Scandali quoque exceptio admittenda, si evidens est; quoniam ut public offensio seu scandalum removeatur, Juris regulæ negliguntur.

(1) Cap. 2 de Restit. spoliat. in 6.
(2) Cit. cap. 2.
(3) Cap. 12 de Restit. spoliat. L. 3 §. Cum igitur ff. de Vi et vi arm. L. 12 §. 1 ff. Quod met. caus.
(4) Cap. 8 de Rest. spoliat.
(5) Cap. 13 eod.

TITULUS XII.

DE MUTUIS PETITIONIBUS.

1. MUTUA PETITIO QUID?—2. QUOMODO FIAT?—3. EJUS FINIS COMPENSATIO.—4. A QUIBUS RECTE PROPONATUR?—5. EJUS EFFECTUS.

1.

Deductus in judicium reus non solum armis defenditur exceptionum, sed etiam petere à judice potest, ut sibi ex actore justicia exhibeatur; quod fit mutuis petitionibus. Mutua petitio est mutua actio, seu reconventio (1), per quam reus, cognito actoris libello, eumdem convenit, et vicissim aliquid ab eo petit. Ita si actor petat decem ex causa mutui, reus vicissim ex testamento petat alia decem, vel amplius, mutua petitio est.

(1) Mutua petitio actio est, non exceptio, ut quibusdam visum, qui tamen à cap. 2 § 2 de Ord. cognit. aperte refutantur.

2. Si quid igitur causæ sit, cur possit reus cum actore agere, eumdem potest reconvenire, sive eadem, sive alia sit causa (1), aut in personam, aut in rem actio instituta sit (2). Id vero fit coram eodem judice, ad quem reus vocatus est, quemque actor repudiare non potest, sive ordinarius sit, sive delegatus (3). Uni reo facultas est proponendæ mutuæ petitionis, non item actori, ut lites habeant medium quemdam modum; quæque in judicio conventionis data est agendi ratio, eadem etiam in reconventione servanda est. Nam una eademque actorrs, et rei conditio esse debet (4).

(1) *Auth. Consequenter cod. de Sentent. et interloq.* c. 1 de ord. cognit. Errat autem Antonius Faber Conject. l. 20 c. 5, contendens, non licere reo actorem ex diversa causa reconvenire.
(2) Ab omnibus generatim rejecta est opinio Antonii Fabri Conject. l. 20 c. 8, qui subtiliter more suo, sed minus vere demonstrare conatur, eum, cum quo actione in rem actum est, reconvenire non posse.
(3) Cap. 3 de Rescript. in 6. Id vero locum habet, si postulanter reconvento datus fuerit delegatus cap. de Mut. petit., quia hic demum obtinet ratio allata in L. 14 c. de Senten. et interloq. repetita in can. 1 c. 3 qu. 8. Si delegatus motu proprio fuerit constitutus: locus reconventioni non est, cum actor judicem illum non elegerit. Vid. Gonzalez in cit. c. 1 de Mut. petit. n. 10. — Leg. 20 tit. *4 Partitæ III.*
(4) Cap. 2 de Mutuis petit.

nem admititur exceptio spolii, si actor in alia causa reum spoliavit, adeout probationes super hac exceptione primum noscendæ sint, quibus absolutis, reus actori de spolio agenti respondere non cogitur, nisi ab ipso restitutus fuerit, quoniam exceptio spolii ex earum numero est, quæ litis ingressum impediunt (2). Exceptio consanguinitatis opponi potest marito, à quo uxor discessit, si illico demonstrari queat (3); si graviorem indagationem postulat, rejicitur, et restitutio decernitur (4). Si actor possessorium, et petitorium cumulat, recusare nequit exceptiones, quæ petitorium respiciunt (5).

(1) Cap. 1 de Restit. spoliat.
(2) Cap. 2 de Ordin. cognit.
(3) Cap. 13 de Restit. spoliat.
(4) Cap. 10 eod.
(5) Cap. 2 de caus. possess. et propriet.

11. Simili modo audienda est exceptio deficientis possessionis (1), vel etiam quod quis ad possidendum minime aptus, et idoneus fuit; propterea restituendus non est laicus, qui ex spiritualium possessione dejectus est. Idem sit judicium de exceptione vitiosæ possessionis, cui Jus commune aperte adversatur. Ita qui spoliatus est decimis, quas se in aliena parœcia habuisse contendit, non restituitur, nisi primum evidenter ostendat jure se earum possessionem obtinuisse (2). Neque dissimilis ratio est exceptionis privatæ occupationis in jure permissæ, ac justæ defensionis. Licet enim statim vim vi repellere, nec vis illata dicitur ab eo, qui illico rejicientem rursus dejicit (3). Eodem loco est exceptio damni irreparabilis. Ita mulier non statim viro restituenda, si insidias suæ vitæ factas opponat, sed interim in loco tuto commorari debet (4), nisi maritus idoneam præstet cautionem, per quam illi consulatur (5). Scandali quoque exceptio admittenda, si evidens est; quoniam ut public offensio seu scandalum removeatur, Juris regulæ negliguntur.

(1) Cap. 2 de Restit. spoliat. in 6.
(2) Cit. cap. 2.
(3) Cap. 12 de Restit. spoliat. L. 3 §. Cum igitur ff. de Vi et vi arm. L. 12 §. 1 ff. Quod met. caus.
(4) Cap. 8 de Rest. spoliat.
(5) Cap. 13 eod.

TITULUS XII.

DE MUTUIS PETITIONIBUS.

1. MUTUA PETITIO QUID?—2. QUOMODO FIAT?—3. EJUS FINIS COMPENSATIO.—4. A QUIBUS RECTE PROPONATUR?—5. EJUS EFFECTUS.

1.

Deductus in judicium reus non solum armis defenditur exceptionum, sed etiam petere à judice potest, ut sibi ex actore justicia exhibeatur; quod fit mutuis petitionibus. Mutua petitio est mutua actio, seu reconventio (1), per quam reus, cognito actoris libello, eumdem convenit, et vicissim aliquid ab eo petit. Ita si actor petat decem ex causa mutui, reus vicissim ex testamento petat alia decem, vel amplius, mutua petitio est.

(1) Mutua petitio actio est, non exceptio, ut quibusdam visum, qui tamen à cap. 2 § 2 de Ord. cognit. aperte refutantur.

2. Si quid igitur causæ sit, cur possit reus cum actore agere, eumdem potest reconvenire, sive eadem, sive alia sit causa (1), aut in personam, aut in rem actio instituta sit (2). Id vero fit coram eodem judice, ad quem reus vocatus est, quemque actor repudiare non potest, sive ordinarius sit, sive delegatus (3). Uni reo facultas est proponendæ mutuæ petitionis, non item actori, ut lites habeant medium quemdam modum; quæque in judicio conventionis data est agendi ratio, eadem etiam in reconventione servanda est. Nam una eademque actorrs, et rei conditio esse debet (4).

(1) *Auth. Consequenter cod. de Sentent. et interloq.* c. 1 de ord. cognit. Errat autem Antonius Faber Conject. l. 20 c. 5, contendens, non licere reo actorem ex diversa causa reconvenire.
(2) Ab omnibus generatim rejecta est opinio Antonii Fabri Conject. l. 20 c. 8, qui subtiliter more suo, sed minus vere demonstrare conatur, eum, cum quo actione in rem actum est, reconvenire non posse.
(3) Cap. 3 de Rescript. in 6. Id vero locum habet, si postulanter reconvento datus fuerit delegatus cap. de Mut. petit., quia hic demum obtinet ratio allata in L. 14 c. de Senten. et interloq. repetita in can. 1 c. 3 qu. 8. Si delegatus motu proprio fuerit constitutus: locus reconventioni non est, cum actor judicem illum non elegerit. Vid. Gonzalez in cit. c. 1 de Mut. petit. n. 10. — Leg. 20 tit. *4 Partitæ III.*
(4) Cap. 2 de Mutuis petit.

3. Mutuæ petitionis finis est compensatio (1). Itaque in causis, in quibus compensatio locum non habet, ne reconventio quidem proponi potest. Hujusmodi sunt causæ criminales, in quibus agitur criminaliter (2), quoniam *innocentia, non relatione criminum reus purgatur* (3), præjudiciales (4), depositi (5), spolii, in quibus, uti demonstratum supra est, spoliatus respondere non cogitur, nisi antea restituatur (6), causæ momentaneæ possessionis, quæque celerem exitum postulant (7), denique in negotiis ecclesiasticis coram laico judice reconventio fieri non potest (8).

(1) Tertullianus Contr. Marcion, l. 2 c. 20 p. 392 ed. Rigaltii Paris. 1675, inquit, Hebræos Ægyptiis ab se vasa aurea, et argentea petentibus opposuisse mutuas petitiones, ajentes, sibi etiam deberi mercedem pro labore, atque opera, quam impenderant in ducendis lateribus, in civitatibus, atque in villis ædificandis, quod postea *compensationem* rectissime appellat. Quæ compensatio vel fit ipso jure, vel per exceptionem doli inducitur, vel per mutuam actionem. Nam mutua hac actione alia actio tollitur, et debitum compensatur, ut est in Capitularibus Caroli M. l. 7 c. 305 col. 730 t. 1 ed. Baluzii Ven. 1772. Ita per *recautionem*, ut inquit Augustinus lib. de Cur. *pro mortuis* c. 11 opp. t. 6 col. 524 ed. cit. *cautio evacuatur*, hoc est disolvitur; et ita per *evacuatoriam*, quam memorat Marculphus Formul. l. 2 c. 27 et 35 apud Baluzium Capitular. Reg. Franc. t. 2 col. 289 et 291 ed. cit. (hoc est per syngraphamm, qua creditor confitebatur, suam sibi pecuniam fuisse solutam) *vacua, et inanis permanet* obligatio.
(2) Can 1, 2, et 4, c. 5 qu. 1, L. 1, et 19 cod. *de His qui accuss.*
(3) L. 5 ff. de Publ. jud.
(4) Cap. 1 de ord. cognit.
(5) Cap. 2 et ult. de Deposit.
(6) Cap. 1 de restit. spoliat. in 6.
(7) Glossa in cap. ult. de ordin. cognit.
(8) Confer Glossam in can. 1 c. 3 q. 8 verb. judicem, et in c. 4 de judic. verb. non tenet. —(Nec in causa temporali coram judice eccl., ex juribus adductis. N. S.)

4. Cui jus agendi, ei reconveniendi jus est; quoniam reconvenire est agere, ideoque inutiliter reconvenit excommunicatus, quod inutiliter agit (1). Coram arbitris reconventio fieri non potest, quoniam eorum tantum est iis de rebus judicare, quæ compromissi lege continentur (2).

(1) Cap. 5 de Except.
(2) Cap. 6 de Arbitris.

5. Duo parit mutua petitio, seu reconventio; primum est, ut jurisdictio prorogetur, adeout qui coram judice reconvenit, eumdem amplius recusare non possit (1); alterum, ut res utraque, actio scilicet, et reconventio simul uno, eodemque judicio

cognoscatur (2). Sed ut hæc duo efficiat mutua petitio, initio ipso litis proponenda est, antequam litigantes ad alios judiciales actus progrediantur (3). Nam si reconventio fiat in progressu, aut in exitu litis, prorogabit quidem jurisdictionem (4), sed non etiam efficiet, ut reconventio una cum actione eodem judicio absolvatur.

(1) Cap. 1 de Mutuis petit. Confer quæ dixi §. 2 not. 3.
(N. S.· Leg. 32 tit. 2 *Partit. III.* Verum cave ne idem de incapaci judice, ac de incompetenti dicendum putes; quum enim in eum consentire partibus interdicatur: *indic.* cap. 12 *de Foro Compet.* cap. 4 *de Judiciis*, et leg. 7 tit. 1 lib. 4 *Novis. Compilat.*; inde est, jurisdictionem ejus prorogari non posse.)
(2) Cap. 1 cit.
(3) Reum statim mutuo agere debere, scriptum est in auth. et consequenter cod. de sent. et interloq; et in clem. 2 §. 1 de verb. signific. dicitur *in ipso litis exordio*. Neque aliud suadet cap. 3 §. 1 de rescript. in 6, ubi verba *eodem durante judicio* ita sunt intelligenda, ut *apud eumdem judicem* reconventio fieri debeat, non autem ad reconventionis tempus referenda sunt.
(N. S. Reconventio in ipso litis exordio instituenda est; hoc est, ante litem contestatam, vel in continenti: Glossa *in Authent.* « Et consequenter » *verbo* « Alioquin » *Cod. de Sent. et Interloc.*;—et intra terminum viginti dierum: lex 1 tit. 7 lib. 11 *Novis. Compilat.*)
(4) Cap. 3 de rescript. in 6.

TITULUS XIII.

DE DILATIONIBUS.

1. DILATIO QUID?—2. DILATIONUM DISTINCTIO.—3. QUANDO EÆ DENTUR?—4. OMNES JUDICII PARTES SUAS HABENT DILATIONES.—5. QUOMODO DANDÆ SINT?

1.

Nihil in foro, et judiciis usitatius est dilationibus. Nam eas sæpe reus ad parandas exceptiones, sæpe etiam actor ad probationes confirmandas à judice petit; idque non initio solum, sed etiam in progressu litis. Dilationem vocamus justum aliquod temporis intervallum, quod litigantibus conceditur ad actum aliquem judicialem commodius expediendum.

2. Dilationes vel à lege dantur (1), vel mutua litigantium voluntate constituuntur, vel à judice conceduntur. Sed Jus Canonicum tribuendarum dilationum omne fere arbitrium judici

3. Mutuæ petitionis finis est compensatio (1). Itaque in causis, in quibus compensatio locum non habet, ne reconventio quidem proponi potest. Hujusmodi sunt causæ criminales, in quibus agitur criminaliter (2), quoniam *innocentia, non relatione criminum reus purgatur* (3), præjudiciales (4), depositi (5), spolii, in quibus, uti demonstratum supra est, spoliatus respondere non cogitur, nisi antea restituatur (6), causæ momentaneæ possessionis, quæque celerem exitum postulant (7), denique in negotiis ecclesiasticis coram laico judice reconventio fieri non potest (8).

(1) Tertullianus Contr. Marcion, l. 2 c. 20 p. 392 ed. Rigaltii Paris. 1675, inquit, Hebræos Ægyptiis ab se vasa aurea, et argentea petentibus opposuisse mutuas petitiones, ajentes, sibi etiam deberi mercedem pro labore, atque opera, quam impenderant in ducendis lateribus, in civitatibus, atque in villis ædificandis, quod postea *compensationem* rectissime appellat. Quæ compensatio vel fit ipso jure, vel per exceptionem doli inducitur, vel per mutuam actionem. Nam mutua hac actione alia actio tollitur, et debitum compensatur, ut est in Capitularibus Caroli M. l. 7 c. 305 col. 730 t. 1 ed. Baluzii Ven. 1772. Ita per *recautionem*, ut inquit Augustinus lib. de Cur. *pro mortuis* c. 11 opp. t. 6 col. 524 ed. cit. *cautio evacuatur*, hoc est disolvitur; et ita per *evacuatoriam*, quam memorat Marculphus Formul. l. 2 c. 27 et 35 apud Baluzium Capitular. Reg. Franc. t. 2 col. 289 et 291 ed. cit. (hoc est per syngraphamm, qua creditor confitebatur, suam sibi pecuniam fuisse solutam) *vacua, et inanis permanet* obligatio.
(2) Can 1, 2, et 4, c. 5 qu. 1, L. 1, et 19 cod. *de His qui accuss.*
(3) L. 5 ff. de Publ. jud.
(4) Cap. 1 de ord. cognit.
(5) Cap. 2 et ult. de Deposit.
(6) Cap. 1 de restit. spoliat. in 6.
(7) Glossa in cap. ult. de ordin. cognit.
(8) Confer Glossam in can. 1 c. 3 q. 8 verb. judicem, et in c. 4 de judic. verb. non tenet. —(Nec in causa temporali coram judice eccl., ex juribus adductis. N. S.)

4. Cui jus agendi, ei reconveniendi jus est; quoniam reconvenire est agere, ideoque inutiliter reconvenit excommunicatus, quod inutiliter agit (1). Coram arbitris reconventio fieri non potest, quoniam eorum tantum est iis de rebus judicare, quæ compromissi lege continentur (2).

(1) Cap. 5 de Except.
(2) Cap. 6 de Arbitris.

5. Duo parit mutua petitio, seu reconventio; primum est, ut jurisdictio prorogetur, adeout qui coram judice reconvenit, eumdem amplius recusare non possit (1); alterum, ut res utraque, actio scilicet, et reconventio simul uno, eodemque judicio

cognoscatur (2). Sed ut hæc duo efficiat mutua petitio, initio ipso litis proponenda est, antequam litigantes ad alios judiciales actus progrediantur (3). Nam si reconventio fiat in progressu, aut in exitu litis, prorogabit quidem jurisdictionem (4), sed non etiam efficiet, ut reconventio una cum actione eodem judicio absolvatur.

(1) Cap. 1 de Mutuis petit. Confer quæ dixi §. 2 not. 3.
(N. S.· Leg. 32 tit. 2 *Partit. III.* Verum cave ne idem de incapaci judice, ac de incompetenti dicendum putes; quum enim in eum consentire partibus interdicatur: *indic.* cap. 12 *de Foro Compet.* cap. 4 *de Judiciis*, et leg. 7 tit. 1 lib. 4 *Novis. Compilat.*; inde est, jurisdictionem ejus prorogari non posse.)
(2) Cap. 1 cit.
(3) Reum statim mutuo agere debere, scriptum est in auth. et consequenter cod. de sent. et interloq; et in clem. 2 §. 1 de verb. signific. dicitur *in ipso litis exordio*. Neque aliud suadet cap. 3 §. 1 de rescript. in 6, ubi verba *eodem durante judicio* ita sunt intelligenda, ut *apud eumdem judicem* reconventio fieri debeat, non autem ad reconventionis tempus referenda sunt.
(N. S. Reconventio in ipso litis exordio instituenda est; hoc est, ante litem contestatam, vel in continenti: Glossa *in Authent.* « Et consequenter » *verbo* « Alioquin » *Cod. de Sent. et Interloc.*;—et intra terminum viginti dierum: lex 1 tit. 7 lib. 11 *Novis. Compilat.*)
(4) Cap. 3 de rescript. in 6.

TITULUS XIII.

DE DILATIONIBUS.

1. DILATIO QUID?—2. DILATIONUM DISTINCTIO.—3. QUANDO EÆ DENTUR?—4. OMNES JUDICII PARTES SUAS HABENT DILATIONES.—5. QUOMODO DANDÆ SINT?

1.

Nihil in foro, et judiciis usitatius est dilationibus. Nam eas sæpe reus ad parandas exceptiones, sæpe etiam actor ad probationes confirmandas à judice petit; idque non initio solum, sed etiam in progressu litis. Dilationem vocamus justum aliquod temporis intervallum, quod litigantibus conceditur ad actum aliquem judicialem commodius expediendum.

2. Dilationes vel à lege dantur (1), vel mutua litigantium voluntate constituuntur, vel à judice conceduntur. Sed Jus Canonicum tribuendarum dilationum omne fere arbitrium judici

commissit (2). Quod non ita intelligendum est, quasi judici integrum sit, quas velit, dilationes concedere suo arbitratu. Nam ut dilationes concedantur, justa causa opus est, eaque rite demonstrata, denegari non possunt. Hinc si nimis breves datæ sint dilationes, quæ pares non sint rei, præsertim gravi, et implicatæ, justa est apellandi causa (3).

(1) De his agitur in titulo Codicis de *Dilationibus*.
(2) Cap. 24 de offic. et potest. Deleg.
(3) Cap. 1 et 4 de *Dilation.*

3. Dantur dilationes ad inducendos testes (1) ad exceptiones peremptorias proponendas (2), ad proferenda instrumenta, ad se purgandum (3), ad accusandum, et agendum (4), ad cursum appellationis prosequendum (5).

(1) Cap. 9 de probat.
(2) Can. 1 et 3 c. 5 q. 3.
(3) Cap. 53 de testib. et attestat.
(4) Cap. 14 de accusat.
(5) Cap. 13 de offic. judic. ordin.

4. Quemadmodum in judicio sunt partes tres, ita singulæ suas habent dilationes. Hinc triplex earum genus distinguitur. Nam aliæ dantur in prima litis parte, videlicet à citatione usque ad litis contestationem, et hæ vel citatoriæ, vel deliberatoriæ vocantur. Citatoriæ dantur ad comparendum, dilatoriæ ad deliberandum, num ille, qui in judicium vocatus est, litem suscipere debeat. Quædam autem conceduntur à litis contestatione usque ad sententiam, quæ probatoriæ dicuntur, quia dantur ad parandas, afferendasque probationes. Denique in tertia litis parte dilationes conceduntur ad audiendam sententiam, vel mandatum exequendum, quæ definitoriæ nuncupantur.

5. Dilationum tempore judicis officium conquiescit. Et quia arbitrarias tribuere dilationes, actus est judicialis, idcirco concedendæ sunt à judice pro tribunali sedente, causaque cognita (1). In dilationibus, quæ à jure dantur, nulla causæ cognitione opus est.

(1) Can. ult. c. 3 q 3. — De *Dilationibus* consul. Præpositi D. Joan. Sala opus *Digestum Romano-Hispanum*, ed. Matrit. 1821, tom. 1 pag. 51 et seq.

APPENDIX.

DE PROCESSU CRIMINALI INSTRUENDO.

(N. S. Criminum vindictam quod spectat, distinguendum omnino jus antiquum inter, et novum. Jure namque antiquo, uti ex veterum Conciliorum Actis elucet, istiusmodi pene erat. Primo querela libello conscripta ab accusatore, Episcopo, vel Synodo, pro personæ accusatæ conditione exhibebatur. Neque enim facile sine accusatore, et libello veteres judicia instituebant.

Accusatus vero ter, quaterve in jus vocari solebat, ut defensioni locus non deesset. In Synodo Chalcedonensi Eutyches ter ex Episcoporum sententia, ut ad Synodum accederet, compellatus est. At citatus si coram adesse detrectaret, ipse ob contumaciam (quæ crimen acerbissima semper pœna dignum habitum est), excommunicationis, vel depositionis pœna multabatur: quod eadem Synodus in Euthychetem præstitit. Quod si coram adesset, interrogatus audiebatur pro se dicturus, ipseque vicissim testes audiebat, instrumenta inspiciebat: si quid ipsi excipiendum, vel respondendum superesset, id ei licebat: denique Episcopus, vel Synodus sententiam dicebat.

Porro in eis peragendis plura quam diligentissime observabantur: 1 ne qua temere, præsertim adversus Presbyterum, et Episcopum, reciperetur accusatio; pro quibus tanta diligentia electis illa jure ponderosa habebatur præsumptio; ne facile crederetur, nisi quod duobus, vel tribus testibus probatum esset; et quidem juxta mandatam Apostoli I Timoth. V, v. 19: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Cujus quidem Pauli testimonio edocti Patres Syn. Bracar. II *Can* 8 ita decernunt: *Si quis Clericorum aliquem in accusatione fornicationis impetit, secundum præceptum Pauli Apostoli, duo, vel tria testimonia requirantur ab illo.* Quæret fortasse quispiam, cur nam hic Apostolus peculiare de Presbyteris mandatum dederit, quum lex sit omnibus communis, ne scilicet quis uno contra se dicente testimonium, condemnetur, sed ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum? *Deut.* 17 *v.* 6, et 19 *v.* 15. Sunt qui censent Apostolum eo spectasse, ut hujusmodi cautio, cum laicis etiam alioquin adhibenda, religiosius servaretur cum Presbyteris, qui sanctio-

res habentur, magisque inmunes, quorum dignitas sublimior est, nomenque odiis magis obnoxium. At verisimilior illorum videtur interpretatio, qui docent, Apostolum non de condemnatione solum loqui, verum et de accusatione, atque adeo magis proprie de accusatione: adeo ut præcipiat, ut si laicus, licet ab uno accusatus, damnandus non est, nisi duorum, aut trium testimonium criminis veritatem contestetur, adversus Presbyterum tamen ne accusatio quidem recipiatur, nisi duorum, aut trium testimonio firmata: idque tum pluribus de causis, tum vel maxime quod haud raro fideles Presbyterorum, atque adeo Pastorum suorum correctionibus offensi, eorum crimina exaggerare consuescant, atque ad ipsos criminis insimulandos facile prosiliant.

Tum 2 studiose inquirebant in accusatores, num probi, et fide integri, an vero subdoli, et mendaces; uno verbo, utrum ex *Legum*, *ac Canonum sententia* idoneas ad accusandum personas esse, constaret; uti constituit Synod. Tolet. VI *Can.* 9. Immo nisi accusatores objectum crimen aliis etiam testimoniis confirmarent, excommunicationis pœna, quæ in accusatos infligenda foret, plectebantur; id quod sanxit præf. Syn. Brac. II. *Can.* 8, eamque excommunicationem perpetuam esse constituit Syn. Illiberit. *Can.* 75, his verbis: *Si quis autem Episcopum, Presbyterum, vel Diaconum falsis criminibus appetierit, et probare non potuerit, nec in fine dandam esse communionem.* Inquirebant etiam, et potiori jure in testes, scilicet qui essent, qualesve, quibus moribus, qua fama, et quo animo ad dicendum testimonium accessissent. Unde in falsos testes jus talionis sancitum reperitur: *Deut.* 19 *v.* 19: *Constit. Apost. Lib.* 11 *cap.* 49, *Leg.* 1, 2, *et* 3 *Cod. Theod. de Calumniat. Leg.* 6 *Tit.* 4 *Lib.* 2 *For. Judic.*, *Leg.* 26 *Tit.* 11 *Partit. III*, *et Leg.* 4 *Tit.* 6 *Lib.* 12 *Novis. Compilat.* Tum in falsos testes secundum objecti criminis gravitatem animadvertendum præcipit Syn. Illiberit. *Can.* 74.

Adhæc 3 rei, ad exemplum terroris, publice increpabantur: rei scilicet non quilibet, sed qui publico judicio convicti essent: Apost. *I ad Timoth.* 5 *v.* 20. Sicuti enim haud facile accusatio recipienda, ita quum quis legitimo fuerit judicio convictus, ei parcendum non est, sed *coram omnibus*, id est palam, et in publico Ecclesiæ conventu arguendus.

Summopere etiam 4 cavebant, ne in *acceptionem personarum*, divinis oraculis toties damnatam, inciderens, quippe qui persuasi, fore ut quo judicio judicarent, ipsi aliquando judicarentur: *Deut.* 1 *v.* 17, 16, *v.* 19, *Matth.* 7 *v.* 2, *Constit. Apost. Lib.* 2 *cap.* 57.

Demum 5 ut omnia rite, legitimeque confecta constarent, Notarii h. e. Diaconi, vel Lectores per notas, sive siglia scribere parati, cuncta, quæ in judicio fiebant, dicebanturque, cum à Judice, tum à partibus, distincte, suis ipsorum verbis, ne interruptionibus quidem, et exclamationibus omissis, scripto consignabant; cui veluti processui, instrumenta prælecta inserebantur, ut de judiciorum integritate constaret posteris.—Hæc judiciorum Ecclesiasticorum in criminibus vindicandis facies antiqua.

Sequutis temporibus, Juris Romani studium, uti in causis civilibus, ita et in criminalibus sollemnia formularum plurimasque ambages, quibus hodiernus criminalium judiciorum ordo scatet, è foro laicali in Ecclesiasticum invexit. Hanc judicandi rationem, qua possumus hic brevitate, et perspicuitate explicandam adgredimur.

Ac primo receptis jam, probatisque accusationibus—*de *accusatione*, *denuntiatione* ac *inquisitione* v. hujus voluminis pagg. 31 et 32*—tum et testibus auditis, aliisque prævis jam expletis informationibus, ut ajunt, Judici inspiciendum est, num Rei captura decernenda sit, an vero simpliciter citandus. Neque enim quemquam fas est in carcerem detrudi, nisi quem legitima indicia, vel gravioris admissi criminis, vel fugæ suspectum fecerint. Hanc inquisitionem tum jus civile *Leg.* 2 *Cod. de Custod. reorum—et Leg.* 1 *Tit.* 29 *Partit. VII*,—tum jus Canonicum *Cap.* 15 *de Sentent. excommunic. in* 6,—et Syn. Valent. an. 1565 *Sess.* 3 *Tit.* 3 *cap.* 3—Judicis prudentiæ prorsus committunt; adeo ut ex Constit. Regni *contra effrænatos*, capitali judicio subjiciantur, qui sine Superiorum mandato personam aliquam, vel bona capere, retinere, vel custodire audeant. Nemini autem, nec Alguacellis ad id deputatis, licet absque judicis mandato quemquam capere, vel ejus bona detinere, aut sequestrare: *Leg.* 3, *et* 4 *Tit.* 33 *Lib.* 5 *Novis. Compilat.* Quænam vero oporteat esse inquisitio, ut Clericorum famæ quam delicatissime consulat Judex Ecclesiasticus, diserte docet Syn. Oscens. an. 598 *Can.* 2; scilicet, ut si de Clericis quidquam malum fama dictaverit, *omnia argutissime perquirantur, ut neque per falsitatis obumbrationem quisquam notetur; neque per quasdam excusationes admissum facinus operiatur.*

Rei in carceres detrusi, custodiæ dumtaxat nomine sunt de-

tinendi, haud vero ut ibi torqueantur ad interitum, macerentur inedia, aut acerbitate ulla adfligantur: *Leg.* 8 §. 9 *Dig. de Pœnis, et Leg.* 11 *Tit.* 29 *Partit. VII.*

Principes nostri, humanitate, et pietate conspicui, ab squalidis, atris, et horridis carcerum ergastulis abhorrentes, plura pro reorum commoditate servanda præscripserunt: *Leg.* 6 *et* 11 *Tit.* 29 *Partit. VII*; et Philippus II *Leg.* 4 *Tit.* 38; 1, 6 *et* 7 *Tit.* 39 *Lib.* 12 *Novis. Compilat.*

Clerici vero in publicum Episcopalem carcerem detrudendi, *trahendi sunt modeste, ac decenter.... ut Ecclesiastici Ordinis, et dignitatis magna ratio habeatur*, ut sanxit Syn. Valent. an. 1565, *Sess.* 3 *Tit.* 3 *Cap.* 3. quin et ea qua par est humanitate, atque etiam veneratione haberi debent; quocirca Episcopis injungitur, ut saltem semel in mense suos adeant carceres, suoque ibi mandato retentos Clericos visitent: Syn. Prov. Tolet. an. 1565 *Act.* 2 *Cap.* 13, et Compostel. *Actione* 3 *Decret.* 1.

Quum Reus neque fugæ suspectus est, neque pœnæ relegationem excessuræ videtur obnoxius, poterit à Judice simpliciter *ad informandum* citari. At quoties in causis etiam levioribus vel plena habeatur probatio, vel indubia ocurrant indicia, tunc Judici jus est decernere, *ut reus citetur ad informandum, et capiatur*. Quæ citatio *personalis* à forensibus vocitatur: ea enim ipsamet persona in judicium sisti cogitur, atque ad carceris custodiam vi publica pertrahitur. Verum quum indicia oppido levia sint, licet crimen sit capitale, Judici tamen nonnisi citatio *ad deponendum tanquam principalis* decernenda præscribitur. At si citatus ad deponendum, in judicio se non ostendat, inque contumaciæ crimen incurrat, tunc recte Judex decernet: *Citetur ad informandum: ex quo contumax ad deponendum*: indiciorum enim defectum contumacia supplet. Demum ubi crimen sit prorsus ambiguum, ad deponendum simpliciter inquisitus plerumque citatur; præsertim si bono fruatur nomine, vel saltem malo non laboret: gravia enim requiruntur indicia, ne temere alicui crimen adfigi videatur. Postremo citatio *ad dicendum causam quare* à Judice haud raro decernitur, eaque in Curiis Eclesiasticis præcipue locum habet, quum de aliqua censura infligenda agatur. Tunc enim Reus citatur *ad dicendam causam, quare non debeat excommunicari, suspendi, aut interdici à divinis*: vel si latæ sententiæ ea fuerit, *quare declarari non debeat incidisse in excommunicationem.*

In jus vocatus citatione personali, si infirmitate, aliove legitimo delineatur impedimento, excusatur; *Can.* 1 *Causa* 5 *Q. III*, *Leg.* 15 §. 1 *Dig. Ad Leg. Jul. de adult., coer. et Leg.* 11 *Tit.* 7 *Partit. III.* Illustres dumtaxat personæ criminalia judicia per procuratores subire non vetantur: *Leg. ult. Cod. de Injuriis.* Non excusabantur olim in Hispania ex *Leg.* 11, *et* 12 *Tit.* 5 *Partit. III:* ac dein consuetudine inductum fuit, ut id genus Reorum, sive nobiles sint, vel ignobiles, in judicio se sistant per Procuratores.

Citatum intra statutum à lege tempus, in judicium venire detrectantem, judex contumacem rite declarabit. Ut autem contumaciæ pœnis obnoxius fiat, necessum omnino est, ut semel atque iterum contumaciæ incusetur, legitimo inter utramque incusationem dilapso spatio. Porro pœna, qua in contumaces animadvertitur, in Curiis sæcularibus est multa pecuniaria; vel alia acerbior secundum delicti, vel contumaciæ gravitatem, ex Jure nostro Regio: *Leg.* 1 *Tit.* 37 *Lib.* 12 *Novis. Compilat.* In Ecclesiasticis vero est pœna tantum spiritualis, uti in causa fidei excommunicatio: *Cap.* 7 *de Hæreticis in* 6; aliave similis in ceteris fori Ecclesiastici causis, levitati, vel gravitati criminis, aut contumaciæ adtemperanda: *Cap.* 8 *de Dolo et contum.*

Demum in ipso delinquendi actu, sive, ut ajunt, in *flagranti* crimine quisque, non modo à publicis Curiæ satellitibus, verum et à quibuscunque etiam privatis deprehendi, vinculis constringi, suoque judici exhiberi poterit, præsertim si agatur de furibus manifestis: *Leg.* 3 §. 1 *Dig. de Furtis*; de raptoribus virginum, vel viduarum, diaconissarum, iisdemque auxilium præstantibus: *Leg.* 34 *Cod. de Episc. et Cleric.* Consonat hisce legibus Alphonsus Sap. in *Leg.* 2 *Tit.* 29 *Partit. VII*, de maleficis, h. e. magicis artibus cuicui nocentibus: *Leg. ult. Cod. de Malef. et mathem.*

Reus in judicio jam constitutus, legitimum debet examen subire, suoque judici legitime interroganti, de Capitibus jam collectæ informationis respondere: *Leg.* 4 *Tit.* 29 *Partit. VII.* Immo Jure nostro Hispano ipse per se Judex hujusmodi Reorum examen peragere tenetur: *Leg.* 6 *Tit.* 9 *Lib.* 11 *Novis. Compil.* Verum legitimo Reorum examini, ut accusatores intersint, antiquæ tum Civiles, tum Canonicæ leges præscribunt.

In quibusdam Fori Ecclesiastici Tribunalibus inductum est in Hispania, ut Reorum examini *Fiscalis* intersit; at hæc praxis generatim non obtinet. In sæcularibus vero nunquam citatur *Fiscalis*, ad confessionem Reorum audiendam; sed sola Judicis, et Notarii excipientis præsentia peragitur.

Examen Reo deferendum est juxta Interrogatoria, quæ Minister Fiscalis, aliusve officialis quantocius judici post citationem exhibere cogitur. Hisce Interrogatoriis Reum in judicio sistentem sine mora respondere oportet; neque datur ei dilatio ad deliberandum: atque adeo Reus plerumque prius interrogatur, quam ipsi dentur defensiones, tradaturque exemplar indiciorum, sive informationum. Tum Judici sive Commissario diligentia quanta maxima inspiciendum est, num Reus constans sit in deponendo, an vacillet; num aliquod timoris indicium prodat, voce, colore, trepidatione: num contraria sibi, et repugnantia imprudens proferat etc.

Examine peracto, vel confestim, vel post dilatas (si quas Reus protulerit) exceptiones, datur ei à judice terminus dierum fere quatuor, vel plus, minusve judicis arbitrio, tum Reo ad sese defendendum, tum ministro Fiscali, ut ajunt, ad impingendum.—Jure nostro Regio, et Ecclesiasticorum Judiciorum moribus, examine confecto, et recognita à Fiscali Rei confessione, iste accusationem exhibet, cujus trasumptum Reo traditur: *Leg.* 37. *Tit* 16. *Partit. III*, et *Leg.* 14 *Tit.* 1 *Partit. VII*, ut intra tres dies suam paret proponendam defensionem: *Leg.* 8 *Tit.* 27 *Lib.* 4 *Novis. Compilat.*—Quoniam vero testes, prius quam reus in jus vocatus suas proferre sinatur defensiones, ad pœnam inferendam nullo pacto valent, et quidem utroque jure, civili, et canonico: *Novell. XC cap.* 9, *Cap.* 2 *de Testibus, Can.* 7, *Caus.* 2 *Q* 1; hinc primum Testes, ut ajunt, recolligendi sunt, sive denuo audiendi, citato antea Reo ad videndum ipsorum juramenta, cui etiam eorumdem testium nomina, et cognomina sunt patefacienda. Quod Jure Hispano cautum est: *Leg.* 17 *Tit* 32, *Lib.* 12 *Novis. Compilat.*; quam quidem secundam hanc testium depositionem, uti prorsus necessariam, atque essentialem habent Juris periti, ac vulgo *Ratificationem* adpellant.

Atqui Testes satis non est, ut congruas adhibeant Rei interrogatoriis responsiones. Etenim de integro à judice legitime interrogandi sunt, perinde ac si nunquam interrogati fuissent.—In Hispania necessum non est, ut testes de integro à judice interrogentur; sed satis est, ut prior ipsis relegatur depositio, an ratam habeant, an eam omnino, vel partim corrigere velint; tantumque examinandi sunt quoad ea, quæ Fiscalis, vel adversarius de novo exponit ad pleniorem delicti probationem

Nonnunquam depositionum renovatio in ipsius Rei conspectu testibus præstanda est; quæque vocitari solet *Confrontatio*, quasi facta fronte ad frontem, ac tribus præcipue in casibus: 1 ubi testes aliquid deponant Rei confessioni omnino contrarium. 2 Ubi testes nomen, et cognomen inquisiti ignorent, quem tamen deliquisse conspexerint. 3 Quoties duo testes ita discrepent sententiis, ut alter Reum criminetur, quem alter purget.

Testium repetitioni aliquando inquisiti renuntiant, quos tanquam satis, ac rite examinatos libello sua manu signato declarant: quo facto testes repetere haud ultra fas est. Quod de foro dumtaxat laicali intelligas.—Verum alii tutius opinantur, nefas esse Reo testium repetitioni renuntiare, in causis præcipue, ubi fama, vel salus, aut vita propria, vel aliorum periclitatur: nemo enim neque alienæ, neque propriæ famæ, vel salutis dominus est; quocirca nulli integrum erit, eam periculo amittendi derelinquere; præsertim quum repetitio de substantia judicii esse censeatur.

In flagranti, vel notorio crimine, quod in longum pertrahere nefas est, testium repetitioni locus non datur. Testes enim nonnisi semel post Rei capturam audiuntur. Scilicet post præstitum coram ipso Reo jusjurandum, à Judice interrogantur; mox et Reus ipse interrogatur, et quidem etiam per suggestionem, quam criminis evidentia permittit: tum simul testium, et Rei, quas Judici dederint, responsiones in Acta redigantur, ex quibus probationes pro flagranti, vel notorio crimine depromuntur, adeo ut nulla ulteriori probatione opus sit: *Cap.* 21 *de Jurejurando*, *Cap.* 8 *de Cohabit. Cleric. et mulier.*, et *Cap.* 9 *de Accusat.*

Jam vero distinguitur à *notorio flagrans*. *Flagrans* enim crimen significat clam licet perpetratum, de quo tamen testes, qui inibi præsentes adfuerint, deponant: *Notorium* vero delictum præfert publico in loco, et coram populo palam admissum: porro procedendi forma in utroque eadem pene est. Videsis Gonzalez in *Cap.* 9 *de Accusationibus*, et Antonium Gomez *Lib.* 3 *Variar. cap.* 1 *à n.* 40.

¿Quid si Reus ultro crimen fateatur? ¿num et defensiones etiam indulgendæ? ita quidem. Poterit enim adversus suam ipsius confessionem excipere erroneam fuisse, mendacem, vel absurdam. At licet criminis confessio nullo pacto impugnari quiverit, non una tamen Reo patet via ad sese defendendum. Poterit enim excipere, vel necessitate adactum, vel sine dolo crimen perpetrasse, vel fortuito, vel præter voluntatem. Porro hæc *simpliciter* proferre non juvabit, sed pro virili erunt ads-

truenda. Profecto ubi in crimine ambiguum quid, controversumque erit, non parvi erunt roboris ad crimen, sin minus diluendum, saltem enervandum.

Processu plene instructo, judicis est inquirere, num ex probationibus in eo conclusis possit reus damnari. Profecto quum de pœna corporali infligenda agitur, præcipue capitali, indicia, et præsumptiones satis non habentur; sed probatio requiritur non modo plena, verum et indubitata, ac luce meridiana clarior: ita DD. in *Leg. fin. Cod. de Probationibus:* et *Leg.* 26 *Tit.* 1 *Partit. VII.*)

* Selvagii §. *de tortura reorum* omittimus, quia, ut ipse affirmat, «in curiis illa ecclesiasticis in desuetudinem abiit,» et in Hisp. proscripta regnante Ferdinando VII (Reg. sched. 25 Jul. 1814.)

Quod ad criminalem processum generatim attinet, is apud nos in Eccl. tribunalibus eadem methodo ac in sæcularibus instrui solet: v. hoc de proposito Reg. ordinat. 10 Apr. 1856. — Huc quoque spectat Reg. decret. 26 Maji labentis an. 1854, ex quo sequentia extrahere opportunum censemus:

Art. 1.° «A ningun procesado se recibirá *confesion con cargos*; sin perjuicio de que se le puedan recibir cuantas declaraciones estime el juez conveniente.

Art. 2.° «En las causas contra reos ausentes, no se ratificarán en el término de prueba los testigos del sumario, sino cuando lo solicite el ministerio fiscal ó el acusador particular.....»

Art. 7.° «Cuando se dude si los procesados son ó no pobres, exijirá el juez al alcalde del domicilio una certificacion en que, bajo su responsabilidad, conste dicho estremo. Sin embargo, podrán practicarse, á instancia fiscal ó de parte, las diligencias que con este objeto crean pertinentes los tribunales.

Art. 8.° «Declarado pobre un litigante en primera instancia, seguirá disfrutando del beneficio que la ley le concede, sin mas justificacion, en todas las ulteriores instancias: á menos que la parte contraria, el ministerio fiscal ó el administrador de Rentas hicieren oposicion, por haber mejorado aquel de fortuna.

Art. 9.° «En las causas criminales no harán las partes en sus escritos juramento alguno.....»

Inserere quoque juvat Barcinon. Selvag. Adnot. observationem (t. 3 pag. 112), quæ sic se habet: «Ecclesiastici judices nequeunt mandata incarcerationis vel detentionis contra laicos ad executionem trahere, nisi prius impetrato *brachii sæcularis* auxilio, uti expresse innuitur ex legg. 4 et 12 tit. 1 lib. 2 *Novis. Rec.* Pari modo, si laicus judex ad ecclesiastici cujusdam fori privilegio gaudentis incarcerationem vel detentionem procedere debeat, prius judicis ecclesiastici veniam petere tenebitur, ipsum de delicto commisso certiorem faciens, ut apprime cognoscere valeat, utrum juste clericus civilis carceris molestiis afficiendus sit necne. Demum obiter notandum est, clericos, præcipue sacerdotes, incarcerandos, ex Reg. decreto 17 Oct. an. 1855, in carceribus specialibus conjici debere, vel si id commode fieri nequeat, in locis communium carcerum honestioribus, dummodo sufficienter reorum

securitati consulatur.»—Reg. decreto 30 Sept. 1855, de præsumpt. delinquentium incarceratione regulæ præscribuntur.*

TITULUS XIV.

DE SENTENTIA, ET RE JUDICATA.

1. SENTENTIA QUID?—2. EA VEL DEFINITIVA, VEL INTERLOQUUTORIA.—3. UTRIUSQUE DISCRIMEN.—4. SENTENTIA A COMPETENTE JUDICE,—5. ET PRO TRIBUNALI SEDENTE,—6. ET IN SCRIPTO FERENDA EST.—7. AN A JUDICE RECITANDA?—8. QUO IDIOMATE CONCEPTA ESSE DEBEAT?—9. AN NOCTU FERRI POSSIT?—10. JURI, ACTISQUE, ET PROBATIS CONGRUENS, CERTAQUE ESSE DEBET.—11. CONDEMNATIO IN EXPENSAS, ET FRUCTUUM RESTITUTIO.—12. SENTENTIA QUANDO TRANSEAT IN REM JUDICATAM?—13. IN QUIBUS CAUSIS IN REM JUDICATAM NUNQUAM TRANSEAT?—14. REI JUDICATÆ EXECUTIO.—15. QUIS REM JUDICATAM EXEQUITUR?—16. QUIBUS IN REBUS, ET QUO ORDINE EXECUTIO FIAT?—17. EXECUTIO IN BONIS MOBILIBUS, ET IMMOBILIBUS.—18. AUCTIO, ET DISTRACTIO PIGNORUM.—19. DEBITOR QUANDO IN CARCEREM DETRUDENDUS?—20. CESSIO BONORUM.—21. QUEMADMODUM EA FIAT, ET IN QUO DIFFERAT A RESCRIPTO QUINQUENNII?—22. BENEFICIUM COMPETENTIÆ.

1.

JUDICIARIA disceptatione absoluta, oritur *conclusio in causa* (1), et à judice ferenda sententia est. Definitur sententia: judicis pronunciatio super re à litigantibus proposita, condemnationem, vel absolutionem continens, et controversiam definiens (2). Justiniani legibus cautum erat, ut judex sententiam non ferret, nisi primum juratus declarasset, se procul habuisse studia partium, atque una ante oculos habita justitia, et veritate, causam judicasse (3). Sed hodie hoc juramentum emittunt judices, cum munus judicandi suscipiunt (*a*).

(1) Formula hæc à Decretalibus Pontificiis in forum civile defluxit. c. 5 §. 5 de caus. possess. et propr., c. 9 de fid. instrum.

(2) L. 1 ff. de re judicat. Multa de hac sententiæ definitione habes à Cujacio in cod. tit. de senten. et interloq. opp. t. 9 col. 996 ed. cit. recte, et sapienter animadversa, ubi etiam multæ sunt leges, quæ ad hunc locum pertinent, diligenter explicatæ. Vide etiam Donellum in l. 1 ff. de re judic. opp. t. 11 col. 117 et seq. ed. cit., qui de illa Modestini definitione in dict. l. 1 accurate disputat. et Philippum Vicatum vocabul. jur. verb. Sententia.

(3) L. 12 cod. de judic.—* V. leg. 24 tit. 22 *Partitæ III.**

(*a*) *L. 5 tit. 1 lib. 11 *Novis. Compilat.**

2. Sententia vel est interloquutoria, vel definitiva (1). Interloquutoria est, quæ non dirimit controversiam, de qua præcipue quæritur, neque super ea fertur, sed super quæstione inter ju-

truenda. Profecto ubi in crimine ambiguum quid, controversumque erit, non parvi erunt roboris ad crimen, sin minus diluendum, saltem enervandum.

Processu plene instructo, judicis est inquirere, num ex probationibus in eo conclusis possit reus damnari. Profecto quum de pœna corporali infligenda agitur, præcipue capitali, indicia, et præsumptiones satis non habentur; sed probatio requiritur non modo plena, verum et indubitata, ac luce meridiana clarior: ita DD. in *Leg. fin. Cod. de Probationibus:* et *Leg.* 26 *Tit.* 1 *Partit. VII.*)

* Selvagii §. *de tortura reorum* omittimus, quia, ut ipse affirmat, «in curiis illa ecclesiasticis in desuetudinem abiit,» et in Hisp. proscripta regnante Ferdinando VII (Reg. sched. 25 Jul. 1814.)

Quod ad criminalem processum generatim attinet, is apud nos in Eccl. tribunalibus eadem methodo ac in sæcularibus instrui solet: v. hoc de proposito Reg. ordinat. 10 Apr. 1856. — Huc quoque spectat Reg. decret. 26 Maji labentis an. 1854, ex quo sequentia extrahere opportunum censemus:

Art. 1.° «A ningun procesado se recibirá *confesion con cargos*; sin perjuicio de que se le puedan recibir cuantas declaraciones estime el juez conveniente.

Art. 2.° «En las causas contra reos ausentes, no se ratificarán en el término de prueba los testigos del sumario, sino cuando lo solicite el ministerio fiscal ó el acusador particular.....»

Art. 7.° «Cuando se dude si los procesados son ó no pobres, exijirá el juez al alcalde del domicilio una certificacion en que, bajo su responsabilidad, conste dicho estremo. Sin embargo, podrán practicarse, á instancia fiscal ó de parte, las diligencias que con este objeto crean pertinentes los tribunales.

Art. 8.° «Declarado pobre un litigante en primera instancia, seguirá disfrutando del beneficio que la ley le concede, sin mas justificacion, en todas las ulteriores instancias: á menos que la parte contraria, el ministerio fiscal ó el administrador de Rentas hicieren oposicion, por haber mejorado aquel de fortuna.

Art. 9.° «En las causas criminales no harán las partes en sus escritos juramento alguno.....»

Inserere quoque juvat Barcinon. Selvag. Adnot. observationem (t. 3 pag. 112), quæ sic se habet: «Ecclesiastici judices nequeunt mandata incarcerationis vel detentionis contra laicos ad executionem trahere, nisi prius impetrato *brachii sæcularis* auxilio, uti expresse innuitur ex legg. 4 et 12 tit. 1 lib. 2 *Novis. Rec.* Pari modo, si laicus judex ad ecclesiastici cujusdam fori privilegio gaudentis incarcerationem vel detentionem procedere debeat, prius judicis ecclesiastici veniam petere tenebitur, ipsum de delicto commisso certiorem faciens, ut apprime cognoscere valeat, utrum juste clericus civilis carceris molestiis afficiendus sit necne. Demum obiter notandum est, clericos, præcipue sacerdotes, incarcerandos, ex Reg. decreto 17 Oct. an. 1855, in carceribus specialibus conjici debere, vel si id commode fieri nequeat, in locis communium carcerum honestioribus, dummodo sufficienter reorum

securitati consulatur.»—Reg. decreto 30 Sept. 1855, de præsumpt. delinquentium incarceratione regulæ præscribuntur.*

TITULUS XIV.

DE SENTENTIA, ET RE JUDICATA.

1. SENTENTIA QUID?—2. EA VEL DEFINITIVA, VEL INTERLOQUUTORIA.—3. UTRIUSQUE DISCRIMEN.—4. SENTENTIA A COMPETENTE JUDICE,—5. ET PRO TRIBUNALI SEDENTE,—6. ET IN SCRIPTO FERENDA EST.—7. AN A JUDICE RECITANDA?—8. QUO IDIOMATE CONCEPTA ESSE DEBEAT?—9. AN NOCTU FERRI POSSIT?—10. JURI, ACTISQUE, ET PROBATIS CONGRUENS, CERTAQUE ESSE DEBET.—11. CONDEMNATIO IN EXPENSAS, ET FRUCTUUM RESTITUTIO.—12. SENTENTIA QUANDO TRANSEAT IN REM JUDICATAM?—13. IN QUIBUS CAUSIS IN REM JUDICATAM NUNQUAM TRANSEAT?—14. REI JUDICATÆ EXECUTIO.—15. QUIS REM JUDICATAM EXEQUITUR?—16. QUIBUS IN REBUS, ET QUO ORDINE EXECUTIO FIAT?—17. EXECUTIO IN BONIS MOBILIBUS, ET IMMOBILIBUS.—18. AUCTIO, ET DISTRACTIO PIGNORUM.—19. DEBITOR QUANDO IN CARCEREM DETRUDENDUS?—20. CESSIO BONORUM.—21. QUEMADMODUM EA FIAT, ET IN QUO DIFFERAT A RESCRIPTO QUINQUENNII?—22. BENEFICIUM COMPETENTIÆ.

1.

JUDICIARIA disceptatione absoluta, oritur *conclusio in causa* (1), et à judice ferenda sententia est. Definitur sententia: judicis pronunciatio super re à litigantibus proposita, condemnationem, vel absolutionem continens, et controversiam definiens (2). Justiniani legibus cautum erat, ut judex sententiam non ferret, nisi primum juratus declarasset, se procul habuisse studia partium, atque una ante oculos habita justitia, et veritate, causam judicasse (3). Sed hodie hoc juramentum emittunt judices, cum munus judicandi suscipiunt (*a*).

(1) Formula hæc à Decretalibus Pontificiis in forum civile defluxit. c. 5 §. 5 de caus. possess. et propr., c. 9 de fid. instrum.

(2) L. 1 ff. de re judicat. Multa de hac sententiæ definitione habes à Cujacio in cod. tit. de senten. et interloq. opp. t. 9 col. 996 ed. cit. recte, et sapienter animadversa, ubi etiam multæ sunt leges, quæ ad hunc locum pertinent, diligenter explicatæ. Vide etiam Donellum in l. 1 ff. de re judic. opp. t. 11 col. 117 et seq. ed. cit., qui de illa Modestini definitione in dict. l. 1 accurate disputat. et Philippum Vicatum vocabul. jur. verb. Sententia.

(3) L. 12 cod. de judic.—* V. leg. 24 tit. 22 *Partitæ III.**

(*a*) *L. 5 tit. 1 lib. 11 *Novis. Compilat.**

2. Sententia vel est interloquutoria, vel definitiva (1). Interloquutoria est, quæ non dirimit controversiam, de qua præcipue quæritur, neque super ea fertur, sed super quæstione inter ju-

dicii cursum incidente (2). Interloquutoria dicitur, quia judex, dum de primaria causa quæritur, interea loquitur, neque definitive pronunciat, sed ea tantum dicit, quæ ad causam promovendam pertinent, ut judicium ad propositum finem perducatur (3). Definitiva autem est, quæ totum negotium definit, planeque dirimit controversiam (*a*).

(1) Jus civile sententiæ nomine, proprie *definitivam* intelligebat; mandata, jussa, aliaque decreta, quæ parabant quidem ad præcipuam causam definiendam viam, non tamen eam definiebant, *interloquutiones* dicebantur, nec vim habebant sententiæ, neque in rem judicatam transibant. l. 17 et 9. C. ex quib. caus. infam. tot. tit. cod de senten. et interloq. l. 2 ff. de appellat., recip. Sed jus canonicum promiscue hoc vocabulum usurpat, quod etiam in praxi receptum est; unde nata est vulgata distinctio inter sententiam interloquutoriam, et definitivam.

(2) Vox hæc *interloquutio* juris auctoribus usitata est, eaque pluries in civilis, et canonici juris libris occurrit. Verum antiquiores *interloquutionem* vocarunt *præjudicium*; quoniam *interloquutorium* vix latine dici, et eleganter posse, Vossius de vit. serm. l. 3 c. 16 moner.

(3) Consule Donellum in tit. ff. de re judic. et de effect. sent. et de interloq. opp. t. 11 col. 115 et 116 ed. cit.

(*a*) *Leg. 2 tit. 22 *Partit. III.**

3. Magnum inter utramque sententiam discrimen est. Nam interloquutoria sententia ab eodem judice revocari potest (1), definitiva non potest (2); hæc in scriptis ferri debet, illa non scribitur; à definitiva appellatur, ab interloquutoria appellare non licet, nisi vim habeat definitivæ, aut magnum inferat detrimentum, quod alio modo removeri non possit (3).

(1) L. 14 ff. de re Judic.', c. 60 de appellat.

(2) L. 9 cod. de senten. et interloq., l. 55 ff. de re judic.

(3) Jus civile ab interloquutoria appellationem negat l. 16 cod. de judic., l. 56 c. de appellat., quam legem restituit Cujacius observ. l. 12 c. 5 opp. t. 3 col. 306 ed. Ven. 1758. Confer etiam l. 5 c. Theod. Quar. appell., et l. 65 c. Theod. de appellat. Erant tamen etiam apud Romanos interloquutiones, vel simplices, quæ directo præcipuam causam non attingebant, sed quibus judex vetabat, vel jubebat ea, quæ ad ordinem in judicio servandum pertinebant l. 14 ff. de re judic., vel vim sententiæ habentes, quibus judex rem aliquam incidentem definiebat, quæ tamen præcipuam causam respiciebat, parabatque simul ad eam definiendam viam, qualis etiam sententiæ nomine comprehendebatur l. 39 ff. de minor., ubi hæc quæstio proponitur. Minores intra quadriennium *in integrum restitutionem* petierant. Dubitabatur, utrum minores essent, cum gestum est negotium, et ita ætatem demonstrare oportebat. Lata est pro ætate sententia, quæ quamvis interloquutoria esset, vim tamen definitivæ habebat, cum causa cognita, rem incidentem definiret, ex qua judicium præcipuæ causæ pendebat, num danda esset restitutio? Ab hac sententia emissa, et accepta appellatio est. Concedit etiam jus

civile appellationem ab interloquutoria, quæ insigne damnum affert, quod alio modo removeri non potest l. 2 c. Si penden. appellat. c. 2 ff. de appell. recip. l. 18 c. Theod. Quar. appell. non recip Jus Canonicum à quavis interloquutoria, et à quovis gravamine appellationem permittebat c. 11 et 12 de appellat. et c. 1 eod. in 6. Sed Concilium Tridentinum sess. 13 c. 1 et sess. 24 c. 20 de Reform. jus hoc antiquavit; neque ab interloquutoria appellationem permisit, nisi ea vim habeat definitivæ, aut grave inferat detrimentum, quod alio modo tolli, avertique nequeat. Quæ etiam Juris civilis disciplina est.

* *Mixtam* Pragmatici appellant sententiam, cum articulus incidens ita sit comparatus, ut ex ejus decisione, principalis causæ decisio pendeat: ac proinde *definitivæ* vim habere dicitur. De ea conceptum videtur Tridentini Concilii Ses. 24 Ref. cap. 20, à Cl. Auct. citatum.

Provisionalem vero eam sententiam vocant, qua quidem controversia non definitur, sed tantummodo à Judice profertur, ut præsenti necessitati interim provideatur, tametsi nondum de principali causa plene cognoverit. Istiusmodi sententia locum habet in causis ad ecclesias divinumque cultum pertinentibus: ne scilicet ecclesiæ, ob lites longius protrahendas, divino careant ministerio, judicis est providere, ut divinus cultus interim hac vel illa ratione peragatur; cap. 28 *de Appellat.* Uti quoque parocho in causa congruæ portionis summarie et provisorie consulendum est. (*Ex Setvag.*)*

4. Ut definitiva sententia vim habeat, plura desiderat. Principio, à competente judice, qui in litigantes, aut saltem in reum jurisdictionem habeat (1), eoque pro tribunali sedente, ac juris ordine servato (2) ferenda est. Tribunal erat locus sublimis, et editus, fere ad instar hemicycli introrsum curvatus, ad quem per gradus ascendebatur, et in quo magistratus jus reddebat (3); ideo legum auctores sæpe magistratum designant iis verbis, *qui tribunali præest*, *qui pro tribunali cognoscit* (4). Cui loco à Latinis opponitur *locus planus* (5): unde *de plano cognoscere*, videlicet ex æquo loco cognoscere, non ex superiore, neque pro tribunali; sed in via, in transitu, cum vel lavandi, vel gestandi, vel ludorum gratia magistratus prodierit (6).

(1) Cap. 4 de Judic. c. 3 de consuet.

(2) Cap. 19 de senten. et re jud. c. 1 seq. Ut lit. non contest. — * Ll. 5 et 22 tit. 22 *Partitæ III.**

(3) Vitruvius Architect. l. 5 c. 1 p. 168 ed. Galiani Neap. 1758, « Item tribunal, inquit, ut in ea æde, hemicycli schematis, minore curvatura formatum. Ejus autem hemicycli in fronte est intervallum pedum 46, introrsus curvatura pedum 15, uti eos, qui apud magistratus starent, negotiantes in basilica ne impedirent. » Extrema hujus curvaturæ latera à Tacito Annal. l. 1 c. 75 t. 1 p. 152 ed. Amstelæd. 1673, cornua appellantur. Prætor ex hoc tribunali in sella curuli jus reddebat, quo spectat Martialis epigr. 93 l. 11 vers. 17 et 18 p. 655 ed. Ludg. Batav. 1670. Atque adeo proprium erat tribunal majorum magistratuum Romanorum, ut eo uti non possent magistratus municipiorum, quin etiam minores Magistratus Romanorum, veluti tribuni plebis, et triumviri, qui tantum in subselliis jus dicere solebant. Hinc et munici-

pales Magistratus pedanei judices à Paulo vocantur l. 38 § Qui se ff. de Pœn.

(4) L. 2 §. pen. ff. de Judic., l. 2 ff. de re judic. Cujus jurisdictio non est, ejus nullum est tribunal. Consule Polletum hist. for. Roman. l. 1 c. 6, et Brissonium de verb. signific. verb. Tribunal.

(5) Paulus Recept. senten. l. 5 c. 16 § 14 apud Schultingium Jurisprud. vet. ante-justinian. p. 495 ed. Lipsiæ 1737, *Custodiæ*, inquit, *non solum pro tribunali, sed et de plano audiri possunt, atque damnari.* Locum planum, locum æquum appellat Cicero, et cum loco superiori, hoc est tribunali opponit ep. ad familiar. l. 3 ep. 8 opp. t. 7 p. 79 ed. Oliveti Genevæ 1746. Confer Gerardum Noodtium de Jurisdict. et imper. l. 1 c. 10. Hinc edictalis formula, quo edicta propôni jubebantur *apud forum palam, unde de plano recte legi possint.* Ita enim illam in tabula ænea Bibliothecæ Regiæ repetit Cujacius observ. l. 7 c. 30 opp. t. 3 col. 170 ed. cit.

(6) L. 7 ff. de manum. vind., L. 1 ff. de constit. princip., l. 9 §. de plano ff. de offic. procons., l. 6 ff. de accus. § Servi vero inst. de Libertin. Et hujusmodi quidem est *plenaria* cognitio, cujus occurrit mentio in L. 4 cod. de Dilat., licet in vulgatis editionibus mendose prorsus legatur *planaria.* Qui de plano postulabant, Magistratum per libellum adibant, et Prætor per subscriptionem postulanti respondebat L. 15 ff. de In jus vocan., L. 29 ff. ad L. Cornel. de Fals. Verum quæ decretum, causæque cognitionem requirebant, non per libellum, ac tantum pro tribunali expediri poterant L. 9 §. Ubi decretum ff. de Offic. Procons., L. 1 §. Suspecti ff. ad S. C. Turpil. Ne quis tamen putet, Romanis idem fuisse *de plano, et summatim* cognoscere, animadvertendum est, multa fuisse, quæ summatim, sed tamen pro tribunali expedire oportebat. Ita decretalis bonorum possessio ex Carboniano edicto, vel ejus exemplo data, summaria erat L. 3 ff. de Carbonian. edict., et tamen alibi, quam pro tribunali dari non poterat: L. 3 ff. de Bon. possess. L. 2 ff. Quis ordo in bon. possess. serv.

5. Sedere judicem leges jubent, cum profert sententiam (1), sive ut suam ostendat auctoritatem, sive quod mens acrius intendit, quo magis corpus quiescit (2). Sed nusquam jure civili cautum est, ut sententia à non sedente judice prolata irrita habeatur; id à solo jure Canonico constitutum est (3). In judiciis summariis nulla est sedendi necessitas (4). Sedere vero debet judex sententiam dicturus publice, non in secreto, adeout nulla sit vis sententiæ, si in secreto dicatur (5).

(1) L. 6 §. ult. cod. de Postulando, Novel. 71 c. 1. Hinc ssessiones judicum, quarum mentio est in L. 2 §. 1 ff. Quis ord. in possess. Consule Polletum l. c. lib. 1 c. 5.—*L. 12 tit. 22 *Part. III.**

(2) Hinc Tranio apud Plautum in Mostell. act. 5 sc. 1 vers. 54 t. 1 p. 551 ed. Lugd. Batav. 1669:

Nimio plus sapio sedens.

(3) Cap. 5 de Senten. et Re judic. in 6.
(4) Clement. 2 de Verb. signific.
(5) L. 6 cod. de Sentent. et interloq.

6. Deinde vero sententia ferenda est in scripto, et quæ sine scripto lata est, ne nomen quidem sententiæ meretur (1). Nam sæpe verba ori pronunciata* menti illudunt, non item ea, quæ literis consignata sunt; periculosum est autem in proferenda sententia judicem labi, quoniam sententiam semel latam mutare, aut emendare non potest. Hinc judex, diligenti primum de negotio deliberatione, et consultatione habita, sententiam concipit, conceptamque in libellum, sive brevem chartam referre debet (2). Sed in causis brevioribus, et maxime vilium personarum necessaria non est scriptura (3), quæ etiam omittitur in interloquutionibus, quas judici ore proferre licet, inde vero notarius scripto mandat.

(1) L. 3 cod de Setent. ex peric. recit., can. 7 caus. 2 qu. 1 C. 5 de Senten. et re judic. in 6.—*L. 5 tit. 22 *Part. III.**

(2) L. 2 cod. de Senten. ex peric. recit.

(3) Auth. nisi breves cod. eod.; ubi etiam scripturæ necessitate solvitur sententia Episcopi, qui inter suos subditos causas cognoscit, quod retulit Gratianus in Decretum suum can. 45 c. 11 qu. 1. Quod autem de Episcopo, idem etiam de capitulo sede vacante sancitum est in c. 43 de Testib. Sed hodie etiam Episcopi inter suos subditos judicantis sententia in scripto ferenda est. Cujacius ad c. 43 de Testib. opp. t. 6 col. 853 ed. cit. ideo tum Episcopo, tum vacante sede Capitulo definitivam sententiam ex non scripto ferre licere arbitratur, quod sint illustres judices, qui ejus solemnitatis necessitate soluti sunt in L. 2 cod. de senten. ex peric recit. Verum in ea lege id tantum illustribus judicibus datur, ut *etiam per officium suum, et eos, qui ministerium suum eis accomodant, sententias definitivas recitent* ex tabella, cum alii debeant eas suo ipsi ore scriptas ex libello partibus legere; quod generatim Canonico quoque jure de Episcopo constitutum est propter dignitatis prærogativam, ut inquit Bonifacius VIII in cit. c. 5 de Senten. et re judic. in 6. Ego id jure singulari de Episcopo sancitum arbitror, ut cum causam cognosceret inter clericos, scripturæ solemnitatem servare non cogeretur. Simile jus singulare de Præfecto Prætorio, qui verbo sententiam dicebat, constitutum fuisse, scribit Cassiodorus Var. l. 6 n. 3 seu Formul. Præfect. Præt. p. 97 ed. Rotomag. 1679, sed ceteri illustres judices, de quibus simile jus editum non fuerat, definitivas sententias scripto mandare debebant, neque certe laudata Lex 2 eos hac necessitate solvit.—*L. 6 cod. tit. et *Part.*, leg. 8 tit. 3 lib. 11 *Novis. Compilat.*: Syn. Hispal. an. 1512, cap. 57, et Valent. an. 1565, ses. 3 tit. 3, cap. 3. V. *Reg. Provis.* art. 31 et 40 de causis vulgo *de menor cuantia*; et Reg. ordinat. 10 Jun. 1840.*

7. Collata in libellum sententia ab ipso judice recitanda est, et vero præsentibus, aut saltem in eam rem vocatis litigantibus (1). Tantum Præfectis Prætorio, ceterisque illustribus magistratibus jure civili concessum est, ut per ministros suos sententias ex tabella recitent (2); et exemplo illustrium magistratuum, Bonifacius VIII sancivit, ut etiam Episcopi sententias suas per

alios proferant (3). Sed jam ubique receptum est, ut judicum sententiæ per alios recitentur (4); imo apud nos à nemine sententia legitur, sed eam *latam, et publicatam* notarius peculiari libro scribit, eaque tunc incipit vim suam exserere.

(1) L. 2 cod. de Senten. ex peric. recitan., C. ult. de Senten. et Re judic. in 6. Sententiam ex tabella, seu ex scripto pronunciare, in jure civili dicitur ex periculo recitare; unde titulus Codicis *de Sententiis ex periculo recitandis*. Extat hic idem titulus in Codice Theodosiano l. 4 tit. 17. De illo autem verbo *periculi*, ex quo sententiæ recitantur, multæ sunt, interque se discrepantes doctorum hominum opiniones. Plures sunt, qui utrumque locum in Codice Teodosiano, et Justinianeo corruptum putant, ac legendum contendunt *de Sententiis* ex breviculo *recitandis*, atque ita sentiunt Alciatus Dispunct. 20. Perrenon. Animadvers. 2, 17. Ferrandus Adduensis Explic. l. 2 apud Everardum Ottonem Thes. jur. civ. t. 2 p. 575, aliique, atque hæc etiam lectio probabilis videtur Donello de Jur. civil. l. 28 c. 3 n. 10 opp. t. 6 col. 405 cit. ed. Lucæ. Sed vera lectio est ex periculo, quam solide tuentur Sirmendus Antirreth. 2 cap. 11. Desiderius Heraldus Observ. c. 50 et Animadvers. ad jus Attic. 2, 7, 4. Grotius in Flor. spars. ad cod. Justinian. 7, 34. Cujacius Observ. l. 3 c. 25 opp. t. 3 col. 121 et in cod. de Senten. ex peric. recitan. t. 9 col. 995 ed. cit. De hujus autem vocabuli interpretatione magnum est sententiarum divortium. Mitto quorumdam explanationes plane ridiculas, et mitto illos, qui *recitare ex periculo* interpretantur *recitare ex memoria*, cum revera sit recitare *ex scripto*, uti titulum illum in utroque codice legenti facile patebit. Fere inter omnes constat, *periculum* esse libellum, ex quo sententia recitatur; sed male hujus nominis causam reddunt, quia scilicet ex sententia semper aliquis periculum subeat, aut reus, aut judex si male judicavit, quæ etiam Cujacii sententia est. Ego assentior Jacobo Gothofredo in L. 2 cod. Theod. de Sentent. ex peric. recitan. t. 1 p. 455 ed. Lipsiæ cit., qui *periculum* interpretatur experimentum, et tentamen, quemadmodum *periculum facere* nihil est aliud, quam rem antea tentare, ne quid per errorem fiat. Est igitur *periculum* tabella, seu libellus, in quo judex scribit quod sentit, ac sedulo legens, atque relegens, quæ scripto mandavit, cuncta emendat, quæ emendanda putat, ut in hisce scripturis fieri solet, denique conficit sententiam, quam recitare debet. Uno verbo quod á nobis *minuta*, id in Codicibus Theodosiano, et Justinianeo periculum appellatur. — * Cit. leg. 5 tit. 22 *Partit. III.**
(2) L. 2 cod. de Senten. ex peric. recitan.
(3) Cap ult. de Senten. et re judic. in 6.
(4) Consule Gudelinum de Jur. novis. l. 4 c. 12.

8. Quod attinet ad idioma, quo sententiam concipere oportet, id jure Romano tantum latinum erat, quod in ferendis sententiis, atque in publicis actibus adhibebatur (1). Quod quidem jus non in Urbe solum, sed etiam in provinciis, licet alio sermone uteretur populus, obtinuisse videtur (2). Sed Arcadii, et Honorii lege sancitum est, ut magistratus provinciarum tam latina, quam græca lingua sententias proferre possint (3). Ecclesia sem-

per usa videtur græco, aut latino sermone, qualem videlicet populi usus postulabat, quin etiam posteaquam sermo latinus popularis esse desiit, eum in dicendis sententiis Occidentalis Ecclesia retinuit. Nunc etiam forum sæculare multis in locis latina lingua, barbara tamen, et incondita utitur.

(1) L. 48 ff. de Re judic.
(2) S. Augustinus de Civ. Dei l. 19 c. 7 opp. t. 7 col. 551 cit. ed. Ven.
(3) L. 12 cod. de Senten. et interloq. Quam legem quidam pugnare existimant cum dict. L. 48, sed revera nulla inter utramque pugna est.
* Apud nos vulgari idiomate, tam in Eccles. quam in sæcul. curiis, sententiæ feruntur.*

9. Noctu quoque judicia exerceri, aut sententias ferri vetant leges Romanorum (1), quod jus profluit à legibus XII Tabularum (2). Nam quidquid judex agit, non in tenebris, sed palam, atque in omnium luce agere debet. A jure Civili Canonicum non abludit (3); sed tamen exempla non desunt judiciorum, quæ noctu gesta vim, et exitum habuerunt (4). Certo etiam in loco, in quo jus dici solet, sententia ferenda est (5); sed his in rebus spectare decet locorum consuetudinem; et jam plerisque in locis subtiliores hæ solemnitates fori usu sublatæ sunt.

(1) L. 1 §. 8 ff. Quand. appell. Novel. 82 c. 3. Consule Petrum Fabrum Semestr. l. 2 c. 9.—*L. 12 tit. 22 *Partitæ III.**
(2) * A. Gellius Not. Attic. l. 17 c. 2 p. 923 ed. Lugd. Batav. 1666. Seneca de Ira l. 3 c. 18 et 19 p. 124 et 126 ed. Amstelæd. 1672. Confer Rævardum ad LL. 12 Tabul. c. 7 p. 14 ed. Neap. 1779. et Scipionem Gentilem de Jurisdict. l. 2 c. 29 o p. t. 3 p. 221 ed. Neap. 1764.
(3) Cap. 24 de Offic. et potest. deleg.
(4) Suetonius in Augusto c. 33 p. 233 t. 1 ed. Pitisci Leovardiæ 1714. Areopagitas noctu judicasse constat, et multa sunt exempla judiciorum noctu gestorum, aut ex consensu litigantium, aut ex locorum consuetudine.
(5) L. penult. ff de Just. et jur., L. 6 cod. de Senten. et interloq. ibique Gloss.

10. Porro sententia debet esse cum jure consentiens, actisque, et probatis congruens (1), ut si juri expresso repugnet, nulla sit (2); si vero litigantis juri adversetur, valet quidem, etsi iniqua sit, sed per appellationem suspenditur, novoque judicio revocatur (3). Debet etiam esse certa, et quæ definite absolvat, aut condemnet, quamquam necesse non sit in ea decidendi rationes enarrare, nisi id gravis causa postulet (4); postremo controversiam per omnes ejus partes expedire debet. Hinc non tantum super præcipuo negotio ferenda est, sed etiam

super iis, quæ negotio accedunt, cum eoque sunt connexa, et conjuncta, uti sunt expensæ litis, et fructus percepti; dedecet enim, absoluto judicio, litem alteram ex prima litis materia exoriri (5).

(1) Si aliud ex actis constet, et aliud judici ex privata conscientia exploratum sit, multi putant, judicem non secundum acta, et probata, sed secundum conscientiam judicare oportere. Verum hæc sententia longiorem faciet judicii cursum, et graviori sumptu utrumque litigantem afficiet, neutri tamen proderit. Nemo enim judici extra acta credere cogitur, illaque statim novo judicio secundum acta revocabitur. Tutius esset judicem sese prorsus ab eo judicio abstinere, causamque deferre ad judicem superiorem, vel de componendo negotio laborare. Quod si nihil horum facere judex possit, et omnino sententiam ferre cogatur, enim *non secundum id, quod ipse novit tamquam privata persona, sed secundum id, quod sibi innotescit tamquam personæ publicæ*, hoc est secundum acta, et probata judicare debere tradit S. Thomas 2, 2 qu. 67 art. 2. Ex iis tamen, quæ judex privatim notiones inductas, ut possit earum defectum investigare. Quod si eas non possit de jure repellere, debet eas in judicando sequi. Late ea de re disputat Covarruvias Var. resol. l. 1 c. 1 —' V. II. 17 et 18 tit. 22 *Part. III*; et quæ huj. tom. pagg. 29 et seq. ex Selvag. adnotata sunt.'

(2) L. 19 ff. de Appellat. C. 1 de sentent. et re judic. C. 64 de Regul. jur. in 6.—'L. 3 tit. 26 ejusd. *Part.*'

(3) L. 2 cod. Quand. provoc. non est neces., C. 5 et 6 de in integr. restit., C. 13 et 21 de Senten. et re judic.—'L. 3 tit. 22 *ibid.*

(4) Cap. 16 et 18 de Senten. et re judic.

(5) L. 3 cod. de Fructib. et lit. expens.

11. Et quia litem injuste videtur instituisse, qui causa cecidit, ubique victus in expensas victori condemnatur (1); præsertim si constet, eum temere, ac per calumniam litem intulisse (2). Fructus vero, quos victus cogitur restituere, ii præcipue sunt, qui post litem contestatam fuere percepti, aut saltem percipi potuissent, quoniam re in judicium deducta, statim in possessore mala fides oritur (3). Quin etiam si quis ante litem contestatam in dolo, malave fide versatus est, etiam fructus antea perceptos restituere debet.

(1) L. 5 cod. de Fructib. et lit. expens.

(2) Confer Donellum de Jur. l. 16 c. 3 n. 6 et seq. t. 6 col. 309 et seq. ed. cit —'V. l. 3 tit. 22 *Part. III*, et ad eam Greg. Lopez comment.'

(3) L. 2 cod. eod.

12. Lata, et publicata sententia, nisi ab ea intra decem dies appellatum fuerit, vim acquirit *rei judicatæ* (1), quæ finem controversiarum pronunciatione judicis accipit (2). Nam qui intra

legitimum tempus non provocavit, cum provocare posset, is in sententiam consensisse videtur. Proprie res judicata, non sententia, controversiæ finem imponit, quoniam hæc non ita rem expedit, ut totum negotium plane finitum habeatur. Res judicata actionem, et exceptionem parit (3), jus facit inter litigantes, quin et tertium obligat, si ex ejus consensu lis acta sit, aut is causam ab alterutra parte habeat (4); veritatis habetur loco (5); et quamquam postea nova prodierint monumenta, tamen lis per rem judicatam extincta, nonnisi ope restitutionis in integrum redintegrari potest (6).

(1) Cap. 13 et 15 de Sentent. et re judic.—'L. 19 tit. 22, 5 tit. 24 *Partitæ III.*'

(2) L. 1 ff. de Re judic.

(3) Cap. 13 de Sentent. et re judic.

(4) Can. 25 eod., C. 25 in fin. de Præben.—'L. 20 cit. tit 22.'

(5) L. 25 ff. de Stat. homin. Eleganter Cicero pro Sylla n. 22 t. 5 p. 385 ed. Genev. 1744, *Status*, inquit, *reipublicæ maxime judicatis de rebus continetur.*

(6) L. 4 Cod. de Re judic., C. 21 de Sentent. et re judic.—'L. 19 ejusd. tit.'

13. Multæ tamen causæ sunt, in quibus sententiæ vim numquam obtinent rei judicatæ, quamquam appellatum non fuerit, eæque idcirco recte revocantur. Hujusmodi sunt causæ, in quibus agitur de vi matrimonii (1); item sententiæ latæ à judice excommunicato (2), vel incompetente, aut competente quidem, sed contra jus expressum (3), aut contra priorem rem judicatam (4), aut neglecto juris ordine, aut ex falsis instrumentis, et testibus, à quibus judex deceptus est (5), aut quæ legitime publicatæ non sunt (6), aut quæ dictæ à judice pecunia corrupto (7); denique nunquam transeunt in rem judicatam sententiæ criminales, in quibus rei condemnati sunt, præsertim cum subjecti sunt pœnæ, quæ restitutionem admittit (8).

(1) Cap. 10 et 11 de Sentent. et re judic., C. 5 et 6 de Frigid. et malefic.

(2) Cap. 24 de Sentent. et re judic., C. 13 de Hæret.

(3) L. 1 §. 2 ff. Quæ senten. sine appellat. rescind.

(4) L. 1 Cod. Quand. provocar. non est necess.

(5) L. 3 Cod. Si ex fals. instrum., C. 22 de Sentent. et re judic., C. 9 de Testib., C. 6 de Except.—'L 1 tit. 26 *Part. III.*'

(6) Cap. ult de Sentent. et re judic. in 6.

(7) L. 7 Cod. Quand. provocar. non est necess.—'L. 24 *ibi.*'

(8) Argum. L. 6 ff. de Appellat. Ceterum sententia nulla esse potest modis compluribus, quos late recenset Blasius Altimarus *de Nullit. sentent.*

(N. S. Sententia ipso jure nulla nunquam in rem judicatam transit, licet ab ea non provocetur.—Jure tamen Hispano, nisi intra sexaginta dies à prolata sententia, de *nullitate* fuerit provocatum, in rem judicatam transit: leg. 1 tit. 18 lib. 11 *Novis. Compil.*); 'et Reg. Decret. 4 Nov. 1838.'

14. Rei judicatæ finis est executio, per quam ad exitum, actumque perducitur, quod re judicata definitum, et mandatum est (1). Nam vana, et inanis esset sententia, nisi exitum haberet; qui finis est, quo referri omnem judiciariam disceptationem oportet. Hæc autem executio fit statim in actione reali, si res ipsa, quæ extat, tradi possit; in actione personali dantur induciæ quatuor mensium, qui à die, quo edita, vel si provocatum fuerit, à die, quo confirmata sententia est, numerantur (2). Sed judex præscriptum tempus vel producere, vel contrahere potest, uti rerum ratio postulare videbitur (3). Nunc fori usu, et consuetudine receptum est, ut vel statim post emissam sententiam, vel post aliquot dies, vel etiam post longum tempus arbitrio judicis constitutum, expediantur literæ executoriales; quarum vi apparitores, allique inferiores ministri sententiam exequantur.

(1) Fit executio post rem judicatam; quoniam judicii initium ab executione sumere non licet L. 58 ff. de Re judic., L. 1 Cod. de Execut. rei judic. Ac recte monet Cujacius in Cod. tit. de Execut. rei judic. opp. t. 9 col. 1025 ed. cit., esse contra jus, quod profitemur, illa instrumenta, per quæ debitor non adito judice, neque edita re judicata in carceres detrudi potest.

(2) L. 68 ff. de Rei vindic., C. 5 de Sentent. et re judic. C. 26 de Offic. et potest. jud. deleg. Tempus hoc humanitatis gratia, ut ait Papinianus in L. 16 in fin. ff. de Compensat., debitori à lege conceditur, ut tempus habeat conquirendæ pecuniæ, quam adversario persolvat. Et olim quidem ex jure XII. Tabularum, tempus illud erat triginta dierum, qui in iisdem tabulis justi dies appellantur, quo eodem vocabulo utitur Cicero de Legibus l. 2 §. 9 opp. t. 3 p. 198 ed. Oliveti Genev. 1743: *Præter Ideæ matris*, inquit, *famulos, eosque justis diebus, ne quis stipem cogito*; hoc est, diebus certis, quibus fas est stipem cogere. Illud vero triginta dierum spatium, quod datur, ut judicato satisfiat, modicum tempus dicitur in L. 31 §. In pecunia ff. de Leg. 1, et in L. 1 ff. de Itin. actuq. Itaque ex lege XII Tabularum recte dici poterat modicum tempus, quo judicato satisfieret; sed immodicum factum est ex constitutione Justiniani, qui illud ad menses quatuor prorogavit.

(N. S. Jure nostro Regio, sententia, semel ac *in rem judicatam* transiit, si fuerit de re mobili, vel immobili, intra tertium diem, si de pecunia, intra decem dies exsequenda est: leg. 1 tit. 17 lib. 11 *Novis. Compilat*).

(3) L. 2 ff. de Re judic., C. 15 de Sentent. et re judic.

15. Jam vero sententiam exequitur ipse judex, qui eam dixit, modo jurisdictionem habeat; quoniam per executionem quis ad parendum sententiæ cogitur, nemo autem aliquem cogere si-

ne jurisdictione potest. Hinc judex ordinarius, atque judex à Summo Pontifice, aut à Principe delegatus, quod plenam habent jurisdictionem, sententiam ipsi suam exequuntur (1); eodemque jure potitur judex, cui à magistratu jurisdictio mandata est (2). Quin delegati à Summo Pontifice, ut facilius sententiam exequantur, acceptam potestatem, et jurisdictionem per annum retinent (3). Verum datus judex, et arbiter, quorum tantum propria est rei cognitio, sententiam non exequuntur; sed ejus executio pertinet ad magistratum (4), unde jus cognoscendi profectum est.

(1) Cap. 7. et 11 de Ofic. et potest. delegat.—'L. 1 tit. 27 *Partit. III;* ll. 4 tit. 29, 1 tit. 17 lib. 11 *Novis Compilat.*'

(2) L. 5 ff. de Offic. ejus cui mand. est jurisdict.

(3) Cap. 7 et 26 de Offic et potest. delegat.

(4) L. 15 ff. de Re judic., C. 4 de For. compet.

16. Cum autem fit executio, certus est observandus ordo, quem jus constituit. Nimirum si res ipsa extat, quæ restitui debet, ea, vi quoque, ubi opus fuerit, adhibita, auferenda est (1); si nulla ea sit, aut propter pecuniæ debitum facienda sit executio, primum capienda sunt bona mobilia, deinde immobilia, postremo, si illa non extent, vel satis non sint, jura, et nomina debitorum, semper tamen pro modo debiti, creditori addicenda sunt (2). Tantum speciali jure cautum est, ut nonnisi in subsidium executio fiat in stipendia, arma, et equos militum (3); itemque ut instrumenta ad agriculturam necessaria executioni non subjiciantur (4).

(1) L. 68 ff. de Rei vindic.

(2) L. 15 ff. de Re judic. Sed nunc fori usu receptum est, ut creditor indiscriminatim tum mobilia, tum immobilia capiat debitoris bona, præsertim cum creditum hypothecarium est.

(3) L. 4 Cod. de Execut. rei judic.

(4) L. 7 Cod. Quæ res pignor. oblig. pos. Ad similitudinem autem instrumentorum, quæ ad agriculturam sunt necessaria, etiam instrumenta artis, quam quis exercet, executioni non subsunt. Similiter executio non fit in vestes, quibus quis indutus est.

(N. S. V. leg. 3 tit. 27 *Partit. III.*—Jure Hispano, non licet Ecclesiasticis Judicibus in bonis laicorum sententiam exsequi, nisi advocato brachii sæcularis auxilio: leg. 4 et 12 tit. 1 lib. 2 *Novis. Compilationis*).

17. Cum executio pertinet ad bona mobilia, ea perficitur ab apparitoribus, qui se in locum conferunt, ubi sunt bona, quorum partem capiunt, eamque inferunt in locum publicum, ubi ser-

vanda est, donec auctione constituta vendatur, aut à debitore recuperetur. Quod si bona hæc ad publicum locum deferri commode nequeant, ubi sunt, retinentur; sed clauso obsignatoque ostio, et edicto proposito, ne quis ostium effringat, locumque ingrediatur (1). Verum cum executio de bonis inmobilibus est, in ea perficienda, præter apparitores, aut nuncium, sive cursorem, etiam notarius adhibetur, qui factæ executionis publicum testimonium perhibet.

(1) A pragmaticis pagina illa superimposita transverso ligno, quæ fores occludit, et qua cautum est, ne quis eas reseret, *biffa* appellatur.

18. Peracta executione, pignus distrahitur; nisi quod interim debitor impedimentum inferat, cujus gratia ea pignoris venditio expediri non possit. Pignora autem distrahuntur in foro, hasta posita (1); non quidem statim, sed post certum temporis intervallum, quod jure Civili complectitur duos menses, postquam pignora capta sunt (2). Verum fori mos est, ut decreto judicis, quod rogante creditore emittitur, intra dies decem hastæ subjiciantur, veneantque bona mobilia; at in bonis immobilibus primum instat creditor, ut hasta ponatur, tum proponuntur edicta, quibus licitatores ad auctionem vocantur; postremo exhibitis, apertisque chirographis auctionariis singulorum, rogatu creditoris, bona intra mensem largiori oblatori adjudicantur; eoque lapso adhuc debitor habet mensem unum, quo pignus luat, hoc est recuperet bona, pretiumque restituat, quod ab emptore solutum est. Cum nemo ad hastam accessit auctionem facturus, tertio minoris, quam æstimata sunt, bona creditori addicuntur (3).

(1) Hastam hanc *dominam* Juvenalis, Sat. 3 vers 33 p. 61 ed. Lugdun. Batav. 1664, vocat, quia scilicet hastæ potestati, et imperio omnia in venditione subjiciuntur:

Et præbere caput domina venale sub hasta.

Propertius autem l. 4 Eleg. 1 vers. 130. p. 570 ed. Patavii 1710, eamdem hastam, *tristem perticam* appellat:

Abstulit excultas pertica tristis opes.

Confer Brissonium de Formulis l. 6 c. 59 pag. 486 ed. Halæ 1731, et Heineccium Antiq. Roman. l. 2 tit. 1 §. 25 et tit. 18 et 19 §. 11 opp. t. 3 p. 242 et 296 ed. Neap. 1769. Extat etiam *de Fide et jure hastæ fiscalis* egregia

dissertatio Cl. V. Januarii Franconii Archiepiscopi Consentiæ edita Romæ an. 1767.

(2) L. 1 ff. de Re judic., L. 1 Cod. Theod. de Distrahen. pign. Consule Cujacium in Cod. tit de Execut. rei jud. opp. t. 9 col. 1023 seq. ed. cit., et Donellum de Jur. civil. l. 23 c. 13 et 14 opp. t. 6 col. 141 et seq. ed. Lucæ cit.

(3) Confer quæ scripsi in libro de Notissimis in jure legibus l. 2 p. 190 ed. Romæ 1766.

19. Extremum denique, cum desunt cetera, contra eos, qui rei judicatæ executionem ferre debent, remedium est, ut in carceres detrudantur. Tantum autem custodiæ causa detrusus in carceribus retinetur, donec judicato satisfecerit (1). Mulieres jure novissimo Justiniani propter civile negotium in carceres conjici nequeunt, ut faciant judicato satis (2); eodem jure à Decretalibus donati sunt clerici (3), et huc etiam spectant certa quibusdam in pluribus locis concessa privilegia, quæ non eadem ubique sunt.

(1) Lege 12 Tabularum, sicuti narrat A. Gellius Noct. attic. l. 20 c. 1 p. 1101 ed. Lugduni Batav. 1666, nisi debitor intra triginta dies post editum judicatum creditori satisfecisset, ei in servitutem addicebatur. Jus hoc vel aliis legibus, vel tacito populi consensu abrogatum jam erat, cum Diocleciánus, et Maximianus tulerunt L. 12 cod. de obligat. et action., qua scriptum est: *ob æs alienum servire liberos creditoribus, jura compelli non patiuntur*. Quidam sunt, qui hac lege sancitum putant, ut debitores propter pecuniæ debitum in carceres detrudi nequeant, atque hanc eamdem esse ajunt Juris Canonici sententiam in c. 2 de Pignor. Sed errant vehementer. Nam lex illa Diocletiani, et Maximiani hoc tantum constituit, ut liberi creditoribus servire non cogantur, secundam jus ea ætate receptum, nihil vero habet de conjiciendis in carceres debitoribus. Quin eos, nisi bonorum cessionem emitterent, in carceres esse conjiciendos, edixit Alexander in L. 1 cod. Qui bon. ceder. poss. A jure civili nulla in re discrepat Jus Canonicum, quod in cit. cap. 2 expresse memorat, atque confirmat civilem legem his verbis: *Lex habet, ut homo liber pro debito non teneatur; si res defuerint, quæ possint pro debito addici*. Jus hoc expressit S. Gregorius M. l. 4 Ep. 45 ad Fantin. opp. t. 2 ed. Maurin. Paris. 1705, unde forte desumptum est c. 2, licet Gregorio III. vulgo tribuatur.

(2) Novell. 134 c. 9.

(3) Cap. Odoardus de Solut.

(N. S.) Consuetudo detrudendi in carcerem debitorem, antiqua sane est in Hispania: lege 12 et 7 tit. 20 et leg. 2 tit. 8 lib. 5 *Fori Regii*; vi quarum debitor, si post expletos novem detrusionis dies, debitum non solveret, in creditoris famulatum tradebatur. Verum hodie, abolitis his, aliisque pœnis, quæ extant in leg. 4, 5, et 6 tit. 32 lib. 11 *Novis. Compilat.*, peracta bonorum *cessione*, debitor è carcere educitur, ipsique victui necessaria ministrantur. Si sex elapsis à detrusione mensibus, debitor cessionem non fecerit, communis sententia est, eam ipso jure confectam esse: leg. 7 cod. Ab

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ipsis tamen jurata exigitur cautio, se, si ad fortunam pristinam redierint, debitum integre persoluturos: leg. 3 tit. 15 *Partit. V*).

* V. de proposito opus: *Febrero ó libreria de Jueces etc., con arreglo á la legislacion hoy vigente* (Matriti 1844-46) t 7 pag. 49-51; ubi probabilior habetur illorum ex Regnicol. Pragmaticis sententia, qui in Hispania nunc ob debitum mere civile incarcerationem non procedere sustinent. In eodem volumine de judicio *executivo*, de *bonorum cessione*, de beneficio *competentiæ*, aliisque in debitorum gratiam stabilitis, juxta nostratis legislationis placita, copiose agitur; quæ omnia vel summatim exponendi locus non est.

20. Ad effugiendam tamen carceris injuriam, præsto est debitoribus miserabile beneficium inductum à L. Julia, per quam sua omnia bona cedunt creditoribus, ut ea vendant, eorumque pretium obtineant (1); atque ita illi à carceris molestia, et squalore liberantur (2). Quod beneficium iis tantum conceditur, qui propter casus adversos in egestate sunt; non decoctoribus, neque iis, qui patrimonium suum cum fraude effuderunt, quique cum creditoribus dolo sunt usi, cum scirent, sese solvendo non esse (3). Hoc autem efficit cessio bonorum, ut debitor in carceres non conjiciatur, sed à debito liber, et solutus non evadit, si cessis bonis satisfieri nequeat creditoribus; et ideo si deinceps alia bona adipiscatur, æs alienum dissolvere debet, modo ipse non careat quotidianis alimentis (4).

(1) Bona ipsa à creditoribus retineri non posse, sed ea esse vendenda, ut pretium secundum antiquiorem, et potiorem, quem unusquisque obtinet, locum singulis tribuatur, præter ceteros, docet Voetus ad Pandect. l. 42 tit. 3 n. 8.

(2) L. 4 cod. Qui bon. ceder. poss.

(3) Consule Hilligerum in Donellum ad L. 16 et 17 ff. de Re judic. not. 18 col 261 t. 11 ed cit.

(4) L. 6 ff. de Cession. bonor.

21. Cessio bonorum ex Theodosii constitutione sola voluntatis professione, et nuda voce peragitur (1); sed in locis compluribus solemniter impetranda est (2), in eaque emittenda contumeliosi quidam ritus adhibentur (3). Differt à cessione bonorum dilatio, seu justitium quinquennii, quod tantum Principis beneficio, non à jure scripto conceditur. Dat Princeps hanc dilationem, cum plerique creditores consentiunt (4), quique eam impetravit, amplius post quinquennium bona cedere non potest (5). Imo ne quis Principis beneficio abutatur, dilatio non conceditur, nisi quis caveat, sese, exactis quinquenii induciis, creditoribus satisfacturum (6).

(1) L. 6 cod. Qui bon. ceder. poss.

(2) Confer Voetum in Pandect. l. 42 tit. 3 n. 6.

(3) Verum cessionem bonorum infamiam non irrogare, statutum est ab Alexandro Imp. in l. 11 cod. Ex quib. caus. infam. irrog., quod et innuit Justinianus L. ult. cod. Qui bon. ceder. pos. Confer Contium Lect. subseciv. l 2 c. 18 p. 84 ed. Neap 4725, et Hilligerum ad Donellum in L. 16 et 17 tit. ff. de Re judic. opp. t. 11 not. 22 col. 265 ed. cit.

(4) Major pars creditorum non ex personarum numero, sed ex debiti quantitate æstimatur L. ult. cod. Qui bon. ceder. poss.

(5) Consule Cujacium in cod. l. 7 tit. 71 opp. t. 9 col. 1053 ed. cit.

(6) L. 4 cod. de Precib. Imperator. offeren.

22. Sunt nonnulli, qui bonorum cessione non indigent, ut à carceribus liberentur, quoniam habent beneficium *competentiæ*, ut vocant, quod in eo positum est, ut id tantum, quod facere possunt, præstare cogantur. Eo beneficio à jure civili donati sunt parentes, patroni, socius, maritus ad dotis restitutionem ab uxore, donator à donatario conventus (1), filii familias in jus vocati pro contractibus gestis, cum in patria potestate essent, si patris hæreditatem non obtinuerunt (2). Idem hoc beneficium jure canonico concessum est clericis (3), qui clericalibus induti vestibus incedunt, ac tonsuram gerunt (4).

(1) §. 37 et seq. Inst. de Action.

(2) L. 2 ff. Quod cum eo qui in alien. potest., L. 49 ff. de Re judic., L. 3 §. 4 ff. de Minor. 25 an. Imo et filium, qui ex minima tantum parte patri hæres extitit, eodem beneficio frui, scriptum est in cit. L. 2 ff. Quod cum eo qui in alien. potest. Quæsitum autem est, quæ sit hæc minima pars, et multi quidem legitimam intelligunt. Sed ego assentior iis, qui hanc partem existimant, quæ minima est, si cum æris alieni mole comparetur.

(3) Cap. Odoardus 3 de Solut.

(4) Consule Fagnanum in cit. cap. 3 de Solut. n. 58, et consule etiam librum meum de Notissimis in jure legibus l. 2 p. 251 ed. Romæ 1766.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TITULUS XV.

DE APPELLATIONIBUS.

1. APPELLATIO QUID?—2. APPELLATIO AB INTERLOQUUTIONE, ET A SENTENTIA DEFINITIVA.—3. ET 4. UTRIUSQUE DISCRIMINA.—5. QUIBUS LICEAT APPELLARE?—6. AN APPELLARE OPORTEAT A SENTENTIA NULLA?—7. QUÆ CAUSÆ APPELLATIONEM REJICIANT?—8. FATALIA TEMPORA APPELLATIONIS.—9. QUO TEMPORE INTERPONENDA SIT APPELLATIO?—10. EL 11. QUO PETENDI, ET ACCIPIENDI APOSTOLI?—12. QUO INTRODUCENDA APPELLATIO AD JUDICEM SUPERIOREM?—13. QUOD PROSEQUENDÆ, AC FINIENDÆ APPELLATIONIS TEMPUS SIT?—14 QUID NOSTRIS MORIBUS OBSERVANDUM?—15. APPELLATIO IN DEVOLUTIVO.—16. ET 17. QUIBUS IN CAUSIS TANTUM IN DEVOLUTIVO APPELLATIO DETUR?—18. NEFAS APPELLARE AB EO, QUI TOTI REIPUBLICÆ CUM IMPERIO PRÆEST.—19. JUS APPELLATIONUM HÆRET IN SUMMA POTESTATE.—20. SUMMA POTESTAS IN ECCLESIA PENES ROMANUM PONTIFICEM.—21. CHRISTUS ECCLESIÆ CAPUT, ET EPISCOPOS CONSTITUIT.—22. METROPOLITAS, ET PATRIARCHAS INSTITUIT ECCLESIA.—23. POTESTAS AB ECCLESIA DATA METROPOLITIS, ET PATRIARCHIS, NIHIL DETRAXIT DE POTESTATE A CHRISTO DATA SUMMO PONTIFICI.—24. JUS APPELLATIONUM, QUOD AB ECCLESIA HABENT METROPOLITÆ, ET PATRIARCHÆ, NIHIL DETRAHIT DE JURE, QUOD A CHRISTO SUMMUS PONTIFEX HABET.—25. ET 26. APPELLATIO AD PONTIFICEM OMISSO MEDIO —27. NUM ALIQUANDO EXPEDIAT AD PONTIFICEM NON APPELLARE?—28. JUS APPELLATIONUM AD PONTIFICEM, IN PRIMATU INSITUM, ETIAM ECCLESIÆ LEGE, ET CONSUETUDINE FIRMATUM.—29. PONTIFEX OMNES APPELLATIONES JURE PRIMATUS RECIPIT.—30. DISCRIMEN INTER ORIENTIS, ET OCCIDENTIS APPELLATIONES.—31. PONTIFEX VEL DAT JUDICES IN CAUSIS APPELLATIONUM, VEL EAS IPSE COGNOSCIT.

1.

Ne sententia transeat in rem judicatam, neve victo spes omnis eripiatur, inventum est remedium appellationis, cujus ope vis editæ sententiæ suspenditur. Est autem appellatio: ab inferiore judice ad superiorem facta provocatio, ut hujus sententia id, quod inique factum est, tollatur, vel emendetur (1). Jure Decretalium alia judicialis, et alia extrajudicialis appellatio est (2); illa emittitur adversus actum judicialem, postquam judicium, citata parte, inchoatum est; hæc adversus quoscunque extrajudiciales actus, sive illatum gravamen, sive inferendum sit, interponitur. Ita contra electiones, postulationes, provisiones (3), et ita etiam si judex de facto, non causa cognita judicet, appellatio permittitur. Quæ extra judicium appellationes fiunt, magis provocationes ad causam sunt (4).

(1) L. 7 ff. de Minor., L. 1 ff. de Appellat., C. 15 eod. Liceat appellatori, inquiunt capitularia Caroli M. l. 7 c. 333 apud Baluzium capitularia Reg. Franc. t. 1 col. 733 ed. Ven. cit., *vitiatam causam appellationis remedio sublevare.* Quoniam appellatio ab inferiori ad superiorem interponenda est, quæri potest, num à judicis dati sententia appellari possit, qui eum dedit; et num à sententia judicis, cui mandata est jurisdictio, recte appelletur, qui eam mandavit. Sed dantem appellari posse, demonstrant Ulpianus in L. 1 §. Si quis ff. de Appellat., et Modestinus in L. 3 ff. Quis à quo appellet., mandantem vero non posse, respondit Ulpianus in L. 1 § Ab eo ff. Quis à quo appellet. Discriminis ratio est, quod qui judicem dedit, censetur retinuisse, non alienasse jurisdictionem: verum ea se abdicasse videtur, qui jurisdictionem suam alteri mandavit. Ea de causa à judicio vicarii generalis Episcopus appellari non potest; quoniam illi omnis ab hoc mandata est jurisdictio, et utriusque tribunal unum, idemque est. Consule Cornelium Bynkershoek. Observat. Jur. Roman. l. 6 c. 23 opp. t. 2 p. 254 ed. Lugdun. Batav. 1750.

(2) Cap. 5 de Appellat., C. 8 eod. in 6. Clem. 3 eod.

(3) Cap. 21 de Elect., C. 11. 9 et 20 eod. in 6 C. 8 de Appellat. in 6.

(4) Cap. 5 de Appellat. Cujus observationis utilitas in eo est posita, quod non statim ad superiorem confugere oporteat, sed ad eum judicem, qui de illato damno in prima instantia cognoscere potest, quod minime fieri posset, si proprie dicta esset appellatio.

(N. S. Adpellationis veluti fundamentum simul, ac indoles in eo constitui posse videtur, ut sit *querela de Judicio lato;* cujus tamen exterior forma non una semper eademque, sed triplex.

1. Quum sententia non à legitima, et competenti potestate, non servato substantiali juris ordine, non ad normam recepti Ecclesiastici Canonis lata sit: sed vel ab exauctoratis Episcopis, vel Reo non citato, non audito, vel per vim, per fraudem, auro subornatis, corruptis, male instructis ad criminandum testibus, ad damnandum judicibus, vel demum quum ad normam illegitimi Concilii sententia pronuntiata fuerit, tunc ad Primatem, ad Patriarcham, vel extremo ad Summum Pontificem, querela deferebatur, qua id propositum, postulatumque, non ut causa de integro agitaretur, aut judicium discuteretur, sed ut inspecta judicii forma, nimirum incompetenti judicum potestate, inverso juris ordine, vi, fraude, malis artibus intermixtis etc. judicium irritum declararetur, pœna remitteretur, communio restitueretur, gradus honoris, et potestatis agnosceretur. Hæc usitata, ac frequens apud veteres Adpellationis species est, quam etiam proprie *Confugium* vocitabant.

2. Quum ab Episcopi sententia non tanquam incompetente, non tanquam violenta, non tanquam inverso juris ordine, vel ad normam illegitimi Canonis lata, sed tanquam injusta, inspecto causæ merito, querela deferebatur; tunc à minori ad majorem auctoritatem causa ipsa devolvebatur, ab Episcopo ad Synodum, à Synodo breviori ad pleniorem, prout causæ conditio postulabat. Profecto ab Ecclesiæ incunabulis, ubi non plene exerta, et explicata Hierarchiæ munia, officia, et gradus omnes, ubi omnia in Synodo negotia, judicia, causæ peragebantur, extra Synodum nihil; tunc sane si quis in aliqua causa judicatus, se læsum putaret, ab Episcopi sententia ad Synodum, vel à Synodo breviori ad pleniorem ipsi adpellare licebat, et judicium quidem renovabatur, ab quo tamen priores judices non exclusi, sed cum aliis vicinioribus Provinciæ Episcopis et primi adsidebant, ut in communi potius revisio causæ fieret, quam judicii retractatio. Frequens et hæc Adpellationis species apud veteres: quam usitatiori vocabulo *Provocationem* nuncupabant.

3. Demum ubi constituta, explicataque omnis Hierarchiæ amplitudo est, et munia, gradusque distincti, tunc adpellationum forma ad normam Civilium Legum, et Tribunalium constituta est, qua nempe et agnoscitur legitima judicis inferioris potestas, et Superioris auctoritas imploratur, nec de incompetenti, aut de violenta, vel intolerabili sententia, sed de sententiæ tantum errore defertur querela; quæ quidem et extra Synodum constitutis Judi-

cibus, erectisque in Episcopiis Curiis, veluti Ordinariis Tribunalibus, recepta, discussa, definita esse solebat. Hæc Adpellationis species strictiori notione, etiam usu Decretalium, à nostris hodiedum *Adpellatio* dicitur).

2. Judicialis appellatio duplex est, alia, quæ contra interloquutionem, alia, quæ contra sententiam definitivam emittitur. Appellationem ab interloquutione Jus civile non probat (1); nisi ei vis definitivæ sententiæ sit, aut nisi ab ea illato gravamini nullum aliud adhiberi remedium possit (2). Sed canones ante Tridentinam Synodum editi appellationem permittunt tum à sententia, tum à quavis etiam simplici interloquutione, qua judicialia acta ordinantur (3). Verum cum Patres Tridentini plane intelligerent, sæpe ad vexandos longa frustratione litigantes appellationes interponi, sapienter statuerunt, ut his appellationibus tantum detur locus, cum interloquutio vim habet sententiæ definitivæ, aut cum magnum attulit gravamen, quod per appellationem à definitiva removeri non potest (4).

(1) L. 7 cod. Quor. appellat. non recip.
(2) L. 7 et 40 ff. de Minor. XXV an., L. 2 ff. de Appellat. recip.
(3) Cap. 1 de Dilat., C. 9, C. 15, C. 20 de Appellat. C. 1 eod. in 6.
(4) Concilium Tridentinum Sess. 13 c. 1 et Sess. 24 c. 20 de Reform.

3. Inter appellationem, quæ à definitiva, et quæ ab interloquutione fit, magnum discrimen intercedit. Principio appellatio à definitiva jurisdictionem suspendit judicis, unde appellatum est (1); sed non idem efficit appellatio ab interloquutione, nisi ea irreparabile damnum afferat, aut inferior judex appellationi detulerit, aut judex superior dederit inhibitionis literas (2), quas minime dat, nisi primum justam appellationis causam deprehenderit (3). Imo exspirat hæc appellatio, si ipse judex inferior damnum per simplicem interloquutionem ab se illatum corrigat (4).

(1) L. 3 cod. de Appellat. C. 7 eod. in 6.
(2) Cap. 10 de Appellat., C. 5 et 7 eod. in 6, C. 2 de Dol. et contumac. in 6.—Leg. 13 tit. 23 *Partitæ III*; leg. 23 tit. 20 lib. 11. *Novis. Compilat.*
(3) Cap. 5 et 7 de Appellat. in 6.
(4) Cap. 60 de Appellat.

4. Item appellatio ab interloquutione scripto comprehenditur, eoque exprimenda est appellationis causa (1). Cum enim definitivam mutare judex non possit (2), interloquutoriam possit (3),

patefacienda est causa, propter quam hæc emendari possit, ac debeat. Contra à definitiva, si illico (4) apud acta appellemus, etiam viva voce appellamus (5); quamquam libello opus sit, cum ex intervallo appellatio interponitur (6); neque necesse est appellationis causas exprimere (7). Denique cum à definitiva appellatur, jus est litiganti novis uti probationibus, et causas etiam non expressas judicio persequi (8); sed qui appellat ab interloquutoria non alias causas prosequitur, quam nominatim dumtaxat expressas (9), neque novis utitur probationibus.

(1) Cap. 1 et 3 de Appellat. in 6. Emmanuel Gonzalez in c. 59 n. 12 de Appell. tria distinguit tempora, nimirum tempus Anacleti, tempus Innocentii III, tempus Innocentii IV. Anacletus Can. 3 c. 2 qu. 6 *omnis oppresus*, inquit, *libere sacerdotum*, *si voluerit*, *appellet judicium*. Ex verbo libere colligit Gonzalezius, olim tam à definitiva, tum ab interloquutoria, nulla expressa causa, appellari potuisse. Deinde Innocentius III, in c. 61 §. 1 de Appellat. ab interloquutione appellari *probabili causa* verbo etiam *exposita* voluit. Denique Innocentius IV causam scripto proponi jussit in cit. c. 1. Verum Anacleti epistola in cit. can. 3. Isidori Mercatoris figmentum est.
(2) L. 55 ff de Re judic.
(3) Cap. 60 de Appellat.
(4) L. 14 cod. de Appellat., L. 2 ff. eod.
(5) Satis erit, si dicatur *Appello*, inquit cit. L. 2.
(V. leg. 22 tit. 23 *Partit. III.* Verum moribus jamdiu in utroque Hispaniarum foro inductum est, ut nonnisi in scriptis proponatur adpellatio—N. S.)
(6) L. 1 §. ult. ff. de Appellat.
(7) L. 2 ff. eod.
(8) L. 4 cod. de Temp. et reparat. appellat.
(9) Clement. 5 de Appellat.

5. Appellare possunt non tantum ii, qui damnati judicis sententia damnum pertulerunt, sed etiam omnes, quorum interest, sententiam infirmari (1). Ita recte provocat fidejussor, si debitor victus judicium deserat, itemque venditor, contra quem regressum habet emptor, si hic, postquam causa cecidit, ab ea desistat. In communi causa unius appellatio, quæque eam sequitur, victoria ceteris etiam prodest litis consortibus, qui non appellarunt (2).

(1) L. 4 ff. de Appellat., can. 30 c. 2 qu. 6, c. 16 §. 1 de Elect.
(2) L. 1 et 2 cod. Si unus ex plurib. appeliav., c. 72 de Appellat.

6. Nec solum nostro, sed et procuratorio nomine appellamus (1); quin alium etiam ab eo, per quem judicium egimus, procuratorem ad appellandum constituere possumus (2). Nihil

autem attinet appellare, cum sententia nulla est, quoniam appellatio pertinet ad sententiam, quæ iniqua quidem est, sed tamen valet, ideoque infirmanda, ut iniquitas corrigatur; verum sententiam per se nullam infirmare supervacaneum est. Ergo inutilis est appellatio, si ab incompetente judice (3), aut à competente quidem, sed neglecto juris ordine (4), aut contra expressam legem (5) sententia lata sit. Atque ita contra has sententias satis est nullitates proponere, ut iis expensis, atque probatis, nulla earum ratio habeatur (*a*). Usu fori hæ sententiæ, quæ nullæ sunt, *circumscribi* dicuntur, hoc est è medio tolli, et abrogari; id vero fit imperio principis, qui nisi primum extinxerit, ac deleverit sententiam, ea semper in judicio rata firma censetur.

(1) L. 2 ff. Quand. appell.
(2) L. 4 in fin. ff. de Appellat.
(N. S. Non auditur, qui pro alio adpellat, nisi forte id præstet pro reo, qui ultimo supplicio adficiendus sit: hoc enim casu licet cuicui, etiam Clerico, ac Monacho, adpellationem interponere: leg. 6 *Dig.* hoc tit.; et leg. 6 *Cod. de Episc. audientia*. Id etiam juris obtinebat quondam in Hispania, leg. 6 *ejusd.* tit. 23 *Partit. III.* Sed hodie sic adpellans, certe non audiretur).
(3) L. ult. cod. si á non competen. judic.
(4) L. 4 cod. de Senten. et interloq.
(5) L. 1 §. 2 ff. Quæ sentent. sine appellat. Capitularia Caroli M. l. 7 c. 249 t. 1 col. 720 ed. Baluzii Ven. 1772, in carcerem detrudi jubent judicem, qui *oblatas sibi in judicio leges, vel juris species audire noluerit, et contra eas judicaverit*, atque hujus facinoris convictus fuerit. His autem capitularibus antiquior Chlotharii Regis constitutio edita circa annum 560 n. 60 apud Baluzium cap. Reg. Franc. t. 1 col. 7 cit. ed. jubet, Episcoporum imperio castigari judicem, qui aliquem contra legem injuste damnaverit. Huc etiam referenda est Græca constitutio Justiniani apud Contium prætermis. clas. 1 p. 295 ed. Neap. 1725.
(*a*) (V. leg. 4 tit. 26 *Part. III.* Hisp. Jure, 60 dies à prolata sententia ad xponendam millitatis exceptionem dumtaxat conceduntur: leg. 1 tit. 12 lib. 1 *Novis. Compilat.*—N. S.)

7. Quædam vero causæ sunt, quæ omnem appellationem rejiciunt, vel quod celeriter expediendæ sunt, vel quod appellatio potius ad retardandum judicium, quam ob justam causam interposita videtur. Ergo frustra provocant qui sententiam quoquo modo probarunt (1), vel se non appellaturos jurati promiserunt (2), qui testibus, et argumentis convicti, crimen confessi sunt (3), qui ob veram, non fictam contumaciam damnati sunt (4), denique illi, contra quos tres conformes sententiæ latæ sunt (5). Similiter non datur appellatio in manifestis, sive notoriis (6), in judiciis remota appellatione actis (7), in causis modicæ sum-

mæ (8), à sententiæ executione, nisi ille, quem tenere oportebat, modus superatus fuerit (9), in causis disciplinæ, et emendationis morum (10), nisi ea res præter modum acta sit (11).

(1) Cap. 20 de Offic. et potest. delegat., ubique Glossa verb. recessum.
(2) Cap. 20 et 21 de Appellat.
(3) Cap. 3 §. Si autem de Appellat. in 6, ibique Glossa v. In jure, can. 41 §. Nullus etiam c. 2 qu. 6, L. 2 cod. Quor. appellat. non recip.
(4) L. 23 §. Ult. ff. de Appellat., ibique Glossa v. Non recte, L. 55 ff. de Re judic., ibique Glossa v. Litis damno.—' Leg. 9 tit. 23 *Part. III.*'
(5) Ante Justinianum semel tantum provocare licebat; post Justinianum etiam bis provocare licet: L. unic cod. *Ne liceat in una ead. caus.* Eamdem hanc regulam proponit Clemens III. in c. 39 de Appellat. Sed statuta plurimarum gentium redierunt ad jus antiquum, ideoque apud eas nunc semel tantum appellatio permittitur, quoniam non tres, uti fert Jus Commune, sed duæ sententiæ rem judicatam efficiunt. Atque hoc quidem jus est, quo Romæ utimur.
(N. S. Ubi tres sententiæ conformes habeantur, adpellationi locus amplius non erit, tum Jure Civili, tum Canonico, tum etiam Jure Hispano: leg. 25 tit. 23 *Partit. III.* leg. 2 tit. 21 lib. 11 *Novis. Compilat.*)
(6) Cap. 5 § ult. et c. 61 §. Porro de Appellat., c. 3 §. Si autem cod. in 6.
(7) Cap. 55 de Appellat. c. 1 de Rescript. c. 15 de Offic. et potest. Jud. deleg.—' V. Berardi *in Jus. Eccl. Univ.* t. 1 dissert. 2 cap. 2, §. *Consueverunt aliquando*.'
(8) Consule Cornelium Bynkershoek. Obs. jur. Rom. l. 5 c. 4 opp. t. 2 p. 17 et seq. ed. Lugd. Bat. 1750. Apud nos in causis, quæ pertinent ad Urbem Romam, ejusque terminos, et territorium, sive, ut vocant, *districtum*, quæque summam non superant scutorum 50, *recursus*, ut vulgo loquimur, non appellatio conceditur. Extra Urbis terminos appellatio tantum datur in causis scutorum centum, *recursus* in ceteris; in iis vero causis, quæ non superant scuta quinque, neque appellatio neque *recursus* datur, sed victus in una sententia acquiescat necesse est.
(9) L. 5 cod. Quor. appellat. non recip. c. 15 de Sentent. et re judic., c. 43 de Appellat.
(10) Cap. 5, 26, 32 eod.
(11) Cap. 15 de Offic. judic. ordin., c. 3 de Appellat.
(N. S. Rejicitur Adpellatio Regularium, quos Abbas correxerit, levibusque legitimis pœnis multaverit: cap. 3 hoc tit.—Qua de re Carolus II Sanct. 4 cap. 35 tit. 1 lib. 4 vulgo *Autos Acordados*, in Apostolici Nuntii Tribunali adpellationes Regularium ab iis, quæ ad disciplinam *intra claustra* Superiores præcipiunt, non esse admittendas decrevit: leg. 1 tit. 26 lib. 1; 3 tit. 4 lib. 2. *Novis. Compil.*

Adpellatio non recipitur, quum vel *generalis* sit, qua scilicet quis provocet ab omni causa, quæ contra ipsum moveri possit: Cap. 2, et 18 hoc tit.; vel *incerta*, qua scilicet quis absolute dicat *Adpello*, nec explicet, num e. g. ad Metropolitanum, an vero, *omisso medio*, ad Papam adpellet.—Aliis vero placet, non requiri, signanter nomen Judicis *ad quem* exprimere, sed sat esse, quod adpellans dicat: *Adpello ad Superiorem*. Quamobrem stylus utriusque Fori apud Hispanos hanc clausulam in libello adpellationis invexit: *Adpello ad N., vel ad quem jure possum, et debeo*: quod probavit Alphonsus Sap. leg. 12 tit. 23 *Partit III*).

8. Appellatio proponenda est intra legitima tempora, quæ vulgo *fatales dies* (1) appellantur, quoniam eorum lapsu, quasi fato quodam, appellatio perimitur. Ea tempora quatuor numero sunt. Primum est tempus interponendi appellationem; alterum petendi, atque accipiendi libellos dimissorios; tertium introducendæ appellationis apud judicem superiorem; quartum denique tempus est, intra quod litigator prosequi, ac finire appellationem debet.

(1) Fatalium dierum mentio est in L. 32 cod. de Appellat., et in L. 2 et ult. cod. de Tempor. et repar. appellat. Fallitur autem egregie Bodinus de Republic. l. 3 c. 6 n. 324, qui nullum veterum ea tempora appellationi præfinita, *fatales dies* vocasse putat; eaque potius *statos dies, statum tempus* appellanda esse contendit. Errorem ortum esse arbitratur ex iis, qui leges Codiciis, et Novellarum in Latinum sermonem verterunt. Bodinum refellit, et exagitat Cujacius ad tit. 63 cod. l. 7 opp. t. 9 col. 1044 ed. cit., ubi præclarum habes doctissimi viri de hoc homine judicium. Fatalis dies etiam *temporalis* dicitur in L. 32 c. de Appellat. Consule Cujacium Observ. l. 12 c. 4 opp. t. 3 col. 307 ejusd. ed.

9. Jure Digestorum, et Codicis, appellationis interponendæ tempus biduum erat in causa propria, in aliena triduum (1); sed postea Justinianus cuilibet, qui appellare vellet, decem dierum spatium concessit (2). Justinianeum jus Innocentio III. probatum est (3), idque tum in judiciali, tum in extrajudiciali appellatione servandum esse, Bonifacius VIII. constituit (4). Hoc tempus in sententiis labi incipit à die latæ sententiæ, in aliis actibus ex ipso actu unde appellantur (5). Quod ita accipiendum est, si adversus præsentem fuerit pronunciatum; nam si adversus absentem, hujus temporis initium repetitur non à die, quo lata est sententia, sed à die quo quis ejus rei certior factus est (6).

(1) L. 1 §. 5, 6, et 11, L. 2 ff. Quand. appellat., L. 6 §. 5 cod. de Appellat.
(2) Novel. 23 c. 1, Auth. hodie cod. de Appell.
(3) Cap. 15 de Sentent. et re judic.
(4) Cap. 8 de Appellat in 6.
(5) L. 1 §. Biduum, et §. Quod in sententiis ff Quand. appellat.
(6) Cit. L. 1 §. ult, et c. 8 de Appell. in 6, ubi cum dicat Bonifacius *infra decem dies, postquam sciverit*, perspicuum est, quod recte vulgo dicitur, appellationis interponendæ tempus initio utile, deinceps vero continuum esse.
(N. S. Idem quoque decem dierum spatium adpellationi præfixerat Alphonsus Sap., leg. 22 tit. 23 *Part. III*: verum recenti Hispaniarum jure ad quinque tantum dierum restrictum est in Foro laicali, sive à definitiva, sive ab interlocutoria sententia: leg. 1 tit. 20 lib. 11. *Novis. Compilat.*)

10. Post appellationem interpositam, literæ dandæ sunt ab eo à quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est (1). Quæ literæ dicuntur apostoli, à græco quodam verbo, latine *dimitto*. Sunt enim literæ datæ à judice, qui sententiam edidit, per quas causa dimittitur ad eum, qui apellatus est (2). Harum literarum non unum genus. Nam si appellationem interpositam, et admissam fuisse testentur, *dimissoriæ* dicuntur; *reverentiales* autem, si ob superioris reverentiam, probatam appellationem ostendant, non quod eam causa postulare videatur; postremo si testentur, eam esse rejectam, *refutatoriæ* appellantur. Interdum Judex non satis intelligit, num concedenda sit appellatio, an secus; et tunc concedit *testimoniales*, quæ vim accipiunt à jure, ideoque suspendunt causam, si danda appellatio erat, rejiciunt autem, si erat deneganda. Quin etiam litigantium alter sæpe interpositæ appellationi assentitur; et tunc, quia partes ipsæ de apellatione conveniunt, dicuntur apostoli *conventionales*.

(1) Verba hæc sunt Marciani in L. un ff. de Libel. dimiss. eaque descripsit Gratianus in Decreto can. 31 c. 2 qu. 6. Tum ipse Gratianus formulam proposuit apostolorum his verbis: *Ego ille Sanctæ Bononien. Ecclesiæ Episcopus, te Presbyterum Rolandum, Capellanum S. Apollinaris, ad Apostolicam Sedem, quam appellasti, ab observatione mei judicii his apostolis dimitto.*
(2) L. 106 ff. de Verb. signific.

11. Antiquo jure petebantur, accipiebantur, et reddebantur apostoli intra diem quintum post interpositam appellationem (1); jure novo intra dies triginta à lata sententia petendi, et à judice, à quo appellatur, litigantibus exhibendi sunt (2). Quin judex etiam non petenti apostolos dare debet (3): verum hi sunt petendi, si ille officii sui partibus non satisfaciat. Petuntur autem *instanter*, *et sæpius*, ne quis se appellationis beneficio abdicasse videatur (4). Nam qui intra tempora præstituta apostolos non petiit, accepit, reddidit, præscriptione repellitur (5); hoc autem tempus judex contrahere potest, producere vero non potest (6). Sed nunc fere nullus in foro est apostolorum usus (7), ac per libellum appellationis intra decedium in actis exhibitum appellatio interponitur.

(1) Paulus Recept. sentent. l. 5 tit. 34 §. 1 apud Schultingium Jurisp. vet. Ante-Justinian. p. 535 ed. Lipsiæ 1737, quem Pauli locum descripsit Gratianus can. 24 c. 2 qu. 6.
(2) L. 24 cod. de Appellat., c. 6 eod. in 6. Verba illa *Ex die sententiæ*,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quæ ocurrunt in cit. l. 24, forte à Triboniano addita sunt; certe non extant in l. 32 cod. Theod. de Appellat., unde l. 24 desumpta est. Eodem tamen modo tempus illud æstimatur in l. 29 cod. Theodos. eod. Atque ea quidem verba *Ex die sententiæ*, multi ita accipiunt, quasi scriptum sit *à die scientiæ latæ sententiæ*; quæ opinio verior esse videtur. Consule Schultingium in Paul. l. c., et Cujacium in l. 5 cod. de Appellat. opp. t. 9 col. 1056 seq. ed. cit.

(N. S. Hos quidem triginta dies ab ipso interpositæ adpellationis, non à prolatæ sententiæ tempore computandos, voluit Sanctius Ajerbe in Collect. Tarracon. Lib. 2 tit. 7 cap. 1).

(3) L. 6 §. ult cod. de Appellat.

(4) Cap. 6 de Appellat. in 6, Clem. 2 eod.

(5) Paulus l. c. §. 2 Atque hæc causa est, propter quam Modestinus in libro singulari *de Præscriptionibus* egerit de apostolis l. 106 ff. de Verb. signific. Tantum præscriptione ab agendo submoveri vult Paulus loc. cit. eum, qui intra tempora præstituta apostolos non petiit, accepit, reddidit, sed in libris quibusdam postremo additur, quod is *et pœnam appellationis inferre cogitur*, quæ verba Gratianus etiam descripsit in cit. can. 24 caus. 2 qu. 6. Sed Cujacius in Paul. l. c. opp. t. 1 col. 461 ed. cit., et Schultingius eod. loc., hanc lectionem improbant.

(6) Cap. 5 de Appellat.

(7) Confer Voetum in Pandect. l. 49 tit. 6 n. 2.

(N. S. In neutro tamen Hispaniarum Foro admittitur adpellatio, neque litteræ expediuntur, quarum vi inferioris judicis Acta transmitti jubentur, quin Testimonium authenticum exhibeat adpellans, in quo litis, et sententiæ latæ natura pateſiat: leg. 5 et 18 tit. 20 lib. 11 *Novis. Compil.*; id quod in Apostolici Nuntii Tribunali præsertim observari voluit Sanct. 6, cap. 5 tit. 3 lib. 1 vulgo *Autos Acordados*: leg. 2 tit. 4 lib. 2 *ibid.*)

12. Acceptis literis dimissoriis, qui appellavit majori judici sistere se præsentem debet, eique literas offerre, quod jure civili non eodem temporis spatio, pro varia locorum, et judicum ratione, faciendum est (1). Varium hoc jus gentium moribus servari vix potuit; nihil autem certi de eo tempore à Decretalibus constitutum est. Quare tota res pendet ab arbitrio judicis, à quo provocatur (2), et alicubi hoc tempus municipali jure definitum est. Exhibitis vero superiori judici literis dimissoriis, appellans instat, ut appellatio recipiatur, adversarius ad certum terminum citetur, inhibeaturque judex, à quo provocatum est (3).

(1) L. 1, 2, et ult. cod. de Tempor. appellat.

(2) Cap. 5 et 33 de Appellat., Clem. 4 eod.

(3) Citationes typis Cameræ impressæ, quas vulgo camerales dicimus, quamquam eæ à nullo Romanæ Curiæ judice subscriptæ sint, vim inhibendi habere, sancivit Benedictus XIV, Constit. *Romanæ Curiæ* 115 §. 5 t. 1 ejus Bullar. p. 285 ed. Rom. seu Ven. 1754.

13. Denique prosequendæ ac finiendæ appellationis tempus

est annus unus, (a) atque ex justa causa etiam alter (1). Qua in re juris civilis, et canonici magna consensio est. Verum unde id tempus ex jure civili initium sumat, non satis constat; sed jus canonicum hoc initium ab interposita appellatione repetit (2), quod etiam civilis fori usu receptum est.

(a) * Leg. 5 tit. 20 lib. 11. *Novis. Compilat.*

(1) Auth. ei qui et L. ult. §. 4 cod. de Tempor. appellat. Clem. 3 eod.

(2) Cap. 8 de Appellat. Clem. 5 cit.

(N. S. In utroque tamen Hispaniarum Foro, sicuti apostoli seu prolatæ sententiæ testimonium, ita et hi fatales dies adhuc obtinent, adeo ut si tempus adpellationis prosequendæ fortassis fuerit elapsum adpellanti, prolatæ sententiæ stare tenebitur, nisi justum accessisse impedimentum probaverit: ex legg. 1 et 3 tit. 20 lib. 11 *Novis. Compil.*

* Neque *apostoli* nec fatalis tempus ad decidendam appellationem, in præsenti obtinent. Cum Barcinon. Selvag. Adnot., alibi observavimus, Reg. ordinat 10 Aprilis 1836, in inferioribus curiis ecclesiasticis, ut in sæcularibus, apellationes cum duplici effectu admitti voluisse, servatis in ceteris civilis juris sanctionibus: necnon, ex alia simili disposit. 15 Februarii 1835, easdem eccles. curias, appellatione vel alio quolibet recursu interposito, originalem processum ad superiorem judicem mittere teneri.*

14. Nostris moribus intra biennium appellationis negotium expedire oportet. Primo anno causa committitur judici, quem quis appellavit, altero *transportanda* sunt acta, ut pragmatici loquuntur; nimirum exemplum actorum, et documentorum, quæ priori judicio gesta dataque sunt, exhibendum est coram altero judice, ad quem postremo itum est. Qui intra primum annum alteri judici causam committere neglexit, is ne alterius quidem anni beneficium habet ad acta exhibenda; verum id præstare debet intra tempus à judice definitum. Quare curandum est, ut suo anno utrumque fiat, quique id ob justam causam præstare non potest, ampliandi facultatem à judice petit, antequam constitutum tempus elabatur.

15. Appellatio legitime interposita (1) jurisdictionem suspendit judicis inferioris, causamque defert ad superiorem, qui appelatus est (2). Quare interim, dum appellatio pendet, nihil amplius in causa inferior judex agere potest; et si quid egerit, cuncta à majore judice ad pristinum statum rediguntur (3). Verum cum hæc suspensio sententiæ, ejusque executionis in causis quibusdam minus congruens, et apta videretur ad rectum ordinem rerum, merito receptum est, ut sententiis quibusdam suspensiva vis adimatur: propterea fit interdum, ut quamquam sit appellatum, tamen sententia exitum obtineat, et postea cau-

sæ cognitio ad superiorem deferatur. Tunc autem sententiæ non *suspensivum*, sed *devolutivum effectum* habere dicuntur.

(1) Appellationes autem non recipiuntur, neque in earum vim inhibitiones conceduntur, nisi primum constiterit, intra legitima tempora, atque à legitima persona, item à definitiva, vel habente vim definitivæ, aut gravamine, quod per definitivam reparari non possit, appellatum fuisse, idque patere debet ex publicis monumentis, quæ in actis exhibentur. Confer Benedictum XIV Const. *Ad militantis*, 48 § 43 p. 86 t. 1 ejus Bullar. ed. Ven. 1754; qua quidem constitutione multa de appellationibus, deque inhibitionibus comprehensa sunt.

(2) L. 32 §. 4 cod. de Appellat., cap. 55 eod.

(3) L. un ff. Nihil innovar. appellat. interpos., c. 7 de Appellat. in 6.

16. Plures vero sunt causæ, in quibus interposita appellatio impedimento non est, quominus lata sententia vim, et exitum habeat. Jure communi, appellatione non suspenduntur decreta de alimentis præstandis; neque datur suspensiva appellatio in causis de restitutione spolii, ac momentaneæ possessionis (1), in judiciis arbitrorum ex compromisso, in causis, ut ajunt, executivis, quæ ex populorum moribus, et legibus privilegium habent paratæ executionis. Apud nos provocatio nullam affert moram, et tarditatem causis in quibus duo continua, eaque concordia judicata edita sunt; itemque causis de menstrua diurnave mercede, de alimentis futuris, de restituendo deposito, de explenda solutione, quam quis syngrapha (2) se facturum promisit, de oneribus cameralibus, vel communitatis, de canonibus, pensionibusque domus, de obligationibus cameralibus, ceteris demum quæ à Benedicto XIV espressæ sunt (3).

(1) V. 27 ff. de Inoffic., L. un c. Si de moment.

(2) Hæ sunt syngraphæ quas vulgo appellamus *Pagarò per altrettanti*.

(3) Confer Benedictum XIV, Const. *Romanæ Curiæ* 115 §. 10 et seq. t. 1 ejus Bullarii p. 287 ed. Rom. seu Ven. 1754.

17. Sed et executionem sententiæ irrogatarum censurarum minime appellatio retardat (1); quod etiam obtinet in causis emendationis morum, nisi Antistes, uti supra dictum est, rem egerit supra modum, quem observare oportebat (2); itemque in causis, quarum executio à Concilio Tridentino *remota appellatione* mandata est (3).

(1) Cap. 55 de Appellat.

(2) Cap. 3 de Appellat.

(3) Consule Benedictum XIV. cit. Const. 48 §. 5 et seq. p. 82, ubi omnes hæ causæ, in quibus suspensiva appellatio non conceditur, accurate recen-

sentur. Vide etiam, quæ l. 1 tit. 6 §. 3 p. 299 dixi de appellatione interposita ab Episcopi judicio in beneficiis curatis, quæ per concursum collata sunt.

18. Ab omnibus judicibus provocare fas est, præterquam à supremis Principibus (1), et à Summo Pontifice, cujus judicium soli Deo subjicitur (2). Nam absurdum esset inferiorem judicem delere, aut emendare sententiam ejus, cui ipse subest, et cui summa in republica potestas est. Ea de causa inducta est appellatio, ut ex inferiore judice gradatim provocetur ad superiorem, ac denique causa deferatur ad eum, qui reipublicæ cum imperio præest. Is cum in omnes, qui in republica continentur, imperium habeat, et potestatem, omnium tollere, delere, emendare sententias potest; ejus vero sententiæ ab iis, qui subjecti sunt, emendari, abrogarique non possunt.

(1) L. 1 ff. A quib. appell. non lic.

(2) Can. 16, et 17, c. 9 qu. 3, *Quid adhuc quæris examen*, inquit Agustinus oper. imperf. contra Julianum l. 2 opp. t. 10 col. 993 ed. Maurin. Ven. 1755, *quod apud Sedem Apostolicam factum est?* Sane appellantes à Summi Pontificis judicio futurum Concilium, damnantur à Martino V, apud Guerram Epitom. Pontific. constitut. t. 1 p. 173 Ven. 1772, à Pio II, const. Execrabilis 5 t. 3 par. 3. Bullarii Roman. p. 97, Julio II. const. Suscepti 27 p. 312 ibid. Benedicto XIV. const. Altissimo 152 p. 324 t. 1 ejus Bullar. ed. Ven. 1754, Bulla in cœna Domini, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus. « L' Histoire de l' Eglise, inquit Cardinalis de Bussy, Meldensis Episcopus, in Docum. pastor. an. 1728 p. 59, nous apprend, qu' elle à rejeté tous les appels faits contra les Bulles dogmatiques, et qu' elle à regardé, comme heretiques, et schismatiques ceux, qui les ont formé. » Idemque ipse habet Ep. ad Episc. Ebroicens, idemque Senonensis Archiepiscopus Languet Docum. pastor. advers. consult. Advocat. p. 9 et ep. 1 ad Episc. Bononien. p. 26, et Cardinalis de Mailly Archiepiscopus Remensis Instruct. Pastor. *au sujet de la Constitution Unigenitus* an. 1719 p. 8, et idem quoque docet Thomassinus Diss. 12 in synod. Chalced. n. 26, et Diss. 18 n. 96. Ipse Petrus de Marca concord. sacerdot. et imper. l. 2 c. 17 n. 1 testatur, quod *nunquam in Ecclesia admissa fuit provocatio à Papa ad Concilium*. Recte S. Bernardus Ep. 239 opp. t. 1 p. 198 ed. Horstii et Babilonii Ven. 1781, Summi Pontificis sententiam *peremptoriam* vocat, Ep. 213 p. 166, Innocentio II. dicit hæc: « Quis mihi faciet justitiam de vobis? Si haberem judicem, ad quem vos trahere possem, jam nunc ostenderem..... Extat quidem tribunal Christi, sed absit, ut ad illud appellem vos..... Itaque recurro ad eum, cui in præsenti datum est judicare de universis: hoc est, ad vos: appello ad vos; vos judicate inter me, et vos. » Consule, inter ceteros, librum, cui titulus *Trattato dello scisma* c. 10; Da Valium de Supr. Rom. Pontif. in Eccles. potest. p. 4 qu. ult.; Serryum de Rom. Pontif. Diss. 2 c. 9; Roncagliam Animadvers. in Natal. Alexand. Hist. eccles. sæc. 13 et 14 Diss. 9 t. 8 p. 419 et seq. ed. Ven. 1776; Gasparem de Bocken, Dissert. Salisburgi edita an. 1725, qua ostenditur, *Soli Summo Pontifici Romano supremam in universam Ecclesiam potestatem, et de fide definiendi jus competere, nec ab illo ad Concilium generale appellari posse;* Zaccariam

Anti-Febron. t. 4 c. 5 et 6 p. 165 seq. ult. ed., et Anti-Febron. vindic. t. 4 Diss. 12 c. 4 p. 387; Cl. Gobertum Ecclesia militans etc c. ult. t. 2 p. 358; et Bolgenium *Risposta al quesito cosa è un' appellante?* quo quidem oppere graviter, nervoseque refutatur quidquid ab Appellantibus, novissime autem ab eorum gregali Petro Tamburinio proponitur. Illud postremo addam, quod est ab ipso Joanne Ludovico Moshemio, hæretico quidem homine, sed docto, et erudito, animadversum: *de Gallorum appellationibus ad Concilium universæ Ecclesiæ, unitatem Ecclesiæ spectabilem tollentibus;* scilicet: pugnantia loqui illos catholicos, qui ex Primatu Divini juris Romanum Pontificem totius Ecclesiæ, et Catholicæ unitatis centrum profitentur, et simul ab ejus judicio ad generale concilium appellari posse contendunt. Placuit laudare hoc testimonium, ut omnes intelligant, quod ipsi hæretici agnoscunt, et confitentur, appellationes ad futurum Concilium, cum catholica veritate de Primatu Summi Pontificis convenire non posse. Consule Ballerinium *de Vi ac ration. Primat. Pontific.* fere per tot., et *de Potest. Eccles. Sum. Pontif. et Conc. Gen.* c. 5 p. 66 et seq., et c. 9 § 5 p. 139 et seq. ed. Augustæ Vindelic. 1770.

19. In civili republica summa hæc potestas est penes Principem, cui subjecti sunt omnes, qui ad illam pertinent. Quare ipse in cunctis negotiis, quæ civilis reipublicæ propria sunt, ab omnibus appellatur, omnium infirmat confirmatve sententias, quodque ab eo gestum est, subditorum judicio, et potestati subesse non potest (1). Hoc autem jus appellationis, non solum pars est intima summæ potestatis (2), sed etiam est necessaria pars officii, quo tenetur quisquis rempublicam cum imperio regit, qui in ejus custodia tamquam in specula, collocatus omnia circumspicere, atque observare debet, quemadmodum se unusquisque gerat in judiciis exercendis (3).

(1) Vid. Montesquieum *Esprit des loix*. liv. 28 chap. 27.
(2) Confer Grotium *de Jure belli, et Pacis* l. 2 c. 4 §. 15, et Heineccium *Jur. natur. et gent.* l. 2 c. 8 §. 157 opp. t. 8 p. 215 ed. cit.
(3) Consule Pulfendorfium de *Jur. natur. et gent.* l. 7 c. 9, et Heineccium l. c. §. 150 et seq. p. 210 et seq.

20. Quod in civili republica princeps, id in ecclesiastica Summus Pontifex est; quoniam cum à Christo toti Ecclesiæ præpositam fuisse cum dignitate, et jurisdictione, certum est. Quare ut Princeps in civili republica omnium, quos sibi subjectos habet, appellationes recipit, et ex jure summi imperii, quod habet in republica, et ex officio, quod est annexum curæ, et solicitudini omnium rerum, quæ in republica geruntur; ita Summus Pontifex, pari jure, et officio, in republica ecclesiastica omnes recipit appellationes, quæ propter res, vel propter personas hujus reipublicæ propriæ sunt. Itaque jus appellationum non extrinse-

cus accessit Summo Pontifici, sed affixum, et insitum est in ipso Primatu, atque in jurisdictione, quæ hujus Primatus Divina institutione propria est (1), quemadmodum qui civili reipublicæ cum imperio præest, omnium accipit appellationes subditorum, jure potestatis, et imperii sui.

(1) Eusebiani IV. sæculo, cum iniquam tullissent sententiam in S. Athanasium, atque hic ad Julium I. Summum Pontificem confugisset, hanc appellationem ægre tulerunt; sicuti constat ex Julii I. Ep. ad Eusebian. apud Constantium Ep. Pontific. Roman. col. 555 et seq. et Sozomeno Histor. l. 3 c. 7 p. 101 ed Cantabrig. 1720. Photius IX sæculo jus appellationum in discrimen revocavit, cum eoque consentiunt Zacharias Episcopus Chalcedonensis, Joannes Zonaras, Theodorus Balsamon, Marcus Ephesius, et Meletius Alexandrinus. In eodem luto hæsitarunt Calvinus Inst. l. 4 c. 7, Marcus Antonius de Dominis Apostata de Republ. Christ. l. 1 c. 3, Melchior Leydekerus in Dissert. de Libert. Eccles. Afric. et transmarin. appellat., aliique similes. Hincmarus Remensis IX sæculo contendit, jus appellationum tantum à Sardicensi Concilio Summo Pontifici fuisse tributum, et eum posse quidem novos dare judices in provincia, in qua Episcopi judicati sunt, ipsum vero causam Romæ judicare non posse. Eadem est sententia Petri de Marca concord. sacerdot. et imper. l. 7 c. 3, Quesnelli Dissert. 5 et 8 in opp. S. Leonis M., Du-Pinii de Antiq. eccles. disciplin. Diss. 2 c. 1 §. 3. Bohemerus etiam Dissert. *de Causis arduis, et majoribus*, multa cumulat tum adversus jus judicandi in causis majoribus, tum adversus jus appellationum, et multa item, ut ceteros mittam. habent Basnagius Annal. politic. eccles. ad an. 347 n. 11 seq., Febronius de Eccles. stat. c. 5 §. 6 n. 2, Van-Espenius Jur. eccles. par. 2 tit. 10 c. 1, Fleuryus Disc. 4 n. 5, Eybelius in libello; *Quid est Papa?* Sed jus ipsum appellationum, quod in Primatu hæret, solide, copioseque, præter ceteros, tuentur Baronius ad an. 347 n. 52 t. 4 p. 440 ibique Pagius in Not. n. 6 seq. p. 458 seq. et ad an. 419 n. 75 t. 7 p. 179 ed. Lucæ, Bellarminus De Roman. Pontif. l. 2 c. 21 seq. opp. t. 1 p. 550 seq. ed. Ven. 1731, Franciscus de Simeonibus de Judiciar. Summ. Pontific. potest. l. 2 c. 20, Natalis Alexander Histor. eccles. Dissert. 28 in sæc. IV t. 4 p. 462 et seq. ed. Ven. 1776, ibique notarum Auctores p. 481 seq., Christianus Lupus peculiari opere de *Appellationibus*, Zalwenius Inst. Canonic. t. 2 qu. 1 c. 4 §. 5, Benedictus XIV. de Synod. diœces. l. 4 c. 5 n. 2, Archiepiscopus Senonensis *Instruction Pastorale contenante une troisieme lettre à un Conseiller du Parlement de Paris.* an. 1753, David in opere *Des jugemens canoniques* chap 8 art. 1, Gerardus Castel Controv. historic. eccles. controv. 31, Auctor dissertationis Romæ editæ an. 1768 *de Appellationibus*, Fratres Ballerini in ed. opp. S. Leonis M. Observat. ad dissert. 5. Quesnelli t. 2 col. 927 et seq., ac VV. CCL Mamachius ad Auctorem opp. *Quid est Papa?* Ep. 3 p. 234 et seq. t. 1. et Zaccaria Anti-Febron. t. 3 l. 3 per tot. et in Anti-Febron. vindic. t. 3 Diss. 7 c. 5 et 6 p. 451 seq.

21. Certe Christus non alios constituit magistratus, qui Ecclesiam regerent, quam Episcopos, et unum omnium caput, ac principem, Summum Pontificem, qui et Episcopis, et cunctis Christianæ reipublicæ civibus dignitate, ac jurisdictione præesset.

Si secundum hanc Christi institutionem, alicujus Episcopi judicium emendari, abrogarique debuisset (et vero nemo non fatebitur, omnes homines errare posse, ideoque inventum est remedium appellationis, ut judicis error corrigatur); quis id præstare, et quem judicio injuria damnatus appellare potuisset? Haud sane alius Episcopus Episcopi sententiam infirmare potuisset, quoniam Christus nullam uni Episcopo supra ceteros Episcopos potestatem, et jurisdictionem attribuit. Atqui appellatio provocatio est ab inferiore judice ad superiorem. Ergo cum omnium hominum sententiæ errori subsint, cum æquum, ac necessarium sit emendare errorem, qui alteri perniciem affert, cum hic error à superiore magistratu per appellationem sit emendandus, cum Christi institutione omnes Episcopi pares potestate sint, ac nemo in alium habeat jurisdictionem; consequens est, ut tantum Pontifex, cui uni hæc jurisdictio, et potestas in omnes data est, aliorum Episcoporum sententias é medio tollere, atque abrogare possit. Id vero est, quod jus appellationis vocamus.

22. Post Christi mortem, visum est alios etiam constituere magistratus, qui Summo Pontifici subessent, præessent tamen Episcopis; sed id sola hominum lege factum est. Nimirum cum Petrus, ejusque successores Romani Pontifices, nec ubique præsto esse, nec omnibus omnium Episcoporum negotiis ubique opportune consulere possent, ecclesiastica institutione provisum est, ut unaquæque provincia haberet Antistitem, qui ejus Episcopis, et in quavis majori diœcesi unus item esset Antistes, qui et illi, et ei subjectis Episcopis præsideret. Ita Metropolitæ, et Patriarchæ instituti sunt, omnino ex lege Ecclesiastica, non Divina; et utrisque data sunt jura eorum præfecturæ, et jurisdictionis propria. Inter cetera vero datum est jus appellationis, quod adversus Episcopi sententiam Metropolitæ, adversus sententiam Metropolitæ Patriarchæ competit, quod ille Episcopis, hic vero et Episcopis, et Metropolitis superior est (1).

(1) Huc sane spectat communis regula, quæ est in Concilio Carthaginensi III. an. 397 can. 10 apud Labbæum col. 1401 t. 2: « Ut à quibuscunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, provocare liceat. »

23. Quidquid vero auctoritatis in Episcopos Patriarchis, et Metropolitis Ecclesiastica lege concessum est, tantum cum consensu, saltem tacito, et præsumpto Summi Pontificis, concedi potuit. Cum enim ipse unus ex divino instituto in Episcopos habe-

ret potestatem, ejus sane pars ad alios tranferri non poterat, nisi assentiretur ille, qui eam totam à Christo potestatem, et jurisdictionem acceperat. Sed cum Concilia in Patriarchas, et Metropolitas contulerunt partem jurisdictionis, et potestatis, quæ Christi instituto unius Summi Pontificis propria erat, cumque Pontifices id fieri siverunt, neque hi se abdicarunt potestate sua, quam à Christo habebant, neque eam Concilia ipsis eripere potuerunt.

24. Quare Metropolitis, et Patriarchis datum quidem est jus appellationum à sententiis Episcoporum, quoniam illos his superiores fecerat lex Ecclesiastica, hoc est ipsis attribuerat partem jurisdictionis, et potestatis, quam in Episcopos tantum Summi Pontifices Divina lege obtinebant; sed hi semper potestatem, quam habebant initio, retinuerunt. Christi instituto, ab Episcopi sententia unus Pontifex appellari potuisset, lege ecclesiastica appellantur etiam Metropolitæ, et Patriarchæ; sed semper integrum est jus appellationum, quod in Primatu hæret.

25. Et quoniam prima, à Christo procedens, institutio Primatus erat, ut solus Pontifex confirmaret, infirmaretve sententias Episcoporum, in quos ipse unus jurisdictionem habebat; Ecclesia autem hujus potestatis participes fecit Patriarchas, et Metropolitas, sed non eam ademit illi, cui Christus dederat; profecto summus Pontifex non tantum à sententiis Patriarcharum, et Metropolitarum, sed etiam illico à sententiis Episcoporum appellari potest. Illæ quidem appellationes pertinent ad summam, et supremam potestatem in omnes Episcopos. Metropolitas, Patriarchas, quam nemo communem habet cum Capite, et Principe Ecclesiæ; hæ procedunt ex eadem potestate, quæ hac in parte communis facta est etiam Patriarchis, et Metropolitis, non tamen Summo Pontifici erepta.

26. Itaque si Pontifex statim velit cognoscere sententias Episcoporum, omissis mediis, hoc est, Metropolitis, et Patriarchis, quos inter Pontificem, et Episcopos lex Ecclesiæ medios possuit, utitur jure, quod à Christo habuit, et quod ei integrum est relictum, etiam postquam Patriarchis, et Metropolitis commune factum est. Lex Ecclesiæ, quæ sola Patriarchas supra Episcopos constituit, eos appellandi facultatem dedit, omisso judice, quem recta appellandi ratio medium interponebat (1). ¿An quod ex lege ecclesiastica Patriarchis licet, non licebit Summo Pontifici, quem unum lex divina Episcopis superiorem fecit, et cui lex Ecclesiæ

semper integram reliquit eam quoque potestatis partem, quam Patriarchis, et Metropolitis communem fecit?

(1) Confer quæ dixi l. 1 tit. 5 Sect. 3 §. 38 not. 1, p. 174.

27. Fieri quidem interdum potest, ut non expediat omittere medios judices, atque ad Sedem Apostolicam statim confugere; quin etiam interdum locorum distantia, fraudis metus, rerum difficultas, periculum ne resciri accurate possint, quæ procul gesta sunt, facere potest, ut non videatur interponenda ad Summum Pontificem appellatio. Tum autem ipse suo jure non utitur; sed non ideo quia peculiaribus de causis interdum non expedit, Summum Pontificem suo jure uti, exinde efficitur, ut ipse revera non habeat potestatem (1). Ea de causa Africani Patres, qui Episcoporum appellationes ad Sedem Apostolicam plus semel æquissimo animo probaverant (2), Apiarii Presbyteri appellationi modeste restiterunt (3); quoniam hæc appellatio temporis, locorum, personæ rationi minus congruere videbatur (4).

(1) Simili modo S. Bernardus l. 3 de Consid. c. 4 574 t. 2 ed. Mabil. Ven. 1781, aliquas reprehendit exemptiones, quæ mala afferebant, ab iisque concedendis deterrere conatur Eugenium III., sed tamen non ideo negat Pontificis auctoritatem: « Sic factitando, inquit, probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non ita. Facitis hoc, quia potestis; sed utrum et debeatis, quæstio est. » Sardicenses quoque canones cum innuunt, causas appellationum Episcoporum à Romano Pontifice per delegatos in provincia judices, vel per legatum in eam missum esse cognoscendas, pertinent ad illud, quod magis expedire videbatur, non Pontificiam auctoritatem in discrimen revocant; imo can. 4 t. 2 col. 659. Collect. Labbæi ed. Ven., disertè memorantur causæ episcopales agendæ *in urbe Roma, et in judicio Romani Episcopi determinandæ*.

(2) Plurium appellationum Episcopalium exempla, quæ consuetudinem ostendunt, ultro confessi sunt Africani Patres, uti constat ex Augustini epistola, quam Coustantius descripsit inter epistolas Cælestini Ep. 1 n. 3 col. 1056. Tum antiqua, ac recentia hujusmodi exempla indicans Augustinus inquit: *quæ, ut à nostris temporibus remotissima, non requiram, recentia memorabo*; ac tria profert exempla, eaque ex una provincia Cæsariensi, et in particulari tantum judiciorum specie, quæ Augustini causæ congruebat; unde facilis est de aliis quoque provinciis, aliisque judiciis conjectura. Recte in hunc locum monet Coustantius: *Apostolicæ Sedis in Aforum judiciis potestas* (addenda etiam consuetudo) *hic aperte prædicatur*. Ipse in causa Antonii Episcopi Fussalensis, de qua Augustinus in eadem epistola loquitur, apellatio fuit primum ad Bonifacium Pontificem, cui ipse Numidiæ Primas assensus est, traditis ei commendatitis ad eumdem Bonifacium literis, deinde ad Cælestinum, cujus judicio Augustinus obsequutus est, cum ad eum gesta transmisit.

(3) Recte observat Cardinalis Orsius Histor. Eccles. l. 17 n. 46 p. 150

t. 12 ed. Rom., synodicam epistolam Concilii Africani ad Cælestinum, non præcipientium, atque audacter obsistentium esse; sed Afros tantum adhibere preces, quibus Pontificem rogant, ut reppellat coerceatque auctoritate sua licentiam Presbyterorum, aliorumque clericorum, qui appellationis beneficio abutebantur; eos præterea non rogare, ut omnes rejiciantur, sed ut *ad aures venientes non facilius admittatis, ne præpropere, vel indebite videantur restitui*.

(4) Sane, ut animadverterunt Fratres Ballerinii Observat. in 1 part. Diss. 5 Quesnelli n. 30 opp. S. Leonis t. 2 col. 971, sive inspiciantur acta Synodi an. 419, sive literæ in causa Apiarii ad Bonifacium, et Cælestinum datæ, manifestum est, nulla unquam ex parte jus Sedis Apostolicæ recipiendi appellationes in discrimen fuisse vocatum. Omnis rei ratio petitur ex fraudis periculo, ex temporum dilationibus, ex testium, locorumque difficultatibus. Accedit, quod Apiarius simplex erat Presbyter, neque Africani Patres ob illas, quas memoravi, causas, expedire putabant, quod Presbyteris, ceterisque clericis transmarinæ appellationes permitterentur. Nam cuivis facile concesa appellandi facultate, fere quotidie rediissent pericula, et difficultates; quarum causa illam Apiarii provocationem ægre ferebant. His incommodis hactenus obviam ierat Africanæ Ecclesiæ consuetudo, per quam receptum erat, ut clericorum causæ in ea regione finirentur; quare Africani Patres illa incommoda, et pericula objiciebant, illamque urgebant consuetudinem, ne Apiarii provocatio admitteretur. Neque vero cum illi consuetudinem proponebant, quidquam detrahebant de jure Primatus, quod nunquam in discrimen revocarunt. Nam eo firmo, et immoto, per legitimam consuetudinem, quæ scilicet cum expresso, aut tacito Summi Pontificis consensu fuisset inducta, potuissent Africani jus acquirere finiendi in sua regione, sine ullo appellationis beneficio, suorum clericorum controversias. Simili modo, quamquam jus confugiendi ad Principem semper integrum esse debeat, tamen populus ei subditus per consuetudinem acquirere potest privilegium judicandi suorum causas sine appellatione, ut docet Grotius de Jure bell. et pac. l. 2 c. 4 §. 15; neque ideo quis dicat, Principem in civili republica non habere potestatem, quæ summo imperio affixa est. Hanc igitur consuetudinem Africani Patres urgebant; ignorantes, eam à Sardicensi Concilio ruptam, sublatamque fuisse, eamque ut firmarent consuetudinem, an. 418 novum illum edidere canonem, ne Presbyteri, et clerici ad transmarina judicia confugerent. Sane Pontifex in ea controversia proponebat canones Sardicenses, quos Nicænos vocabat, quod hi illis confirmati fuerant, et quod fuerant conditi à pluribus Episcopis, qui Nicænæ Synodo interfuerant, ut observat Amortius Elem. jur. canonic. t. 1 p. 5 seq. Responderunt Afri, se hos canones ignorare, ajentes in Ep. ad Cælestinum apud Coustantium Ep. Pontific. Roman. n. 4 col. 1061, et 1062: Nam ut aliqui, tamquam à Tuæ Sanctitatis latere, mittantur, in nulla invenimus Patrum synodo constitutum; quia illud, quod pridem per eumdem Coepiscopum nostrum Faustinum, tamquam ex parte Nicæni concilii, exinde transmisisti, in conciliis verioribus.... tale aliquid non potuimus reperire. » Quibus ex verbis manifestum est, eos sine cunctatione paruisse, si canones novissent Sardicensis Concilii, cui, præter ceteros, etiam Gratus Carthaginensis Episcopus interfuerat, uti observant Coustantius in Not. lit. E. l. c., et Tillemontius art. 324 in Vit. Augustin. t. 13 p. 864, qui de cetero his appellationibus minus favent. Revera ipsi Africani Patres an. 419 ad Zosimum dedere literas, quarum mentio est in Ep. 2 ad Bonifacium I. apud Coustantium col. 1012 et 1014, et quibus ipsi dicunt hæc: *curavimus, ut ea* (Sardicensia decreta) *servari sine ulla injuria paulisper si-*

neremus, usque ad inquisitionem statutorum Nicæni Concilii. Ipsa hæc temporis Concilia demonstrant, Afros, repertis canonibus, de quibus quærebatur, statim Summo Pontifici obsequuturos. Late hoc argumentum persequuntur Fratres Ballerinii cit. Observ. in 1 p Dissert. 5. Quesnelli col. 955 et seq. Atque hæc quidem de Presbyteri appellatione disputatio fuit; verum de Episcoporum ad Sedem Apostolicam appellationibus minime actum est, neque iis unquam Africani Patres restiterunt. Imo et remotissima, et recentia, uti loquitur Augustinus loc. cit., erant exempla appellationum; et vero ipse Augustinus appellationes memorat Prisci, Victoris, Laurentii, Antonii Fussalensis, qui omnes Africani Episcopi erant. In eadem causa sunt Cæcilianus, et Lupicinus, similiter Africani Episcopi; ex quibus intelligitur, consuetudinem, quam Afri de Presbyteris, minoribusque clericis urgebant, numquam ad Episcopos fuisse traductam. Revera de appellationibus clericorum erat Africanus Canon, quem in illo controversiæ æstu Afri condiderant, ut firmarent consuetudinem, quam proponebant; sed de Episcopis nusquam cautum fuerat, ut ipsi Apostolicam Sedem non appellarent. Neque scrupulum aliquem injicere potest id, quod Carthaginensi Concilio an. 419 Can. 28 apud Dionysium Cod. Can. Eccl. Afric. in Biblioth. Jur Can. Justelli t. 1 p. 344 ed. Paris. 1661 constitutum est; quo quidem canone confirmatur id, quod de vetitis Presbyterorum, alioruinque clericorum appellationibus superiori anno sancitum fuerat, atque additur: *sicut et Episcopis sæpius constitutum est.* Verba hæc quibusdam viris doctis, presertim Natali Alexandro Histor. ecc. diss. 28 in sæc. IV. prop. 3 t. 4 p. 479 ed. cit., et Orsio Cardinali Hist. eccles. l. 27 n. 36 t. 12 p. 134 ed. Rom. falsa, ac per fraudem adjecta videntur. Sed utut vera', et germana habeantur, certe eo canone prohiberi non possunt episcoporum appellationes, quæ sæpius vetitæ dicuntur; et tamen numquam eas vetitas fuisse constat, quin earum et *remotissima*, et *recentia* exempla sunt, ut loquitur Augustinus. Adde, quod Africani Patres in Apiarii causa *usque ad inquisitionem Nicænorum, curarunt servanda à Zosimo prolata statuta*, uti ipsi loquuntur in cit. Ep. 2 ad Bonifacium I., ac denique cuncta sunt composita, uti patet ex epistola ad Bonifacium, quam describunt Mansius t. 4 Concilior. p. 481, et Amortius Elem. jur. canon. t. 1 in Append. p. 458 ed. Ven. 1765. Quis credant, eo ipso anno, quo omnia sunt composita, contra jus hactenus observatum, contra consuetudinem tum antiquioris, tum recentioris temporis, Episcopos appellare Summum Pontificem fuisse prohibitos? Itaque longe alius hujus canonis sensus est, quod solide, nervoseque ostendunt Frates Ballerinii l. c. col. 966, et Cl. Zaccaria Anti-Febron. t. 3 l. 3 c. 4 n. 12. Scilicet eo canone id constituitur, ut Presbyteri ad transmarina judicia non confugiant, sed Primates, aut universale concilium appellent; quæ appellatio ad Primates, aut ad universale concilium sæpius de Episcopis constituta est. Id vero non excludit transmarinas appellationes Episcoporum; sed sicuti Episcopi in appellationibus, quas in provinciis interposuerant, judices habebant Primates, aut universale concilium, ita etiam Presbyteri, ac Diaconi iisdem judicibus in posterum uti jubentur.

28. Lapsu temporum jus hoc appellationum ad Summum Pontificem, etiam Ecclesiæ lege (1), et consuetudine (2) firmatum est. Verum utraque non novum jus constituit, sed jam constitutum, et hærens in Primatu confirmavit (3). Quare qui jus quarumdam appellationum Summo Pontifici tantum esse putant ex

jure Patriarchico, ii faciunt, ut quod ex jure Divino Pontifex habet id ex jure Ecclesiastico habere videatur. Sed Patriarchas supra Episcopos posuit sola lex Ecclesiæ, Summum Pontificem ipse Christus. Itaque illi opus habent Ecclesiæ lege, sine qua Episcopis superiores non sunt, ut appellationes recipiant à sententiis Episcoporum; sed hac lege Ecclesiæ, et hoc jure Patriarchico opus non habet Summus Pontifex, qui à Christo supra Episcopos jurisdictionem accepit.

(1) Jus appellationum ad Sedem Apostolicam confirmatum fuisse Sardicensi Concilio, ita compertum, exploratumque est, ut se plane ecclesiasticæ historiæ rudes, et ignaros fateantur, qui huc etiam pertrahunt Isidorianas Decretales, quæ post quinque fere sæcula in manus hominum pervenerunt. Nolo in horum ineptiis refutandis frustra operam terere; quia si jam an. 347, quo Synodus Sardicensis habita est, jus appellationum ad Sedem Apostolicam probatum, confirmatumque fuerat, plane se deridendos præbent, qui ea de re initium juris positivi à falsis Isidori decretalibus ducendum esse arbitrantur. Sunt autem in Sardicensi Concilio canones tres, qui ad hunc locum pertinent: nimirum can. 3, 4, 7 seu 5 t. 2 concil. col. 659 collect. Labbæi. Can. 3, ut ostendunt Fratres Ballerinii l. c. col. 947, non pertinet ad appellationes, quæ post omnia gradatim excusa judicia, postremo loco ad Sedem Apostolicam interponuntur; sed pertinet ad secundum judicium, quod statim post primum judicium à Summo Pontifice constitueretur. Novum id quidem erat ex eorum temporum consuetudine, ut qui primo judicio damnatus fuerat, non statim iret ad Episcopos finitimæ provinciæ, ut cautum erat Concilio Antiocheno can. 14, Conc. t. 2 col. 591 collec. Labbæi: propterea dictum est: «Si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo; et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, et det judices.» Sed ratio Primatus, et studium coercendi audaciam Eusebianorum, qui Romano Pontifici in causis Orientis jus suum eripere conabantur, fecit, ut novum illud jus constitueretur. De appellationibus diserte agunt canones 4 et 7 seu 5, iisque constitueretur. De appellationibus diserte agunt canones 4 et 7 seu 5, iisque constitutum est, quod Summus Pontifex appellationes recipiat, ac det judices appellantibus, vel ipse, *causa cognita, sententiam ferat.* Quod clarius explicat interpretatio Dionysii Exigui cit. can. 4, quæ his est concepta verbis: «Cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, et proclamaverit, agendum sibi negotium in Urbe Roma; alter Episcopus in ejus cathedra, post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.» Basnagius, Du-Pinius, Quesnellus, et ceteri, qui Sardicenses Canones in Oriente receptos negant, refutantur certissimis testimoniis, et monumentis, quæ, præter ceteros, collegerunt Fratres Ballerinii cit. t. 2 opp. S. Leon. col. 95 et t. 3 p. 34 et seq., ac Josephus Sim. Assemanius Biblioth. jur. orient. t. 1 l. 1 c. 5 p. 110. Recte Græcorum canonum interpres, Theodorus Prodromus Senior, apud Papadopolum Prænot. mystag. p. 367, de his canonibus Sardicensibus dicit hæc: «Damnatis in omni judicio, semper licet appellare ad Romanum Episcopum, et hujus imperio iterum judicari, aut ab eo, aut à suis legatis.» De Sardicensibus canonibus, præter Ballerinios, accurate, et copiose egerunt Natalis Alexander histor. eccles. diss. 28 in sæc. 4 t. 4 p. 462 et seq. cit. ed. Ven., Zaccaria Anti-Febronio t. 3 l. 3 c. 3 p. 478 ed. Cæsenæ, et

Anti-Feb. vindic. diss. 8 c. 5 n. 5 p. 456 et seq. t. 3, et Marchettus *dei Canoni del Concilio di Sardica* p. 2 §. 2 p. 111, à quibus omnia, quæ contra jus appellationum ex his canonibus peti solent, graviter, ac solide refutantur.

(2) Appellationum, quæ ad Sedem Apostolicam ex omnibus mundi partibus interpositæ sunt, tum ante, tum post Sardicense Concilium, magnus numerus est. Anno 142 à judicio Synopensis Episcopi, à quo ob stuprum de gradu dimotus fuerat, Marcio Romam venit, ut à Sede Apostolica pacem, et communionem obtineret. Negant Launojus, de Marca, Du-Pinius, pluresque Protestantes, Marcionis appellationem veram esse appellationem; sed aliud ostendunt Bellarminus De Rom. Pont. l. 2 c. 21 opp. t. 1 p. 331 ed. Ven. 1721, Christianus Lupus de Appellat. diss. 1 c. 18, Mansius, et Roncaglia in Natal. Alexandr. histor. eccles. sæc. 4 diss. 28 t. 4 p. 481 seq. ed. Ven. 1776, Zaccaria Anti-Febron. par. 2 l. 3 c. 2 n. 2 anno 250. Privatus Lambesitanus, damnatus à synodo 90 Episcoporum, literas communionis à S. Cornelio Pontifice fraudulenter impetrare conatus est; quod sane, nonnisi cognita, et revocata synodi sententia, fieri poterat. Unde veram appellationem ipse Constantius educit Ep. Pontif. Roman. in notit. Ep. Non extant. Steph. 1 §. 2 n. 4 col. 223. Biennio post Fortunatus, aliique Africanæ Ecclesiæ Presbyteri; anno autem 262 *Basilides Asturicensis, et Martialis Emeritensis Episcopus, Apostolicam Sedem appellarunt.* Cyprianus, Ep. 68 col. 253 ed. Baluzii Ven. 1728, *nullam adversus hanc appellationem querelam proponit; tantum dicit, eam obreptitiam: et ita jus appellationis agnoscit.* Exemplum hoc vetusto juri appellationum confirmando aptissimum esse, animadvertunt Baluzius Not. 27 in cit. Ep. 68 col. 260, et Fratres Ballerinii cit. t. 2 opp. S. Leonis col. 931. Eodem anno Paulus Samosatenus, ab Antiocheno Concilio depositus, suam iterum causam apud Felicem Pontificem agendam curavit; qua de re copiose agit Cl. Zaccaria Anti-Febron. par. 2 l. 3 c. 2 §. 6. Anno 313 Cæcilianus Carthaginensis Episcopus judicatus, et ejectus à Synodo Carthaginensi multarum provinciarum, Melchiadem Pontificem appellavit, ab eoque, causa cognita, absolutus est. Denique anno 341 celebris est Athanasii appellatio, de qua agit Sozomenus histor. l. 3 c. 8 p. 102 ed. Cantabrig., ac Gelasius l. Ep. 13 ad Dardan. apud Labbæum t. 5 col. 329 ed. Ven. habet hæc: « Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. » Atque hanc quidem appellationem in discrimen revocare ausus non est Constantius Arianus Imperator; sed tantum apud Liberium egit, ut ejus quoque judicio Athanasius damnaretur, sicuti patet ex Dialog. int. Liberium et Constantium apud Constantium Ep. Pontif. Roman. col. 435 et seq. Sunt et alia harum appellationum Sardicensi Concilio antiquiorum exempla, quæ omnia, præter ceteros, collegit Auctor dissertationis Romæ editæ 1768 de Appellationibus ad Romanum Pontificem. Post Sardicense Concilium plura etiam sunt de his appellationibus monumenta. Nam sæculo IV Eusthatius Sebastenus Episcopus cum in Concilio Melitinensi Arianorum depositus fuisset, Liberium Pontificem appellavit, à quo restitutus est; qua de re confer ea, quæ diximus l. 1 tit. 3 sect. 1 §. 18 not. 5 p. 150. Eodem sæculo Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Sacerdos; itemque Instantius, Salvianus, Priscilianus Apostolicam Sedem appellarunt. Initio V. sæculi appellatio occurrit S. Jo. Chrysostomi, de qua multa à me dicta sunt cit. p. 150, et quam adversus Launojum, Du-pinium, Quesnellium, Giannonium, Petrum de Marca, et ceteros late vindicant David Jugemens canon. chap. 7 art. 5, Natalis Alexander l. c. p. 466 ibique Mansius in Not. Pagius in Baronium ad an. 404

n. 16 t. 6 p. 453 ed. Lucæ, Christianus Lupus de Appellation. dis 1 c. 27. Bianchius *dell' Esterna Polizia della Chiesa* t. 5 par. 2 p. 81, Zaccaria Anti-Febronio t. 3 p. 505 et seq. Atque hæc quidem Chrysostomi appellatio non fidei, sed meræ disciplinæ causam respiciebat; unde educitur, ut recte monet Natalis Alexander p. 467, jus appellationum ad Sedem Apostolicam non tantum in rebus fidei, sed etiam disciplinæ. Pertinent ad idem sæculum V. appellationes Bubalii, et Tauriani ad Innocentium I., uti patet ex ejus Ep. ad Episc. Macedon. apud Constantium col. 841; Cælestii Presbyteri, et Patrocli Arelatensis ad Zosimum, qui utramque memorat Ep. 2 ad Aurel. et Ep. 5 apud eumdem Constantium col. 944 et 959, item quatuor illæ ex Africa appellationes, quas ab Augustino recenseri diximus: Perevii Episcopi, de quo loquitur Bonifacius l. Ep. ad Rufum. 13 apud Constantium col. 1056; Eutherii Thyanensis, et Halladii Tarsensis, qui nomine Episcoporum Euphratesiæ, utriusque Ciliciæ, Cappadociæ secundæ, Bithyniæ, Thessaliæ, et Mœsiæ, ad Sixtum III. confugerunt, uti constat ex eorum epistola apud Constantium col. 1245 et seq.; Ilduæ Smirnensis Episcopi ad eumdem Sixtum III, qui eam memorat Ep. 9 n. 3 col. 1266 apud Constantium. De Gallicanis appellationibus celebre est testimonium S. Leonis M., qui Ep. 10 ed. Ballerin. t. 1 col. 654 inquit, « à Gallicanis, innumeris relationibus, esse consultam Sedem Apostolicam, et quemadmodum vetus consuetudo poscebat, per diversarum appellationem causarum, aut retractata ab ea, aut confirmata fuisse judicia. » Mitto appellationes Chelidonii, Lupicini, Eutychetis, S. Flaviani, Theodoriti, Salomonis Presbyteri, Stephani Larissæi, Contumeliosi Episcopi Rejensis, ceteras, quarum magnus est numerus, quæque ab iis, quos supra indicavi, scriptoribus accurate describuntur. Consistam in appellationibus Honorati Archidiaconi Salonensis, Felicissimi, et Vicentii Diaconorum, Hadriani Episcopi Thebani, Joannis Prebyteri Isauriæ, Joannis Presbyteri Chalcedonensis, et Athanasii Monachi, Claudii Abbatis, Pauli Episcopi Africani, Florentii Episcopi Epidauri, Donadei Diaconi Numidiæ, *Januarii Malacæ*, Alcisonis corcyrensis, quarum appellationum omnium testis est S. Gregorius M. l. 1 Ep. 19, 20 opp. t. 2 col. 505, 504, 566 l. 3 Ep. 6, 7, 8, 9 et 55 col. 627 seq. et col. 662, l. 6 Ep. 14, 15, 16, 24, 63 col. 805, 804, 809, 858, l. 12 Ep. 8 colun. 1286, l. 13. Ep. 45 col. 1250 seq. l. 14. Ep. 7 et 8 col. 1264 et 1265 ed. Paris. 1705. Vide etiam Ferrandum can. 59 apud Justellum Biblioth. jur. can. t. 1 p. 450 ed. Paris. et capitularia Caroli M. l. 7 c. 315 apud Baluzium capitular. Reg. Franc. t. 1 col. 751 et c. 412 col. 745 ed. Ven. 1772. Postremo rem concludam Gelasii I. verbis Ep. 4 seu in Commonitor. ad Faustum Magistrum t. 3. Concil. col. 295 collect. Labbæi cit. ed. Ven. « Nobis (inquit) opponunt canones, dum nesciunt, quid loquantur, contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ Sedi, sana, rectaque suadenti, parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt. »

Quod appellationes ad Rom. Sedem ex Hispania delatas attinet, duo memorabilia exemplaria affert Cl. Auctor, quæ ejus, de quo nunc sermo est, juris apud nos antiquissimum usum demonstrant. Ex Cypriani Epist., ubi Basilidis et Martialis recursus consignatur, inferas, medio sæculo III eam provocationem Hisp. Eccles. disciplinæ haud oppositam ac censendam: nostrates Prælatos Africanum Antistitem, non utrum procederet necne tale remedium, sed utrum bonam an malam causam haberent destituti, consuluisse; ad quod Cyprianus respondebat, Cornelii P. decretum laudans, cujus vi graviorum criminum rei, qui pœnitentiam egissent, ad proprii ordinis exercitium redire vetabantur. Januarii quoque Malacitani appellatio, et consequens, à

Joan. Defensore prolata, absolutio, ejusdem Apost. prærogativæ argumentum præstat haud infirmum: cum rejicienda plane sit M. Henr. Florez opinio, Greg. Magni ea de re Epistolam ut falsam traducentis; quod probat P. Villanuño *Conc. His. Summa*, Matrit. edit. 1784, t. 1 pagg. 570 et seq.

Inserere juvat quod de præsenti quæstione scribebant Matrit. Selvag. Adnotatores: nempe: «Ad Hispanias quantum attinet, unum est, quod Ecclesiasticæ disciplinæ peritos utraque lance pendentes exstare cogit; scilicet, nullum esse Conciliorum Hispaniæ Canonem, quo Clericis prægravatis Romanæ Sedis perfugium adsignetur. Neque Synodus Tolet. XIII, quæ can. 12 dedita opera gradus adpellationum recenset, de Romana Sede vel hiscit. Clericis à proprio Episcopo damnatis, recursum ad Metropolitam, ab hoc ad alterius Provinciæ Metropolitam, ab hoc denique ad Supremam Regis Potestatem permittit; nec ultra progreditur. Inde sibi colligere persuadent. Hispaniarum Patres Apostolicæ Sedis adpellationes, uti consuetas non agnovisse. ¿Qui enim credibile erat, ut recensitis passim adpellationum gradibus, nullum ipsis vocabulum de Romanis Pontificibus exciderit, si hujusmodi adpellationes viguissent in Hispania?»

Ad laudatum canonem 12, aliosque similes respiciens G. Cardillus Villalpandeus, in præcellenti de Tolet. Conciliis *Commentario* (*cap. ult.*), ita rem explicat: «Habebant id Hispani tum Episcopi, tum etiam Reges, ex privilegio, hoc est, beneficio et gratia Sum. Pontificum Romanorum....»; quod idem est ac affirmare, Apostolicum jus recipiendarum appellationum, Gothicæ Eccl. temporibus absque usu remansisse, id remitente, in nostratum Prælatorum et Reg. gratiam, Ven. S. Petri successore. Alia tamen, eaque, ni fallimur, acceptabilior, tradi potest citati can. 12 interpretatio: illo vide licet, utpote nonnisi de speciali istius regionis disciplina concepto, nec derogatam de facto, nec derogari ullo modo valuisse, universalis Ecclesiæ disciplinam, quæ Sanctæ Rom. Sedis Primatui infixam agnoverat recipiendarum ab omnibus et singulis catholicæ Ecclesiæ tribunalibus appellationum auctoritatem; ejus proinde existentiam, superiori stabilitam Potestate, supposuisse can. 12, de quo agitur dum talis juridici remedii in Hisp. applicationem pro causis Ecclesiasticis ordinavit. Cum pleraque ejus ætatis monumenta perierint, non mirum, quod Apostolicæ, quam asserimus, prærogativæ usus tunc in Hispania frequentibus exemplis comprobari minime queat.

Quid postea ea de re in Hispania evenerit, breviter exponit Auct. operis antea citati: «Curso de Historia y disciplina particular de la Iglesia de España en los puntos principales de su gobierno» (Matriti 1846-49), t. 4 part. 2, pagg. 17 et seqq.; nempe: «En los siglos VIII hasta el XIII ocurrieron infinitos lances en España, no solo sobre materias reconocidas por competentes al fuero eclesiástico, sino sobre otras...; y todos los que en ellas estaban interesados, recurrieron á los Summos Pontifices, unas veces desde luego, y otras en apelacion de las sentencias de los obispos, de los metropolitanos, y aun de los concilios. Para la formacion de las causas, los Papas nombraban jueces, ya con facultad espresa de sentenciar en definitiva y despues consultarle la sentencia, ya con órden de solo instruirlas y remitírselas para que en Roma se sentenciasen.—Desde el siglo XIII en adelante, hasta la celebracion del Concilio Tridentino, y desde este hasta nuestros dias, nadie ha dudado del hecho de las apelaciones á Roma.—Es verdad que durante los reinados de Enrique III, los reyes Católicos y su nieto Cárlos I..., reclamaron muchas veces las Córtes, el gobierno y los mismos reyes, acerca de la necesidad en que se tenia constituidos á los naturales de estos reinos, de acudir á Roma á seguir y finalizar las causas eclesiásticas; pero estas

mismas reclamaciones prueban que asi se hacia. El establecimiento de los Nuncios con jurisdiccion Apostólica, y mas tarde el del tribunal de la Rota, prueban esto mismo; si bien ya con este temperamento se remedió en parte el mal de que se venia reclamando, y era que, en lugar de ir los litigantes y los pleitos á Roma, se decidian en España por jueces nombrados por los Papas: de suerte que en la esencia permaneció el reconocimiento del derecho que venimos sosteniendo, aunque en el lugar y en las formas se hubiese variado...; obteniendo esta variacion de la benignidad de la Santa Sede, segun se espresaba en las bulas que la concedieron.—Con todo, aun entonces, y despues del Concilio, quedaron reservadas inmediatamente á la Santa Sede, y escluidas de los tribunales establecidos para el conocimiento de las demas, las que se llaman *causas mayores*. Asi se vió que, celebrado el Tridentino, fué á Roma la causa y la persona del arzobispo de Toledo Fr. Bartolomé Carranza, y alli se sustanció y sentenció. Del propio modo han ido otras en épocas recientes, y á nadie ha ocurrido reclamar la competencia.....»

Lex 5 tit. 5 *Partit. I* in Sum. Pont. jus recipiendarum appellationum, etiam *omisso medio*, ut ajunt, aperte agnoscit. Transcribere placet quod ad prædictam Alphons. Sap. sanctionem notatum reperimus in Collect. vulgo los *Códigos españoles concordados y anotados* (Matriti, ex typog. *de la Publicidad*, 1847—51) t. 2, pag. 71 et seq.; videlicet: «En la gerarquia de jurisdiccion eclesiástica no hay *por derecho divino* mas grados que el de obispo y papa; siendo por tanto *de derecho eclesiastico* los demas grados intermedios. De consiguiente, por *derecho divino* del Primado tiene el Papa el de oir todas las apelaciones de la Iglesia universal, aun omitidos aquellos recursos ante los Prelados intermedios. Contra esta escelsa prerogativa, por lo mismo, no puede prevalecer jamás ni la costumbre ni el derecho eclesiástico; el cual, ya sea por medio de constituciones pontificias, ya por medio de cánones conciliares, únicamente puede regularizar y modificar su ejercicio, *de consentimiento del Papa*; pues este no puede despojarse ni ser despojado del derecho que le compete por *ley divina*. Lo único que puede hacer, por tanto, es *delegarlo*: y en esta virtud conocen de las causas eclesiásticas los prelados intermedios, establecidos *por derecho eclesiástico* para el mas conveniente ejercicio del régimen y gobierno de una Iglesia que se estiende por toda la tierra. La Santidad de Clemente XIV tuvo á bien conceder á nuestra España, por su Breve de 26 de Marzo de 1771, la gracia de tener un tribunal llamado la *Rota de la Nunciatura Apostólica*, que conoce de las causas eclesiásticas en última instancia. Por tanto, segun el derecho novisimo, se apela de la sentencia del obispo al metropolitano, y de este al tribunal de la Rota.—Véanse para mayor ilustracion la bula *Apostolici Ministerii*, espedida por la Santidad de Inocencio XI, circulada en órden del Consejo Supremo de Castilla, de 26 de noviembre de 1767, repetida en 1778; y los títulos 4 y 5 libro 2 de la *Novísima Recopilacion*, en que se hallan insertas las *Ordenanzas de la Nunciatura* y el espresado Breve de Clemente XIV.»

Ergo in Hisp. tribunal Nunciaturæ Apost. generatim de causis ecclesiasticis cognoscit *in tertia instantia*; de iis vero, quæ apud Metropolitas *in prima instantia* discutiuntur, ad illud prima appellatio pertinet. Exemptorum autem negotia, *in prima instantia* committenda sunt locorum Ordinariis vel synodalibus judicibus, et per appellationem ad ipsum Rotæ tribunal devolvuntur: laud. Brevis 1771 §. 7. Denique quod ipsius tribunalis ordinationem, facultates, ac procedendi modum spectat, et quomodo in ipso

quintæ causarum *instantiæ* locus sit, ut tres conformes sententiæ haberi possint, videsis cit. legg. tit. 5 lib. 2 *Novis. Compilationis*, et scriptores regnicolas.»

(3) Quæ de Primatus jure dicta sunt, ostendunt, ei prorsus hærere jus appellationum; idque etiam confirmant exempla appellationum Sardicensi Concilio antiquiorum. Nam si hoc primum his canonibus statutum fuisset, nullæ ante eos occurrerent ad Apostolicam sedem appellationes. Hinc eas ex ipso jure Primatus repetunt S. Bonifacius I. Ep 14 ad Thessal. Episc. col. 1058 apud Constantium, Agapetus Ep. 4 ad Justinianum Imperat. apud Labbæum collect. Conc. t. 5 col. 942 ed. Ven. Agatho in Concilio Romano ibid. t. 7 col. 606, Gelasius I. in cit. Common. ad Faustum apud Labbæum t. 5 Concil. col. 297, Valentinianus III. Ep. ad Theodos. opp. S. Leon. p. 201 ed. Rom., et S. Bernardus de Considerat. ad Eugen. l. 3 c. 2 opp. t. 2 p. 570 ed. Ven. 1781, Appellatur, inquit, de toto mundo ad te: *Id quidem in testimonium singularis Primatus tui.* Reliqui Patres, quos inter sunt S. Innocentius I. Ep. 2 ad Victric. n. 6 apud Constantium col. 749, Julius I. Ep. 1. ad Eusebian. n. 22 apud eumdem Constantium col. 586, Leo M. Ep. 10 ad Viennens. Episc. c. 2 opp. t. 1 col. 654 ed. Ballerin., ceteri, quos mitto, ne nimius sim, hanc, ajunt, perpetuo fuisse Ecclesiæ consuetudinem, ut ab omnibus Summus Pontifex appellaretur; quæ perpetua consuetudo tantum ad jus Primatus referri potest. Ipse Quesnellus, qui tanto studio appellationibus adversatur Diss. 16 in S. Leon. §. 14 n. 4, fateri vel invitus debuit: «Gallicanos, cum appellationes receperunt, respexisse ad Primatus Pontificis dignitatem, ac potentiorem, ut Irenæus vocat, principalitatem.»

29. Jus Patriarchicum inesse dicimus in Summo Pontifice, propterea quod lex Ecclesiæ, quæ in oriente inter ipsum, et Episcopos esse voluit Patriarchas, medium hunc gradum in occidente non constituit; ideoque Pontifex occidentis Patriarcha appellatur, quoniam eum quoque occupat in occidente locum, qui in oriente datus est certis Episcopis, quos Ecclesia ceteris in ea regione superiores fecit. Sed tum in oriente, tum in occidente Primas, et caput Ecclesiæ est; et jus annexum Potestati superiori, qualis est Primatus, ad inferiorem, quæ in illa inest, hoc est ad Patriarchatum, referri non potest. Simili modo si Princeps, qui summo potitur imperio, aut Ducis in bello, aut Judicis civilium controversiarum partes velit sustinere, quidquid in utroque munere gerit, non ex mera judicis, ducisve potestate gerit, sed ex potestate summi imperii, in qua utraque illa potestas insita et affixa est (1).

(1) Confer Heineccium Elem. jur. natur. et gent. l. 2 c. 8 §. 156 et 157 et c. 9 §. 192 opp. t. 8 p. 213 et 229 et Neap. cit.

30. Inter appellationes, quæ ex oriente, quæque ex occidente ad Summum Pontificem interponuntur, hoc discrimen est, quod illæ, cum gradatim fiunt, judicium postulant Patriarcha-

rum, antequam Capitis, et Primatis judicium subeant; hæ vero à Metropolitis statim ad hunc Primatem, et caput deferuntur. Sed utroque loco Primas est, qui appellatur, et qui judicat. Si quid Pontifex ageret annexum soli Patriarchatui, non Primatui, id quidem ageret tamquam Patriarcha, non tamquam Primas; sed cum ipse habeat jus appellationum ex Primatu, non ex Patriarchatu, semper tamquam Primas appellationes recipit, quocunque ex loco procedant.

31. Quod si jus appellationum oritur ex potestate, et jurisdictione, quæ in Primatu hæret, consequens est, ut Pontifex, cum ex ea potestate, et jurisdictione appellationes recipit, possit suo lubitu vel causas ipse cognoscere, vel judices, qui eas cognoscant, constituere in loco unde appellatur. Ita in civili republica alterutrum facit Princeps arbitratu suo; quoniam jus appellationum adhæret in summa potestate, cum qua reipublicæ præpositus est. Alicubi quidem lex Ecclesiæ, aut consuetudo potest efficere, ut propter locorum longinquitatem, difficultatem rerum, aliasve causas ejusmodi, dentur judices in provincia, unde appellatio interposita est; verum neque Ecclesiæ lex, neque consuetudo potuit eripere Summo Pontifici potestatem, et jurisdictionem, quam à Christo accipit (1).

(1) Sane maxima pars appellationum, quas supra descripsi, pertinent ad judicia, quæ à Summo Pontifice Romæ acta sunt; et Sardicensibus canonibus, uti ostendi loco superiore, diserte cautum est, ut Romæ causæ agerentur. Argumentum hoc, præter ceteros, solide, copioseque persequuntur Fratres Ballerinii cit. t. 2 Opp. S. Leonnis col. 983, et Cl. Zaccaria Anti-Febron. vindic. par. 3 Diss. 8 c. 6. p. 495 et seq. Illud ridiculum, quod habet Dominicus Cavallarius Instit. Jur. Canon. par. 3 c. 28. Is enim §. 4. *libens agnoscit, jus appellandi Romanam Sedem à synodorum inferiorum judiciis, tanquam consectaneum Primatus Romani Pontificis in universam Ecclesiam haberi posse; est enim Romanus Pontifex ceteris Episcopis superior; naturalis vero ratio dictat, ab inferioribus ab superiorem appellandum.* Tum §. 5 et seq. conatur ostendere, Romanos Pontifices eo jure usos non fuisse; postea Sardicensi Concilio eis dandi judices facultatem fuisse concessam, hos canones serius fuisse receptos, denique per falsas Isidori decretales, Summos Pontifices, non tantum dandi judices, sed etiam judicandi in causis appellationum potestatem obtinuisse. Mitto omnia, quæ supra dixi, ac suis ipsis principiis Cavallariam urgeo. Si jus appellationum *consectaneum est Primatus Romani Pontificis in universam Ecclesiam*, si ipse appellatur, quia *ceteris Episcopis superior* est, et *naturalis ratio dictat, ab inferioribus ad superiorem appellandum*, hoc est, si jus appellationum originem habet à Jure Divino, à quo certe Primatus oritur, quid Summus Pontifex opus habuit canonibus Sardicensibus, aut falsis Isidori decretalibus? Non hæ decretales, neque illi canones dederunt jus appellationum, sed dedit ipse Christus, qui Primatum instituit. Mitto cetera, quæ Cavallarius cumulat

contra jus appellationum, quod in ipso Primatu inesse demonstravimus. Nam ipsa sunt argumenta Bohemeri, Van-Espenii, Febronii, ceterorum, quos supra refutavimus, ut proinde eadem omnia quadrent etiam in Cavallarium, qui aliorum errores literis consignavit. Simili plane de causa *in notis ad titulum de Judiciaria Ecclesiæ potestate* separatim non refutavimus Cavallarium, qui in Inst. Can. par. 3 c. 2 et 3, adversus judiciariam in causis civilibus Ecclesiæ potestatem multa habet, quæ à Du-Pinio, Fevretio, Van-Espenio, ceterisque similibus desumpta sunt. Nam eorum ineptiis explosis, atque rejectis, etiam Cavallario, cujus par omnino causa est, satisfactum arbitramur.

Liceat mihi hoc loco, quoniam memoravi Isidori Mercatoris collectionem, cujus sæpe in his Institutionibus mentio occurrit, aliquid animadvertere, quod post editum tomum 1. earumdem Institutionum, ubi de hac collectione disserui p. 49 et seq., intellexi ex Mss. epistola P. Burrielii, data ad Franciscum Ravagum die 22 Decembris an. 1752, quam mihi legendam dedit V. Cl. Laurentius Hervas, qui etiam illius partem descripsit in opere, cui titulus *Storia della vita dell' Uomo*, t. 2 l. 4 c. 11 p. 191. Tradit nimirum Burrielius, Isidorum usum præsertim fuisse Hispanica collectione canonum, cui multa addidit ingenio suo, multaque emendavit, atque detravit, ut suum illud figmentum componeret, quod et ego observavi in Prolegomenis t. 1 c. 3 §. 64 p. 49 et seq. Illud in primis monet ipse Burrielius, sese omnia Hispaniarum archiva diligentissime lustrasse, neque ullum unquam manuscriptum codicem ejus collectionis reperire potuisse; quod argumento est plane máximo, Hispanos, qui Isidorum conferentes cum ea collectione, quæ in omnium manibus versabatur, nullo negotio fraudem detegere potuissent, Isidori figmenta penitus ignorasse. Illam autem collectionem Gotico-Hispanicam describit Burrielius literis ad Canonicum Petrum de Castro datis die 30 Decembris an. 1754, quas equidem literas apud eumdem eruditum virum Laurentium Hervas legi. Scilicet ea continet canones XX Nicænos, quos continuo sequuntur aliarum Græcarum Synodorum Canones in latinum sermonem conversi; sed hæc versio diversa est à Dionysiana, atque eadem magna ex parte est, quam dedit Isidorus Mercator, cujus nomine eam Harduinus edidit. Atque hæc causa est, propter quam multi in Galliis putaverint, Isidori collectionem in Hispaniis fuisse absolutam, quia nimirum Isidorus ex collectione Gotico-Hispanica fere integram Græcorum canonum versionem arripuit. Novum hinc argumentum educitur, ex quo patet, non modo nullas fuisse in hac Isidori collectione Pontificum Romanorum partes, sed ipsos etiam nullam ejus rationem habuisse; quam si habuissent, illam certe misissent ad Ecclesiam Hispanicam, quæ semper magnam habuit cum Romana Ecclesia conjunctionem. Sane pars altera collectionis Gotico-Hispanicæ constat ex Decretalibus Summorum Pontificum centum, ac duabus, iisque omnibus certæ fidei, quas sequitur Decretalis *de Libris recipiendis*, et non recipiendis, unde Gratianus desumpsit Can. *Sancta Romana*, 3 Dist. 15, qui canon, uti testatur Burrielius cit. Ep. ad canon. de Castro, in omnibus Codicibus non Gelasio, sed Hormisdæ tribuitur. Optandum maxime esset, ut præclara Hispanorum natio, quæ viris abundat ingenio, ac doctrina plenis, in lucem emitteret collectionem Gotico-Hispanicam, quam duabus illis literis Burrielius memorat, quamque ipse illustravit; magnum exinde lumen acciperet ecclesiastica jurisprudentia, et multa forte occurrent emendanda in operibus eorum, qui antiquas canonum collectiones ediderunt. Certe testatur Burrielius, multa se animadvertisse minus vere, et minus accurate scripta à Card. Aguirrio, et à Cajetano Cennio, qui hactenus visi sunt Hispanicas

Canonum collectiones omnium diligentissime expendisse.—*V. *Append. ad Proleg. cap.* 3, tom. 1, à pag. 61.*

TITULUS XVI.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

1. IN INTEGRUM RESTITUTIO QUID?—2 ET 3. QUI HABEANT BENEFICIUM RESTITUTIONIS IN INTEGRUM?—4. QUIBUS IN REBUS DETUR?—5 ET 6. QUI IN INTEGRUM RESTITUANT?—7. EFFECTUS RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.—8. SUPPLICATIO PRINCIPI OBLATA.—9. CONFIRMATIO APOSTOLICA.—10. ORIS APERITIO.

1.

Qui appellationis remedio uti non potest, beneficium habet *restitutionis in integrum*, per quam omnia in antiquum statum restituuntur. Definitur autem in integrum restitutio à Paulo IC. (1): redintegrandæ rei, vel causæ actio (2). Datur hoc remedium extra ordinem, ut subsidio sit iis, quibus aliæ desunt actiones, per quas jus suum consequantur. Quare cum actus ipso jure irritus est, aut cum aliud suppetit ordinarium civile remedium, in integrum restitutio dari non solet (3).

(1) Recept. sentent. l. 1 tit. 7 §. 1 apud Sculthingium, jurisprud. vet. Ante-Justinian. p. 235 ed. Lipsiæ 1757.

(2) Actionis vocabulum generatim hic accipitur pro quovis juris remedio, quod quis vel intendit, vel à Magistratu conceditur, ut in L. 57 ff. de Obligat. et action. Ab Isidoro *Origin.* l. 5 c. 25, in integrum restitutio definitur; *causæ, vel rei reparatio.*

(3) L. 17 ff. de Minor.—*L. 1 tit. 25 *Partitæ III.*

2. Non temere, ac sine delectu, sed tantum justis de causis in integrum restitutio conceditur. Majores XXV. annis non restituuntur, nisi demonstrata causa læsionis, quæ culpa vacat: qualis est dolus alterius (1), causa metus, alienatio judicii mutandi causa facta (2), absentia, aut justus error (3), denique si qua alia judici justa causa videatur (4). Minores annis XXV, propter lubricam ætatem, probata læsione, restituuntur (5); modo restitutio petatur intra quadriennium à tempore, quo minores esse desinunt (*a*).

(1) Cap. 4 de In integr. restit., cap 6 de His. quæ vi metusve.

(2) L. 1 ff. de Alien. jud., c. 1 eod. c. 11 de Judic. Extat in Pandectis, atque in Decretalibus titulus *de Alienatione judicii mutandi causa facta.* Fit autem hæc alienatio, quoties pars altera, quæ litem habet, dolo malo jus

contra jus appellationum, quod in ipso Primatu inesse demonstravimus. Nam ipsa sunt argumenta Bohemeri, Van-Espenii, Febronii, ceterorum, quos supra refutavimus, ut proinde eadem omnia quadrent etiam in Cavallarium, qui aliorum errores literis consignavit. Simili plane de causa *in notis ad titulum de Judiciaria Ecclesiæ potestate* separatim non refutavimus Cavallarium, qui in Inst. Can. par. 3 c. 2 et 3, adversus judiciariam in causis civilibus Ecclesiæ potestatem multa habet, quæ à Du-Pinio, Fevretio, Van-Espenio, ceterisque similibus desumpta sunt. Nam eorum ineptiis explosis, atque rejectis, etiam Cavallario, cujus par omnino causa est, satisfactum arbitramur.

Liceat mihi hoc loco, quoniam memoravi Isidori Mercatoris collectionem, cujus sæpe in his Institutionibus mentio occurrit, aliquid animadvertere, quod post editum tomum 1. earumdem Institutionum, ubi de hac collectione disserui p. 49 et seq., intellexi ex Mss. epistola P. Burrielii, data ad Franciscum Ravagum die 22 Decembris an. 1752, quam mihi legendam dedit V. Cl. Laurentius Hervas, qui etiam illius partem descripsit in opere, cui titulus *Storia della vita dell' Uomo*, t. 2 l. 4 c. 11 p. 191. Tradit nimirum Burrielius, Isidorum usum præsertim fuisse Hispanica collectione canonum, cui multa addidit ingenio suo, multaque emendavit, atque detravit, ut suum illud figmentum componeret, quod et ego observavi in Prolegomenis t. 1 c. 3 §. 64 p. 49 et seq. Illud in primis monet ipse Burrielius, sese omnia Hispaniarum archiva diligentissime lustrasse, neque ullum unquam manuscriptum codicem ejus collectionis reperire potuisse; quod argumento est plane máximo, Hispanos, qui Isidorum conferentes cum ea collectione, quæ in omnium manibus versabatur, nullo negotio fraudem detegere potuissent, Isidori figmenta penitus ignorasse. Illam autem collectionem Gotico-Hispanicam describit Burrielius literis ad Canonicum Petrum de Castro datis die 30 Decembris an. 1754, quas equidem literas apud eumdem eruditum virum Laurentium Hervas legi. Scilicet ea continet canones XX Nicænos, quos continuo sequuntur aliarum Græcarum Synodorum Canones in latinum sermonem conversi; sed hæc versio diversa est à Dionysiana, atque eadem magna ex parte est, quam dedit Isidorus Mercator, cujus nomine eam Harduinus edidit. Atque hæc causa est, propter quam multi in Galliis putaverint, Isidori collectionem in Hispaniis fuisse absolutam, quia nimirum Isidorus ex collectione Gotico-Hispanica fere integram Græcorum canonum versionem arripuit. Novum hinc argumentum educitur, ex quo patet, non modo nullas fuisse in hac Isidori collectione Pontificum Romanorum partes, sed ipsos etiam nullam ejus rationem habuisse; quam si habuissent, illam certe misissent ad Ecclesiam Hispanicam, quæ semper magnam habuit cum Romana Ecclesia conjunctionem. Sane pars altera collectionis Gotico-Hispanicæ constat ex Decretalibus Summorum Pontificum centum, ac duabus, iisque omnibus certæ fidei, quas sequitur Decretalis *de Libris recipiendis*, et non recipiendis, unde Gratianus desumpsit Can. *Sancta Romana*, 3 Dist. 15, qui canon, uti testatur Burrielius cit. Ep. ad canon. de Castro, in omnibus Codicibus non Gelasio, sed Hormisdæ tribuitur. Optandum maxime esset, ut præclara Hispanorum natio, quæ viris abundat ingenio, ac doctrina plenis, in lucem emitteret collectionem Gotico-Hispanicam, quam duabus illis literis Burrielius memorat, quamque ipse illustravit; magnum exinde lumen acciperet ecclesiastica jurisprudentia, et multa forte occurrent emendanda in operibus eorum, qui antiquas canonum collectiones ediderunt. Certe testatur Burrielius, multa se animadvertisse minus vere, et minus accurate scripta à Card. Aguirrio, et à Cajetano Cennio, qui hactenus visi sunt Hispanicas

Canonum collectiones omnium diligentissime expendisse.—*V. *Append. ad Proleg. cap.* 3, tom. 1, à pag. 61.*

TITULUS XVI.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

1. IN INTEGRUM RESTITUTIO QUID?—2 ET 3. QUI HABEANT BENEFICIUM RESTITUTIONIS IN INTEGRUM?—4. QUIBUS IN REBUS DETUR?—5 ET 6. QUI IN INTEGRUM RESTITUANT?—7. EFFECTUS RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.—8. SUPPLICATIO PRINCIPI OBLATA.—9. CONFIRMATIO APOSTOLICA.—10. ORIS APERITIO.

1.

Qui appellationis remedio uti non potest, beneficium habet *restitutionis in integrum*, per quam omnia in antiquum statum restituuntur. Definitur autem in integrum restitutio à Paulo IC. (1): redintegrandæ rei, vel causæ actio (2). Datur hoc remedium extra ordinem, ut subsidio sit iis, quibus aliæ desunt actiones, per quas jus suum consequantur. Quare cum actus ipso jure irritus est, aut cum aliud suppetit ordinarium civile remedium, in integrum restitutio dari non solet (3).

(1) Recept. sentent. l. 1 tit. 7 §. 1 apud Sculthingium, jurisprud. vet. Ante-Justinian. p. 235 ed. Lipsiæ 1757.

(2) Actionis vocabulum generatim hic accipitur pro quovis juris remedio, quod quis vel intendit, vel à Magistratu conceditur, ut in L. 57 ff. de Obligat. et action. Ab Isidoro *Origin.* l. 5 c. 25, in integrum restitutio definitur; *causæ, vel rei reparatio.*

(3) L. 17 ff. de Minor.—*L. 1 tit. 25 *Partitæ III.*

2. Non temere, ac sine delectu, sed tantum justis de causis in integrum restitutio conceditur. Majores XXV. annis non restituuntur, nisi demonstrata causa læsionis, quæ culpa vacat: qualis est dolus alterius (1), causa metus, alienatio judicii mutandi causa facta (2), absentia, aut justus error (3), denique si qua alia judici justa causa videatur (4). Minores annis XXV, propter lubricam ætatem, probata læsione, restituuntur (5); modo restitutio petatur intra quadriennium à tempore, quo minores esse desinunt (*a*).

(1) Cap. 4 de In integr. restit., cap 6 de His. quæ vi metusve.

(2) L. 1 ff. de Alien. jud., c. 1 eod. c. 11 de Judic. Extat in Pandectis, atque in Decretalibus titulus *de Alienatione judicii mutandi causa facta.* Fit autem hæc alienatio, quoties pars altera, quæ litem habet, dolo malo jus

suum in aliquem transfert, *et facit commutationem*, *ut loquitur* c. 1 de *Alienat. jud. mutand. caus.*, veluti si vendat, aut cedat potentioribus, ut adversario gravius negotium ingerat, atque ejus conditionem deteriorem faciat.

(3) L. 2 ff. de Restit. in integr., c. 4 eod. Vide etiam Paulum Recep. sentent. l. 1 tit. 7 §. 1 apud Schultingium l. et ed. c p. 255.

(4) L. 1 ff. Ex quib. caus. major., c. 4 de In integr. restit.

(5) L. 2 Cod-de Filiofam. min., c. 4 de In integr. restit. Concessa autem in integrum restitutione minori, etiam ejus fidejussori succurritur, ut inquit Ulpianus in L. 51 ff. de Procurat. Consule Edmundum Merillium Observ. l. 4 c. 10 p. 127 ed. Neap. 1720.—' Ll. 2, 3, 5 tit. 19 *Part. VI*; l. 2 tit. 25 *Partitæ III.*'

(*a*) ' L. 8 cit. tit. 19.'

3. Exemplo minorum, etiam Universitates habent in integrum restitutionem (1): similiter et Ecclesia eodem beneficio fruitur (2). Nomine autem *Ecclesiæ*, Jurisconsultorum sententia, et usu fori, omnia corpora ecclesiastica, monasteria, domus religiosæ, academiæ, hospitalia comprehenduntur. Restituitur Ecclesia, si detrimentum accepit, eaque restitutionem petat intra quadriennium, postquam illud pertulit (*a*); modo ab initio propter dolum, vim, metum, aut aliud justum impedimentum, jus suum persequi non potuerit (3); et vero restituitur ubicumque sit læsa, etiam propter negligentiam procuratoris, qui ejus jura, et documenta non protulit (4); contra confessionem sibi noxiam (5); contra lapsum fatalium (6); non solum contra laicum, sed etiam contra aliam Ecclesiam, quæ intulit detrimentum (7).

(1) L. 4 cod. Ex quib. caus. major. in Integr. rest., L. 3 cod. de Jur. reipublic., L. 9 ff. de Appellat.

(2) Cap. 1 de In integr. rest., c. 2 eod. in 6, Clem. unic. eod.

(*a*) ' L. 10 tit. 19 *Partitæ VI.*'

(3) Cap. 1 de In integr. rest. in 6.

(4) Cap. 2 de In integr. restit.

(5) Cap. 2 eod. in 6.

(6) Cap. 3 de In integr. restit.

(7) Cap. 3 eod. At enim qui privilegium habet, eo uti non potest adversus illum, cui par est privilegium: L. 12 §. 1 cod. Qui potior. in pig. Verum id quidem est, si utraque Ecclesia de damno vitando agat; at si altera de damno vitando, altera de lucro captando agat, illam contra hanc restitui æquum est, uti similiter minor contra minorem restituitur L. 12 § Item quæritur ff. de Minor.

4. Datur in integrum restitutio etiam contra sententiam Principis (1), aut Summi Pontificis (2), sed tantum uterque contra propriam sententiam, aut sui delegati restituit (3); datur præterea tam in judicio, quam extra judicium, cum quis ex aliquo

facto, aut contractu læsus est. Semel denegata non amplius conceditur, præterquam ad appellationem omissam; nisi deinceps nova prodierint monumenta, quorum gratia tribuenda videatur (4).

(1) L. 1 et 2 cod. Si sæp. rest. in integr. postul.

(2) Cap. 5 de In integr. restit.

(3) L. 18 ff. de Minor. 25 an., L. 3 cod. Si advers. rem judic.

(4) Cap. ult. de In integr. rest.

5. Restituit autem Magistratus urbanus, vel provincialis, vel judex in eam rem à Principe, vel à Magistratu datus (1). Municipalis Magistratus sine Principis mandato neminem restituere potest (2), quoniam non habet mixtum imperium, cujus præsertim est propria in integrum restitutio. Atque hi quidem concedunt in integrum restitutionem, quam ordinariam dicimus, quæ scilicet ab ipsa lege, atque intra certum tempus, puta intra quadriennium, tribuitur. Nam extra ordinem, hoc est, præter scripti juris imperium, uti fit in transactionibus, et similibus, lapsoque tempore à lege constituto, solus Princeps restituit.

(1) Confer Cujacium in cod. l. 4 tit. 46 opp. t. 10 colun. 862 ed. cit.

(2) L. 26 ff. ad Municip. Vide Scipionem Gentilem de Jurisdict. l. 1 c. 32 opp. t. 3 p. 96 seq. ed. Neap. 1764. Verum jure Codicis etiam Municipales Magistratus in integrum restituere posse, censet Oddus de Restit. in integr. par. 1 qu. 32 art. 4.

6. Magistratus adversus suam, aut judicis inferioris, parisve potestatis sententiam restituit; inferior autem Magistratus contra superioris sententiam restituere non potest (1). Nostris moribus, Judex ordinarius, qui in urbe principe jus reddit, quique ex omnibus provinciis appellatur, in integrum restituit adversus judicata Magistratuum provincialium, et municipalium; sed contra ipsius judicatum à Principe in integrum restitutio conceditur. Alicubi mos est, ut propter incidentia in lite, à judice ordinario, cum vero agitur de præcipuo negotio, veluti de contractibus, transactionibus, hæreditatum aditionibus, aut repudiationibus, præscriptionibus, rebus judicatis, ceterisque similibus, non nisi à Principe, vel ab eo, cui data hæc potestas à Principe est, restitutio tribuatur (2).

(1) Consule Cujacium l. c., et in L. 16 ff. de Minor. 25 an. opp. t. 1 col. 863 ed. cit. et Donellum de Jur. civil. l. 11 c. 14 §. 3 opp. t. 5 col. 1243 seq. ed. Lucæ cit.

(2) Vide Voetum in Pandect l. 4 tit. 1 n. 3 et 4.

7. Petita in integrum restitutione, omnia in suo statu manere debent, donec res finita fuerit (1); et ideo latæ sententiæ executio suspenditur, perinde ac appellatio interposita fuisset (2). Ea vero inde impetrata, omnia ad pristinum statum vocantur; læsio removetur, et quæ sua sunt, unusquisque recuperat (3). Nam restitutio prodest non tantum illi, qui eam impetrat, sed etiam illi, contra quem conceditur, quoniam utrique suum tribuendum est. Sed qui rem recuperat, solvere debet impensas quas alter in rem fecit (4).

(1) L. unic. cod. in Integr. restit. postul. ne quid novi fiat.
(2) Cap. 6 de In integr. restit.
(3) L. 25 §. Restitutio ff. de Minor.
(4) Cap. 1 de In integr. restit., c. 11 de Reb. eccles. alien.—* L. 2 tit. 25 *Part. III.*

8. Etiam à supplicatione Principi oblata, quam et *revisionem* appellamus (1), adjuvantur ii, qui appellationis remedio uti nequeunt. Quæ supplicatio diei potest querela adversus molestiam, sive gravamen judicis, à cujus sententia, propter ejus excellentiam statuto, aut Principis constitutione, appellare non licet (2). Ea vero si proponatur intra decem dies post latam sententiam, efficit, ut eadem sententia non aliter exitum habeat, nisi victor fidejussionem præbuerit tantum restituendi cum ultimis augmentis, quantum fuerit in condemnatione, si sententia revocetur (3). Elapso quoque decennio recte intra biennium hæc supplicatio proponitur; sed tunc nulla cautione opus est, ac sententia statim vim, et exitum habet (4).

(1) Multi supplicationem à revisione distinguunt, et hanc illi quidem affinem, non omnino similem faciunt. Confer Benderum de Revision. in proœm. n. 18 et seq., et Hilligerum ad Donellum de Jur. civil. l. 28 c. 6 §. 15 not. 22 t. 6 col. 418 et 419 ed. Lucæ cit.
(2) L. unic. cod. de Sentent. præfect. prætor.
(3) Auth. Quæ supplicatio cod. de Præcib. Imper. offeren., quæ Authentica sumpta est ex Novell. 119 c. 5. Vide Cujacium in cod. de Sentent. Præfect. Prætor. opp. t. 9 col. 939 ed. cit. Sed jam plerisque in locis fori usu receptum est, ut supplicatio intra dies decem Principi oblata sententiæ executionem suspendat, neque ulla habeatur ratio cautionis de restituendo, quam forte victor emittere velit.
(4) Consule Voetum ad Pandect. l. 49 tit. 2, qui ea de re copiose disputat.
* In Hisp. *supplicatio* fit coram Reg. Auditoriis: tit. 21 lib. 11 *Novis. Compilat.*

9. Quemadmodam vero qui causa cecidit, judicium antea gestum infirmari postulat, ita qui superior discessit, illi vim majorem sæpe addendam curat, quod fit potisimum Apostolicæ Sedis confirmatione. Agunt ea de re Decretales in titulo *de Confirmatione utili, vel inutili.* Apostolica hæc confirmatio, cum facta est causa cognita, præcidit omnem controversiam; adeo ut res à Summo Pontifice confirmata amplius in discrimen revocari non possit. Contra vero si edita est re non cognita, atque *in forma communi*, ut ajunt, ea quidem impedimento non est, quominus judex rem noscat; quia confirmatio conditionem habet, modo justa sit sententia, de qua quærebatur (1).

(1) Cap. 1 ibique Glossa v. Confirmationem, et c. 2, et c. 7 de Confirmat. util. vel inutil. c. 5 de Concess. præben. c. 14 de offic. et potest. delegat.

10. In primis autem curandum est, ut à Pontificia confirmatione procul absit omne obreptionis, aut subreptionis vitium; scilicet, ea non est impetranda aut falsa narrando, aut vera malitiose reticendo (1). Quod merito transfertur etiam ad cetera Apostolicæ Sedis mandata, decreta, confirmationes, quæ, cum in iis obreptio, aut subreptio inest, vim nullam habent. Hodie de vi, aut justitia privilegii, mandati, aut confirmationis Sedis Apostolicæ disputari non solet, nisi primum ab ipso Pontifice *oris*, ut vocant, *aperitio* fuerit impetrata.

(1) Cap. 1 et 2 de Confirmat. ult. vel inutil.

TITULUS XVII.

DE ARBITRIS.

1. PER ARBITROS, ET TRANSACTIONES LITES TOLLUNTUR.—2. QUI ARBITER?—3. ARBITER, VEL NECESSARIUS, VEL VOLUNTARIUS.—4. QUIBUS IN REBUS NECESSARII ARBITRI ASSUMANTUR?—5. ARBITRI VOLENTARII NULLAM HABENT JURISDICTIONEM.—6. SENTENTIA AB ARBITRO LATA, QUAM VIM HABEAT?—7. QUI ARBITRI ESSE POSSINT?—8. UNUS NE, AN PLURES ARBITRI ELIGENDI?—9. QUOMODO PLURES ARBITRI JUDICARE DEBEANT; ET QUID AGENDUM, SI INTER SE DISSENTIANT?—10. QUANDO ARBITRI COGENDI AD FERENDUM JUDICIUM?—11. QUOMODO AB ARBITRIS JUDICANDUM?—12. QUÆ CAUSÆ REJICIANT ARBITRIUM?—13. ARBITRI JUDICIUM AD BONI VIRI ARBITRIUM QUANDO REDIGATUR?—14. QUIS ARBITRII EXECUTIONEM DECERNAT?—15. QUOMODO EXPIRENT ARBITRIA?

1.

FORENSEM strepitum, longasque, ac periculosas judiciorum ambages declinaturi, non raro controversias omnes arbitrorum fidei

(2) Vide Voetum in Pandect l. 4 tit. 1 n. 3 et 4.

7. Petita in integrum restitutione, omnia in suo statu manere debent, donec res finita fuerit (1); et ideo latæ sententiæ executio suspenditur, perinde ac appellatio interposita fuisset (2). Ea vero inde impetrata, omnia ad pristinum statum vocantur; læsio removetur, et quæ sua sunt, unusquisque recuperat (3). Nam restitutio prodest non tantum illi, qui eam impetrat, sed etiam illi, contra quem conceditur, quoniam utrique suum tribuendum est. Sed qui rem recuperat, solvere debet impensas quas alter in rem fecit (4).

(1) L. unic. cod. in Integr. restit. postul. ne quid novi fiat.
(2) Cap. 6 de In integr. restit.
(3) L. 25 §. Restitutio ff. de Minor.
(4) Cap. 1 de In integr. restit., c. 11 de Reb. eccles. alien.—* L. 2 tit. 25 *Part. III.*

8. Etiam à supplicatione Principi oblata, quam et *revisionem* appellamus (1), adjuvantur ii, qui appellationis remedio uti nequeunt. Quæ supplicatio diei potest querela adversus molestiam, sive gravamen judicis, à cujus sententia, propter ejus excellentiam statuto, aut Principis constitutione, appellare non licet (2). Ea vero si proponatur intra decem dies post latam sententiam, efficit, ut eadem sententia non aliter exitum habeat, nisi victor fidejussionem præbuerit tantum restituendi cum ultimis augmentis, quantum fuerit in condemnatione, si sententia revocetur (3). Elapso quoque decennio recte intra biennium hæc supplicatio proponitur; sed tunc nulla cautione opus est, ac sententia statim vim, et exitum habet (4).

(1) Multi supplicationem à revisione distinguunt, et hanc illi quidem affinem, non omnino similem faciunt. Confer Benderum de Revision. in proœm. n. 18 et seq., et Hilligerum ad Donellum de Jur. civil. l. 28 c. 6 §. 15 not. 22 t. 6 col. 418 et 419 ed. Lucæ cit.
(2) L. unic. cod. de Sentent. præfect. prætor.
(3) Auth. Quæ supplicatio cod. de Præcib. Imper. offeren., quæ Authentica sumpta est ex Novell. 119 c. 5. Vide Cujacium in cod. de Sentent. Præfect. Prætor. opp. t. 9 col. 939 ed. cit. Sed jam plerisque in locis fori usu receptum est, ut supplicatio intra dies decem Principi oblata sententiæ executionem suspendat, neque ulla habeatur ratio cautionis de restituendo, quam forte victor emittere velit.
(4) Consule Voetum ad Pandect. l. 49 tit. 2, qui ea de re copiose disputat.
* In Hisp. *supplicatio* fit coram Reg. Auditoriis: tit. 21 lib. 11 *Novis. Compilat.*

9. Quemadmodam vero qui causa cecidit, judicium antea gestum infirmari postulat, ita qui superior discessit, illi vim majorem sæpe addendam curat, quod fit potisimum Apostolicæ Sedis confirmatione. Agunt ea de re Decretales in titulo *de Confirmatione utili, vel inutili.* Apostolica hæc confirmatio, cum facta est causa cognita, præcidit omnem controversiam; adeo ut res à Summo Pontifice confirmata amplius in discrimen revocari non possit. Contra vero si edita est re non cognita, atque *in forma communi*, ut ajunt, ea quidem impedimento non est, quominus judex rem noscat; quia confirmatio conditionem habet, modo justa sit sententia, de qua quærebatur (1).

(1) Cap. 1 ibique Glossa v. Confirmationem, et c. 2, et c. 7 de Confirmat. util. vel inutil. c. 5 de Concess. præben. c. 14 de offic. et potest. delegat.

10. In primis autem curandum est, ut à Pontificia confirmatione procul absit omne obreptionis, aut subreptionis vitium; scilicet, ea non est impetranda aut falsa narrando, aut vera malitiose reticendo (1). Quod merito transfertur etiam ad cetera Apostolicæ Sedis mandata, decreta, confirmationes, quæ, cum in iis obreptio, aut subreptio inest, vim nullam habent. Hodie de vi, aut justitia privilegii, mandati, aut confirmationis Sedis Apostolicæ disputari non solet, nisi primum ab ipso Pontifice *oris*, ut vocant, *aperitio* fuerit impetrata.

(1) Cap. 1 et 2 de Confirmat. ult. vel inutil.

TITULUS XVII.

DE ARBITRIS.

1. PER ARBITROS, ET TRANSACTIONES LITES TOLLUNTUR.—2. QUI ARBITER?—3. ARBITER, VEL NECESSARIUS, VEL VOLUNTARIUS.—4. QUIBUS IN REBUS NECESSARII ARBITRI ASSUMANTUR?—5. ARBITRI VOLENTARII NULLAM HABENT JURISDICTIONEM.—6. SENTENTIA AB ARBITRO LATA, QUAM VIM HABEAT?—7. QUI ARBITRI ESSE POSSINT?—8. UNUS NE, AN PLURES ARBITRI ELIGENDI?—9. QUOMODO PLURES ARBITRI JUDICARE DEBEANT; ET QUID AGENDUM, SI INTER SE DISSENTIANT?—10. QUANDO ARBITRI COGENDI AD FERENDUM JUDICIUM?—11. QUOMODO AB ARBITRIS JUDICANDUM?—12. QUÆ CAUSÆ REJICIANT ARBITRIUM?—13. ARBITRI JUDICIUM AD BONI VIRI ARBITRIUM QUANDO REDIGATUR?—14. QUIS ARBITRII EXECUTIONEM DECERNAT?—15. QUOMODO EXPIRENT ARBITRIA?

1.

FORENSEM strepitum, longasque, ac periculosas judiciorum ambages declinaturi, non raro controversias omnes arbitrorum fidei

dijudicandas committimus, aut initis mutuo consensu pactis, et transactionibus sedamus, atque componimus. Itaque posteaquam de judiciis actum est, aliqua etiam de arbitris, et aliqua item de pactis, et transactionibus addenda sunt.

2. Arbiter in libris juris civilis sæpe est judex à Prætore datus (1); sed tamen distinguitur ab eo, quem proprie judicem appellamus (2). Qui bonæ fidei judiciis datur, arbiter, qui stricti juris, judex est; uterque constituitur à Magistratu, qui dati ab se judicis, aut arbitri sententiam exequitur (3). Nobis hoc loco arbiter est judex ad cognoscendam, finiendamque controversiam litigantium voluntate constitutus, sive id ipse legis imperio fecerint, sive sponte sua (4).

(1) L. 5 cod. Commun. div.
(2) L. 7 ff. ad L. Jul. repet., L. 15 ff. de Re judic. §. 1 Inst. de Act.
(3) L. 15 cit. ff. de Re judic. Confer Brissonium de Verb. signific. v. Arbiter.
(4) *Arbiter* ab eo distinguitur, quem nos *arbitratorem* vocamus, quod quidem vocabulum Jus Civile ignoravit, rem tamen ipsam recte novit. Arbitrator autem dicitur, qui sine ulla judicii forma ex æquo, et bono lites suo consilio, et auctoritate studet componere: L. 14 §. Recepisse ff. de Recept. qui arbitr. recep., vel conventiones, aliaque ad finem bonum perducit, adhibeturque in contractibus, ut rerum pretia, mercedem operarum, lucrum, aut damnum, ceteraque similia boni viri arbitrio constituat: L. 70 §. Gener. ff. de Jur. dot. L. 76, 77, 78, 79 ff. Pro socio, §. 1 Inst. de Locat. §. 2. Inst. de Empt. L. ult. cod. de Contrahen. empt. Confer Cujacium in l. 4 qu. Pauli L. 77 opp. t. 5 col. 966 seq.—'V. huj. tom pag. 27, N. S.'

3. Nam alii sunt arbitri, quos ipsi quidem litigantes sumunt, sed legis jussu, et alii sunt, quos ipsi suo arbitrio, ac libera voluntate constituunt; et hi *voluntarii*, illi vero *necessarii* appellantur (1). Arbitri necessarii veri judices sunt, quoniam dantur à lege, vel Principe, vel Magistratu, qui eos eligere cogunt; ideoque habent jurisdictionem, eorumque sententia vim accipit rei judicatæ, ab eaque appellatur (2). Retinent tamen nomen arbitrorum, quoniam mutuo partium consensu eliguntur, ut arbiter pro socio, tutelæ (3).

(1) Arbitri libera litigantium voluntate electi, proprie compromissarii, legis autem imperio constituti, juris arbitri dicuntur. Atque hi quidem originem ducunt à judicibus, qui olim dabantur in negotiis bonæ fidei, partium voluntate electi L. 17 ff. de Judic., qui ex æquo, et bono arbitrari de lite poterant, et quorum in Jure Romano sæpe mentio est L. 7 ff. de Negot. gest. L 1 ff. de Pact. dotal. L. 47 ff. Famil. ercisc. Quin etiam hi dabantur ad articulos incidentes definiendos, veluti ad probandos fidejussores, à quibus etiam appellari poterat, cum instar judicum pedaneorum essent L. 9 ff. Qui satisd. cogan.
(2) L. 9 ff. Qui satisd. cogan., L. 23 ff. de Appell. c. 11 de offic. deleg. in 6.
(3) Consule Cujacium in L. 16 cod. de Judic. opp. t. 9 col. 138 ed. cit.

4. Plura autem negotia sunt, quæ leges ab his arbitris expediri volunt. Ita jure civili, si delegati judices suspecti habeantur, eligendi sunt arbitri, qui ipsam principem causam dijudicent (1); itemque jure canonico, cum judices super revocatione Literarum Apostolicarum inter se non consentiunt (2), aut cum datus judex suspectus est, arbitri constituuntur (3). In Africana Ecclesia eligi debebant arbitri, qui noscerent appellationes à sententia synodi provincialis (4); et nunc jure municipali quarumdam regionum sancitum est, ut eorum, qui inter se certo cognationis gradu conjunguntur, lites arbitrorum judicio committantur.

(1) L. 16 cod. de Judic.
(2) Cap. 11 de offic. et potest. delegat in 6.
(3) Cap. 39 de offic. et potest. deleg., c. 14 de Rescript. c. 41 §. 2, et c. 61 de Appellat. c. 4 de For. competen.
Notandæ hæ *Decretalium* sanctiones, in queis judicis *recusatio* stabilitur et ordinatur.'
(4) Can. 69 cod. African. apud Dionysium Exiguum in Biblioth. Justelli t. 1 p. 382.

5. Arbitri voluntarii nullam habent jurisdictionem, sed tantum notionem, nec proprie judices sunt, quos privatorum consensus facere non potest (1); sed tantum ex compromisso judicis partes suscipiunt (2). Compromissum est conventio, qua litigantes controversiam alicujus judicio subjiciunt, spondentque, se arbitri sententiæ parituros (3). Accepta ab arbitrio conventio *receptum* dicitur (4). Hoc autem promittunt litigantes vel mutua stipulatione, vel nudo pacto, et interdum etiam pro eorum arbitrio adjecta pœna, per quam ipsi firmiori vinculo obstringuntur.

(1) L. 5 cod. de Jurisdict.
(2) L. 14 §. 2 ff. de Recept. qui arbitr. recept.
(3) L. 11 §. 2 ff. eod., c. 10 de Arbitr.
(4) L. 23 §. 2 ff. eod., c. 4 de Arbitr.

6. Antiquo jure etiam jurisjurandi religione compromittentes suam obligabant fidem; tum id vetuit Justinianus (1); sed jure canonico recte emittitur jusjurandum, et emissum valet (2).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cum compromisso adjecta pœna est, quæ adjicitur, et omittitur arbitrio litigantium (3), tum civili, tum canonico jure locus est petitioni pœnæ, non exceptioni rei judicatæ, quam arbitrium minime parit (4); cum pœna est omissa, *incerti actio* à jure civili comparata est (5). Justiniani lege (6) si pactum sine pœna est *arbitri sententiæ stari*, et litigantes aut sententiam subscripserint, aut decem dierum silentio confirmaverint, reo pacti exceptio, actori in factum actio conceditur. Sed hodie sublatis jam civilis juris subtilitatibus, quodvis compromissum, etiam nudo pacto initum, actionem, et exceptionem parit. Nam passim recepta sententia est, etiam ex nudo pacto actionem, et exceptionem oriri; sive id ex jure canonico, aut potius ex ejus interpretatione in mores traductum fuerit, sive quod labentibus annis grave, et absurdum visum fuerit, etiam in nudis pactis fidem fallere (7).

(1) Auth. Decernit cod. de Recept. et arbitr., Novell. 82 c. 11 §. 1.
(2) Cap. 2 de Arbit.
(3) L. 32 §. ult. ff de Recept., c. 9 de Arbitr.
(4) L. 2 ff. de Recept., c. 9 de Arbitr.
(5) L. 32 §. ult. ff. de Recept.
(6) L. 5 cod. de Recept. et arbitr.
(7) Confer Gudelinum de Jur. novissim. l. 3 c. 5 n. 8 et seq., Vinnium de Pactis c. 7, Voetum ad Pandect. l. 2 tit. 14 n. 9., Grotium Manud. ad jurispr. Holland. l. 3 c. 1.

7. Omnes, qui judices, ii ferme arbitri esse possunt, sive sint privati homines, sive magistratus (1), judicesve ordinarii, aut delegati (2). Quin etiam ab hoc officio non repelluntur infames, et libertini (3), filii quoque causam patris cognoscere non prohibentur (4). Haud tamen arbitri constitui possunt servi, pupilli, furiosi, amentes, et similes (5), minores annis viginti (6), itemque ex jure civili mulieres (7); quamquam eis jus canonicum arbitrium permittat, si lege, aut moribus ordinariam habeant jurisdictionem (8). Laici quoque in rebus spiritualibus arbitri esse nequeunt (9); nisi cum Episcopi auctoritate clericis sint adjuncti, aut jussi à Summo Pontifice arbitrium susceperint (10); denique excommunicati vitandi, quorum societatem refugimus, arbitri munere fungi non possunt.

(1) L. 3 et 4 ff. de Recept. arbitr. qui arbitr.
(2) Inquit Ulpianus in L. 9 ff. eod. non posse judicem *arbitrium recipere ejus rei, de qua judex est.* Sed civili juri à Canonico derogatum plerique sentiunt. Utut sit, certe jure Canonico tum ordinarii, tum delegati judices arbitri esse possunt, uti patet ex c. 5, 7, 10 de Arbitris, et c. 14 de Præsumpt.

(3) L. 7 ff. de Recept. arbitr. qui arbitr., can. 2 §. cognitores c. 3 qu. 7.
(4) L. 6 ff. eod.
(5) L. 9 ff. de Recept. arbitr. qui arbitr. recep.
(6) L. 46 ff. eod. Late ea de re disputat Voetus ad Pandect. l. 4 tit. 8 n. 7.
(7) L. ult. cod. de Recept. et arbitr.
(8) Cap. 4 de Arbitr. Cujus historiam tradit Mantique Annal. Cisterciens. t. 3 an. 201 c. 5. Confer etiam Cujacium Observ. l. 13 c. 25 opp. t. 3 col. 348 ed. cit.
(9) Cap. 8 de Arbitris.
(10) Cap. 9 eod.

8. Tam unus, quam plures arbitri constitui possunt, iique tum pares, tum impares numero; licet satius sit impares numero eligere, ut hoc modo, si disentiant, ratum firmum habeatur quod à pluribus definitum fuerit (1). Nam scitum est, quod cum omnium, qui judices dati sunt, sententiæ inter se non conveniunt, litem finit judicium, quod plures numero ediderunt; cum autem cuncti sunt opinione discordes, præfertur sententia ejus, qui minorem summam constituit, quoniam summa minor in majori continetur, ideoque omnes in eam consenserunt (2).

(1) Cap. 1 de Arbitris.
(2) Cap. 1 eod. in 6, L. 32 § Si plures ff. de Recept. arbitr. qui arbitr.

9. Jure civili, cum plures arbitri electi sunt, omnes conjunctim judicare debent; nisi cautum nominatim sit, ut uno absente, reliqui negotium expediant (1). At jure canonico, si unus citatus, nec impeditus adesse nolit, recte præsentes controversiam finiunt (2); quod rectissime sancitum est, ut lites exitum habeant celeriorem. Quod si duo arbitri constituti sint, iique inter se in judicando dissentiant, secundum jus civile tertius sumitur in compromisso designatus; sed eo non designato, solvitur compromissum, quoniam in hoc tertio eligendo arbitri dissentire possunt (3). Sed hodie semper duobus arbitris, quorum est dissimile judicium, integrum est tertium, etiam non nominatum, sumere, qui litem finiat; modo litigantes expresse non contradicant (4); quod juris canonici disciplinæ consentaneum est (5).

(1) L. 19 §. Item, et L. 20 et 21 ff. de Recept. arbitr.
(2) Cap. 2 de Arbitris in 6.
(3) L. 19. Si in duos ff. de Recept. arbitr.
(4) Arbitris dissentientibus posse litigantes à compromisso resilire certum est, cum id eis à lege permittatur. Itaque si litigantes testationibus suis denuncient, ne tertius eligatur, aut ne sententiam dicat, non intelligo, quomodo hic tertius, in quem nunquam litigantes consenserunt, arbiter efficia-

tur; cum nemo sine partium voluntate satis idoneus arbiter esse possit. Consule Voetum ad Pandect. l. 4 tit. 8 n. 15.

(5) Cap. 61 de Appellat.

10. Arbitri judicium sponte suscipiunt, quoniam, ut eleganter inquit Ulpianus (1), hæc res libera, et soluta est, et extra necessitatem jurisdictionis posita. Sed quod initium voluntarium erat, fit postea necessarium; quoniam qui arbitrium susceperunt, videntur suam obligasse fidem, quam eos liberare oportet. Itaque arbitri semel suscepto munere omnino fungi debent, et repugnantes coguntur imperio magistratus (2); nisi justam habeant causam, propter quam sui officii partibus non satisfacere impune posint. Ita si litigantes arbitrum infamaverint, aut eo spreto, et contempto, ad alium arbitrum iverint, si graves inter ipsos inimiciliæ ortæ sint, impune arbitrium abjicitur; similiter adversa valetudo, necessaria profectio, munus reipublicæ, aliaque similia justam præbent abjiciendi, aut saltem differendi arbitrii causam (3).

(1) L. 3 § 1 de Recept. qui arbitr.
(2) L. 3 § 1 cit., et L. 22 ff. eod.
(3) Confer Huberum Prælect. ad Pandect l. 4 tit. 8 n. 7, et Heineccium eod. loc. §. 540 opp. t. 2 p. 135 ed. Neap. 1769.

11. Pendet autem ex indole præsertim, et ratione compromissi, quo modo, quove ordine procedere, quam potestatem habere, quam contra non habere, quot numero esse, intra quod tempus, et quibus de rebus arbitri judicare debeant (1). Generatim ferenda est ab arbitris sententia loco, in quem compromissum fuit (2); die non feriato (3); tempore convento, nisi litigantes nullum tempus definiverint, vel ejus prorogandi arbitris dederint facultatem, vel arbitri jurent, sibi nondum liquere (4); partibus præsentibus publicanda est (5), nisi aliud populorum moribus receptum sit; denique ferenda est de negotio, quod datum fuit, non de alio (6); et si plura negotia commissa sunt, de omnibus est judicandum (7). Possunt quoque arbitri alios eligere, qui controversiam definiant, cum hanc potestatem à litigantibus acceperunt (8), non item cum ea de re nihil actum est (9).

(1) Confer cap. 1 et 12 de Arbitris.
(2) L. 27 §. Si arbiter ff. de Recept. qui arbitr. receper.
(3) L. 2 et 7 eod., et L. 41 ff. de Recept. qui arbitr.
(4) L. 14 L. 50 L. 58 L. 55 ff de Recept. qui arbitr. recep.
(5) L. 32 §. Si quis ff. eod.

(6) L. 57 §. de Officio ff. cod.
(7) Id vero plenum compromissum appellatur L. 25, et L. 27 §. Plenum ff. eod.
(8) Cap. 15 de Arbitris.
(9) L. 57 §. Quæsitum ff. de Recept. qui arbitr. receper.

12. Non in omnibus tamen causis arbitri adhiberi possunt, sed in iis tantum, quæ privati arbitrii sunt; quoniam per simplicem arbitri notionem expediri non possunt, quæ ad jus publicum pertinent, et publicam auctoritatem desiderant. Ergo rejiciunt arbitrium causæ restitutionis in integrum, criminales, in quibus criminaliter agitur, item causæ status, scilicet ingenuitatis, natalium, libertatis (1), actiones populares, et famosæ (2), similiter causæ matrimoniales (3); quippe quæ omnes vires superant privatæ potestatis. Etiam causæ exemptionum, quod in iis agitur de Jure Summi Pontificis, per compromissum nosci, expedirique non posunt (4).

(1) L. 57 §. Julianus de Recept. qui arbitr. recep. L. ult. cod. Ubi et apud quem cognosc restit. in integr. c. 9 de In integr. restit.
(2) L. 57 § Julianus ff. de Recept. qui arbitr. recep.
(3) Cap. penult. de In integr. restit. Votum sponsalia *de futuro* non rejiciunt compromissum, quoniam ea mutuo consensu dissolvuntur. Cap. 2 de Sponsal
(4) Cap. 5 de Arbitris.

13. Arbitri pronunciatio sententia proprie non est, sed à jurisconsultis arbitrium (1), passim vero fori usu *laudum* vocatur (2). Ab eo non datur appellatio, quoniam absurdum esset diuturna lite vexare eos, qui ad arbitros iverunt, ut se à litium ambagibus, et impensis liberarent; arguere vero semetipsum debet qui compromisit, si minus æquum judicem elegit (3). Verum ut sententiæ ab arbitro prolatæ iniquitas, atque error emendetur, passim in foro receptum est, ut illa ad arbitrium boni viri redigatur. Quam *reductionem* intra decem dies postulat, qui causa cecidit, atque ita vim, et cursum sententiæ suspendit (4). Magnam autem hæc *reductio* cum appellatione affinitatem habet, ac per eam negotia arbitris antea commissa ad ordinarium judicem deferuntur.

(1) L. 9 ff. Qui satisd. cog.
(2) Inferiori latinatis ævo *judicare* dictum est *laudare*. In l. 2 de Feudis c. 20 scriptum est: *laudatum sæpe scio*, hoc est, *judicatum*. Consule Hotomannum de verb. Feudal. Turnebus Advers. l. 14 c. 12 vehementer objurgat jurisconsultos, quod barbaro *laudi* vocabulo utantur, cum arbitri senten-

tia *arbitrum* latine dicatur. Verum hoc quidem est, quod Turnebus dicit de barbarie vocabuli *laudi*; sed elegantiores jurisconsulti *arbitrii* verbo usi sunt, et ita sane loquitur Cajus cit. L. 9 ff. Qui satisd. cog.

(3) L. 32 § Stari ff. de Recept. qui arbitr.
(4) Confer Voetum in Pandect. l. 4 tit. 8 n. 25 et seq.

14. Ceterum cum arbitri voluntarii nullam habeant jurisdictionem, eorum arbitrium vim, et exitum non habet, nisi præsto sit auctoritas Magistratus, seu Judicis ordinarii, cujus imperio arbitrii executio perficitur. Hoc autem imperium ad illud exequendum non accomodat Magistratus, nisi primum re cognita intelligat, dignum revera esse arbitri judicium, quod à litigantibus observetur.

15. Expirant arbitria mutuo consensu, morte compromittentium, nisi etiam hæredum facta sit mentio (1), uno alterove ex arbitris mortuo (2), nisi cautum compromisso sit, ut uno ex arbitris vita functo, reliqui judicent (3); lata sententia, interitu rei, de qua litigatur, lapso tempore constituto, nisi illud justis de causis, uti demonstratum supra est, prorogatum fuerit.

(1) Cap. 10 et ult. de Arbitr.. L. 32 §. Si heredis ff. de Recept. arbitr.
(2) Cap. 50 de Testibus.
(3) Cap. 42 de Offic. et potest. delegat.

* De *Arbitris* jure Hisp., vid. ll. tit. 4 *Partitæ III*; 4 tit. 17 lib. 11 *Novis. Compilat.*; Doct. Jo. Sala opus *Ilustracion del Derecho Real de España*, lib. 5 tit. 2, nn. 28 ad 40.*

TITULUS XVIII.

DE PACTIS ET TRANSACTIONIBUS.

1. QUID PACTUM?—2. PACTI LIBERATORII EXEMPLA.—3. PACTA SACRIS CANONIBUS NON PROBATA.—4. PACTA OBSERVANDA.—5. TRANSACTIO, QUID?—6. UT EA VALEAT, QUÆ REQUIRANTUR?—7. EFFECTUS TRANSACTIONIS.—8. QUI TRANSIGERE POSSINT?—9. QUIBUS DE REBUS TRANSACTIO FIERI NEQUEAT?

1.

Non solum arbitris, sed etiam pacto, et transactione lites finiri possunt. Pactum ab Ulpiano definitur (1) duorum, vel plurium in idem placitum consensus: patetque latissime in jure de pactis disputatio. Nos hoc titulo non de pactis universe agimus, sed illud tantum persequimur genus pactorum, quibus lis extinguitur, et quæ vulgo *liberatoria pacta* appellantur.

(1) L. 1 ff. de Pactis.

2. Pacti liberatorii in jure civili multa exempla sunt (1), atque illud prodest ad exceptionem, quæ vel pacti conventi exceptio, vel exceptio doli dicitur, quoniam dolo agit, qui contra pacti fidem agit (2). Jure quoque canonico cautum, et provisum est, ut pacta diligenter observentur, adhibita etiam, ubi opus fuerit, judicis auctoritate (3); modo pactum honestum, licitum, possibile sit (4), jus tertii non lædat (5), fiatque ab iis, qui paciscendi obtinent potestatem.

(1) *Si paciscar, ne judicati, vel incesarum ædium agatur, pactum valet. Si paciscar, ne operis novi nunciationem exequar. . . . . si ex re familiari operis novi nunciatio sit facta, liceat pacisci.* Sunt hæc liberatorii pacti exempla, quæ proponit Ulpianus in L. Juris gentium 7 §. Si paciscar ff. de Pactis. Simile est exemplum Pauli in L. 27 §. Si cum mihi ff. eod. cujus hæc verba sunt: *si cum mihi decem deberes, pepigero, ne à te viginti petam, in decem tibi prodesse pacti conventi, vel doli exceptionem placet.*
(2) *Doli exceptionem subsidium esse pacti exceptionis*, inquit Ulpianus L. 10 §. Plerumque ff. de Pactis.
(3) Cap. 1 et 3 de Pactis.
(4) Cap. 4, 5, ult. eod.
(5) Cap. 7 eod., c. 2 eod. in 6.

* V. notissimam in Hisp. leg. 1 tit. 1 lib. 10 *Novis. Compilationis*, quæ ex quolibet pacto honesto, ac serio inito obligationem inducit.*

3. Pacta quæ sacris canonibus nominatim improbantur, sunt pactum de beneficio ecclesiastico pecunia, aut alia re pretio æstimari solita resignando (1); de concedenda ecclesia ea lege, ut post obitum provisi alius sucedat (2); de solvenda graviori pensione, ut quis facilius ecclesiam obtineat (3); pactum, quo monachi aliis sua bona locant, ut hi aut decimas sibi solvant, aut apud eosdem eligant sepulturam in perniciem ecclesiæ parochialis (4).

(1) Cap. 4 de Pactis.
(2) Cap. 5 eod.
(3) Cap. 6 eod.
(4) Cap. 7 eod.

4. Cetera pacta, quæ non bonis moribus adversantur, non res impossibiles, turpesve continent, non in animæ detrimentum vergunt, postremo, quibus nihil jure obstat, custodienda, observandaque diligenter sunt. Hinc privilegiis etiam, quæ privatim sua, et propria sunt, abdicare se unusquisque potest (1); valet-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tia *arbitrum* latine dicatur. Verum hoc quidem est, quod Turnebus dicit de barbarie vocabuli *laudi*; sed elegantiores jurisconsulti *arbitrii* verbo usi sunt, et ita sane loquitur Cajus cit. L. 9 ff. Qui satisd. cog.

(3) L. 32 § Stari ff. de Recept. qui arbitr.
(4) Confer Voetum in Pandect. l. 4 tit. 8 n. 25 et seq.

14. Ceterum cum arbitri voluntarii nullam habeant jurisdictionem, eorum arbitrium vim, et exitum non habet, nisi præsto sit auctoritas Magistratus, seu Judicis ordinarii, cujus imperio arbitrii executio perficitur. Hoc autem imperium ad illud exequendum non accomodat Magistratus, nisi primum re cognita intelligat, dignum revera esse arbitri judicium, quod à litigantibus observetur.

15. Expirant arbitria mutuo consensu, morte compromittentium, nisi etiam hæredum facta sit mentio (1), uno alterove ex arbitris mortuo (2), nisi cautum compromisso sit, ut uno ex arbitris vita functo, reliqui judicent (3); lata sententia, interitu rei, de qua litigatur, lapso tempore constituto, nisi illud justis de causis, uti demonstratum supra est, prorogatum fuerit.

(1) Cap. 10 et ult. de Arbitr.. L. 32 §. Si heredis ff. de Recept. arbitr.
(2) Cap. 50 de Testibus.
(3) Cap. 42 de Offic. et potest. delegat.

* De *Arbitris* jure Hisp., vid. ll. tit. 4 *Partitæ III*; 4 tit. 17 lib. 11 *Novis. Compilat.*; Doct. Jo. Sala opus *Ilustracion del Derecho Real de España*, lib. 5 tit. 2, nn. 28 ad 40.*

TITULUS XVIII.

DE PACTIS ET TRANSACTIONIBUS.

1. QUID PACTUM?—2. PACTI LIBERATORII EXEMPLA.—3. PACTA SACRIS CANONIBUS NON PROBATA.—4. PACTA OBSERVANDA.—5. TRANSACTIO, QUID?—6. UT EA VALEAT, QUÆ REQUIRANTUR?—7. EFFECTUS TRANSACTIONIS.—8. QUI TRANSIGERE POSSINT?—9. QUIBUS DE REBUS TRANSACTIO FIERI NEQUEAT?

1.

Non solum arbitris, sed etiam pacto, et transactione lites finiri possunt. Pactum ab Ulpiano definitur (1) duorum, vel plurium in idem placitum consensus: patetque latissime in jure de pactis disputatio. Nos hoc titulo non de pactis universe agimus, sed illud tantum persequimur genus pactorum, quibus lis extinguitur, et quæ vulgo *liberatoria pacta* appellantur.

(1) L. 1 ff. de Pactis.

2. Pacti liberatorii in jure civili multa exempla sunt (1), atque illud prodest ad exceptionem, quæ vel pacti conventi exceptio, vel exceptio doli dicitur, quoniam dolo agit, qui contra pacti fidem agit (2). Jure quoque canonico cautum, et provisum est, ut pacta diligenter observentur, adhibita etiam, ubi opus fuerit, judicis auctoritate (3); modo pactum honestum, licitum, possibile sit (4), jus tertii non lædat (5), fiatque ab iis, qui paciscendi obtinent potestatem.

(1) *Si paciscar, ne judicati, vel incesarum ædium agatur, pactum valet. Si paciscar, ne operis novi nunciationem exequar. . . . . si ex re familiari operis novi nunciatio sit facta, liceat pacisci.* Sunt hæc liberatorii pacti exempla, quæ proponit Ulpianus in L. Juris gentium 7 §. Si paciscar ff. de Pactis. Simile est exemplum Pauli in L. 27 §. Si cum mihi ff. eod. cujus hæc verba sunt: *si cum mihi decem deberes, pepigero, ne à te viginti petam, in decem tibi prodesse pacti conventi, vel doli exceptionem placet.*
(2) *Doli exceptionem subsidium esse pacti exceptionis*, inquit Ulpianus L. 10 §. Plerumque ff. de Pactis.
(3) Cap. 1 et 3 de Pactis.
(4) Cap. 4, 5, ult. eod.
(5) Cap. 7 eod., c. 2 eod. in 6.

* V. notissimam in Hisp. leg. 1 tit. 1 lib. 10 *Novis. Compilationis*, quæ ex quolibet pacto honesto, ac serio inito obligationem inducit.*

3. Pacta quæ sacris canonibus nominatim improbantur, sunt pactum de beneficio ecclesiastico pecunia, aut alia re pretio æstimari solita resignando (1); de concedenda ecclesia ea lege, ut post obitum provisi alius sucedat (2); de solvenda graviori pensione, ut quis facilius ecclesiam obtineat (3); pactum, quo monachi aliis sua bona locant, ut hi aut decimas sibi solvant, aut apud eosdem eligant sepulturam in perniciem ecclesiæ parochialis (4).

(1) Cap. 4 de Pactis.
(2) Cap. 5 eod.
(3) Cap. 6 eod.
(4) Cap. 7 eod.

4. Cetera pacta, quæ non bonis moribus adversantur, non res impossibiles, turpesve continent, non in animæ detrimentum vergunt, postremo, quibus nihil jure obstat, custodienda, observandaque diligenter sunt. Hinc privilegiis etiam, quæ privatim sua, et propria sunt, abdicare se unusquisque potest (1); valet-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

que pactum juratum, quo mulier, cum nubit, accepta dote promittit, se nihil amplius ex paterna hæreditate petituram (2).

(1) Cap. 1 de Pactis in 6.
(2) Cap. 2 de Pactis in 6.

5. Sed litium dirimendarum causa plerumque utimur *transactione*, quæ species quædam est pacti, et interdum etiam pacti nomine appellatur (1). Proprie *transactio* initur de re dubia, ac lite incerta (2); atque aliquid datur, aut promittitur, ut litigantium alter litem deserat (3). Pactum autem pertinet ad res certas, atque, ut plurimum, nihil accepto, aut promisso conficitur.

(1) L. 28 §. 2 ff. de Pactis, L. 1 cod., L. 4 ff. de Jur. fisc.
(2) Transactionis, et pacti discrimen eleganter expressit Ulpianus in L. 1 ff. de Transact. his verbis: *Qui transigit, quasi de re dubia, et lite incerta, neque finita transigit; qui vero paciscitur donationis causa, rem certam, et indubitatam liberalitate remittit.*
(3) L. 38 cod. de Transact. Atque id quidem adeo late patere complures putant, ut eam statuant interpretationis regulam, si quando in libris juris pactum re aliqua data, aut promissa, aut retenta fieri dicitur, ut in L. 28 ff. de Pactis, L. 1 cod. de Pactis, L. 4 ff. de Jur. fisc., semper pactum pro transactione accipiendum esse. Sed qui ita sentiunt, vehementer errant. Transactio quidem nunquam est gratuita, sed pactum, et gratuito fit, ut in L. 1 ff. de Transact., et cum pretio, atque aliquo dato, ut in L. 41 ff. de Pact., et in L. 6 § Si quis, et § Qui jussu ff. de His qui notan. infam. Non igitur in L. 1 ff. de Transact., illa est adhibenda, quæ vulgo adhibetur, verborum interpunctio, *qui paciscitur, donationis causa rem certam etc.*, sed legendum est, ut Græci, et horum exemplo Dionysius Gothofredus, legunt: *qui paciscitur donationis causa, rem certam etc.*, quemadmodum in L. 28 §. Si filius ff. de Pactis scriptum est: *si donandi causa pactus sit.*

6 Porro hæc duo in transactione omnino sunt necessaria, ut scilicet detur aliquid, aut aliquid promittatur, atque de re dubia fiat. Nam promisso, datove nihil, itemque de re certa transactio fieri non potest (1). Hinc etiam post sententiam recte transigimus, quia adhuc incertus est litis exitus, sed non etiam post rem judicatam, et cum procul est omnis litis redintegrandæ metus (2). Sed quemadmodum jure Romano transactio super re judicata firmabatur, cum per Aquilianam stipulationem, et acceptilationem jus ex re judicata quæsitum, ipso jure perimebatur (3), et gratuitum probabatur super re judicata pactum, tamquam liberatorium, et donationis causa conceptum (4); ita moribus receptum est, valere transactiones, quæ super negotio ex re judicata certo initæ sunt (5).

(1) L. 38 cod. de Transact.
(2) L. 32 cod. eod. Verum ad transactionem recte ineundam satis esse litis metum, scriptum est in L. 2 cod. eod.
(3) L. 32 de Transact.
(4) L. 7 § Si paciscar ff. de Pactis, Paulus Recept. sentent. l. 1 tit. 1. §. 5 ibique Schultingius in Not. n. 13 p. 220 ed. Lipsiæ 1737.
(5) Videndus Groenewegen ad L. 7 §. 1 ff. de Transact. n. 2.

7. Transactionis magnus in jure favor, et auctoritas est. Nam ea mutuæ transigentium renunciationis vim habet; quo fit, ut omnia eorum jura tollantur (1), pariatque litis finitæ exceptionem (2), initaque bona fide, atque ex non falsis instrumentis, ne si nova quidem deinceps prodeant monumenta, è medio tollenda sit, nisi primum in integrum restitutio impetrata fuerit (3). Jure civili tum *nudo pacto*, tam subjecta pacto convento *Aquiliana stipulatione*, transactio perficitur (4). Cum pacto facta est, actio exceptione submovetur (5), cum Aquiliana stipulatio est adhibita, actio ipso jure tollitur (6). Sed canones non laborant de ista nimis attenuata diligentia juris civilis, et Aquiliana etiam stipulatione neglecta, obligationes quoquo modo contractas, transactione omnino perimi volunt (7).

(1) Cap. 4 de Transact..
(2) Cap. 1 de Litis contest. in 6.
(3) L. 10, 19, 42, cod. de Transact.
(4) L. 2 et 15 ff. de Transact.
(5) L. 15 cod. eod.
(6) L. 3 et 4 cod. eod.
(7) Cap. 1 de Transact. ibique Gonzalez n. 15.

8. Transigere omnes possunt, qui pacisci, et alienare; nam transactio alienatio est. Hinc minores, pupilli, amentes, ceteri similes, qui res suas alienare nequeunt, etiam transigere prohibentur; et Prælati, qui sine certis solemnitatibus res Ecclesiæ alienare non possunt, easdem quoque solemnitates in transactione servare debent (1). Quod dicendum generatim est de omnibus, qui res habent ad Ecclesiæ patrimonium pertinentes, uti sunt beneficia (2), decimæ (3), cetera similia, de quibus si fiat transactio sine debitis solemnitatibus, obligare quidem poterit, qui eam absolvit (4), successores vero non obligat, neque aliquid Ecclesiæ rebus infert detrimenti (5).

(1) Cap. 2 et 3 de Transact.
(2) Cap. 7 eod.
(3) Cap. 2 eod.

(4) Cap. 5 eod.
(5) Cap. 8 eod.

9. Sed neque de rebus omnibus transigere fas est. Nam Jus Canonicum transactionem fieri vetat de ecclesiasticis beneficiis, in quibus omnis non gratuita pactio turpis habetur, planeque rejicitur (1), sed tamen in iis admittitur amicabilis compositio (2); item de jurepatronatus, quod accepta pecunia in alium conferri non potest (3). Sponsalia de futuro transactionem non respuunt; quoniam mutuo consensu dissolvi possunt (4); sed de matrimonii sacramento omnis plane transactio, aut pactio irrita est (5).

(1) Cap. 4 de Pactis, Cap. 4 de Transact.
(2) Ita si duo inter se de beneficio litigent, recte fit amicabilis compositio, per quam alter nullo accepto pretio, vel re temporali suo se jure sponte abdicat: cap. 7 de Transact.
(3) Cap. 9 eod.
(4) Cap. 2 de Sponsal.
(5) Cap. ult. de Transact.

* De *transactionibus*, quod Hisp. jus attinet, V. citatum Præpositi Sala opus, lib. 2, tit. 9, á n. 5.*

APPENDIX

DE NOVISSIMA PROCESSUS CIVILIS IN HISPANIA METHODO.

Hujus tomi pag. 66 observavimus, Regio decreto 30 Sept. 1853 novam apud nos stabilitam fuisse expediendi civilis Processus methodum. Licet ejus reformatio haud remota videatur, ut ibi indicatum est; ipsam tamen integram ad præsentis libri calcem inserere, opportunum censuimus. Sic igitur se habet:

INSTRUCCION *del procedimiento civil con respecto á la Real jurisdiccion ordinaria.*

JUICIO CIVIL ORDINARIO.

DE LA PRIMERA INSTANCIA.

Artículo 1.° Son objeto del juicio civil ordinario, y serán ventiladas en él con arreglo á las leyes y á las disposiciones de esta instruccion, todas las contiendas entre partes en reclamacion de una accion ó derecho de mayor cuantía, que no tengan señalada espresamente por la ley una tramitacion especial.

Art. 2.° Todo actor, al interponer su demanda, acompañará precisamente los documentos ó antecedentes en que la apoye, presentando ademas una copia integra y literal de los mismos y otra de la propia demanda, estendidas en el papel correspondiente. Si la copia de los documentos ó antecedentes debiese esceder de veinte y cinco pliegos, bastará con la presentacion en forma de los mismos, sin necesidad de otra copia alguna, á no hacerlo voluntariamente el interesado.

Art. 3.° Cuando fuesen varias las personas demandadas, no estará obligado el actor á presentar copias de ninguna clase; pero podrá hacerlo voluntariamente de cuantas le convenga.

Art. 4.° En las demandas contra marido y mujer, ó contra padre é hijo que estuviese bajo su potestad, bastará con la presentacion de una sola copia, que se entregará al marido ó padre demandado.

Art. 5.° De toda demanda legalmente interpuesta se conferirá traslado al demandado por el término de quince dias, si residiese dentro del radio de diez leguas, y uno mas por cada cinco de mayor distancia.

Art. 6.° En las demandas en que haya tenido efecto la presentacion de las copias de que tratan los artículos anteriores, se suprimirá la entrega original de autos á la parte demandada. En su lugar recibirá las copias presentadas, cotejadas y revisadas previamente por el escribano, de lo que estenderá diligencia á su pie.

Si la copia de los documentos ó antecedentes no debiese tener lugar, se entregarán al demandado los autos originales.

Art. 7.° El demandado deberá contestar la demanda en el término legal que le haya sido señalado, proponiendo de una vez cuantas escepciones, tanto dilatorias como perentorias, le asistan, á no consistir las primeras en falta de personalidad en el actor ó su representante.

Art. 8.° La declinatoria de jurisdiccion no se podrá interponer sino en forma de competencia.

Art. 9.° La escepcion de litis-pendencia se resolverá desde luego por el juez, si conociese en ambos ramos de autos, ó en forma de competencia propuesta por quien corresponda.

Art. 10. Las recusaciones se sustanciarán como incidentes en los términos prevenidos en el artículo 58.

Art. 11. El artículo de falta de personalidad se resolverá oyendo al actor por término de tercero dia, recibiendo en seguida á prueba el incidente, si asi se creyese indispensable, por el de 15 dias á lo mas, y dictándose en seguida con la debida citacion providencia definitiva.

Art. 12. Resuelto el artículo en contra del demandado, se contestará la demanda dentro del término de seis dias.

Art. 13. Contestada directamente la demanda, con igual obligacion en el demandado de acompañar en todo caso copia del escrito en papel correspondiente, y de sus documentos, cuando la de estos no deba esceder de 15 pliegos, y entregadas las que correspondan al actor en los términos prevenidos para el reo, se recibirá desde luego el pleito á prueba con la debida citacion.

Art. 14. Si la prueba no fuese necesaria para el fallo, se dictará este desde luego con citacion de las partes, á no haberse propuesto mútua reconvencion por el reo, en cuyo caso se abrirá siempre el plazo de la prueba por el término que convenga.

Art. 15. El término probatorio no bajará de ocho dias, ni escederá de treinta. Este plazo solo se podrá prorogar por otros diez mas, si alguna diligencia de prueba, ya solicitada y admitida, debiese tener lugar fuera de la provincia.

Se concederá ademas el término estraordinario ultramarino cuando asi estuviese prevenido por la ley.

(4) Cap. 5 eod.
(5) Cap. 8 eod.

9. Sed neque de rebus omnibus transigere fas est. Nam Jus Canonicum transactionem fieri vetat de ecclesiasticis beneficiis, in quibus omnis non gratuita pactio turpis habetur, planeque rejicitur (1), sed tamen in iis admittitur amicabilis compositio (2); item de jurepatronatus, quod accepta pecunia in alium conferri non potest (3). Sponsalia de futuro transactionem non respuunt; quoniam mutuo consensu dissolvi possunt (4); sed de matrimonii sacramento omnis plane transactio, aut pactio irrita est (5).

(1) Cap. 4 de Pactis, Cap. 4 de Transact.
(2) Ita si duo inter se de beneficio litigent, recte fit amicabilis compositio, per quam alter nullo accepto pretio, vel re temporali suo se jure sponte abdicat: cap. 7 de Transact.
(3) Cap. 9 eod.
(4) Cap. 2 de Sponsal.
(5) Cap. ult. de Transact.

* De *transactionibus*, quod Hisp. jus attinet, V. citatum Præpositi Sala opus, lib. 2, tit. 9, á n. 5.*

APPENDIX

DE NOVISSIMA PROCESSUS CIVILIS IN HISPANIA METHODO.

Hujus tomi pag. 66 observavimus, Regio decreto 30 Sept. 1853 novam apud nos stabilitam fuisse expediendi civilis Processus methodum. Licet ejus reformatio haud remota videatur, ut ibi indicatum est; ipsam tamen integram ad præsentis libri calcem inserere, opportunum censuimus. Sic igitur se habet:

INSTRUCCION *del procedimiento civil con respecto á la Real jurisdiccion ordinaria.*

JUICIO CIVIL ORDINARIO.

DE LA PRIMERA INSTANCIA.

Artículo 1.° Son objeto del juicio civil ordinario, y serán ventiladas en él con arreglo á las leyes y á las disposiciones de esta instruccion, todas las contiendas entre partes en reclamacion de una accion ó derecho de mayor cuantía, que no tengan señalada espresamente por la ley una tramitacion especial.

Art. 2.° Todo actor, al interponer su demanda, acompañará precisamente los documentos ó antecedentes en que la apoye, presentando ademas una copia integra y literal de los mismos y otra de la propia demanda, estendidas en el papel correspondiente. Si la copia de los documentos ó antecedentes debiese esceder de veinte y cinco pliegos, bastará con la presentacion en forma de los mismos, sin necesidad de otra copia alguna, á no hacerlo voluntariamente el interesado.

Art. 3.° Cuando fuesen varias las personas demandadas, no estará obligado el actor á presentar copias de ninguna clase; pero podrá hacerlo voluntariamente de cuantas le convenga.

Art. 4.° En las demandas contra marido y mujer, ó contra padre é hijo que estuviese bajo su potestad, bastará con la presentacion de una sola copia, que se entregará al marido ó padre demandado.

Art. 5.° De toda demanda legalmente interpuesta se conferirá traslado al demandado por el término de quince dias, si residiese dentro del radio de diez leguas, y uno mas por cada cinco de mayor distancia.

Art. 6.° En las demandas en que haya tenido efecto la presentacion de las copias de que tratan los artículos anteriores, se suprimirá la entrega original de autos á la parte demandada. En su lugar recibirá las copias presentadas, cotejadas y revisadas previamente por el escribano, de lo que estenderá diligencia á su pie.

Si la copia de los documentos ó antecedentes no debiese tener lugar, se entregarán al demandado los autos originales.

Art. 7.° El demandado deberá contestar la demanda en el término legal que le haya sido señalado, proponiendo de una vez cuantas escepciones, tanto dilatorias como perentorias, le asistan, á no consistir las primeras en falta de personalidad en el actor ó su representante.

Art. 8.° La declinatoria de jurisdiccion no se podrá interponer sino en forma de competencia.

Art. 9.° La escepcion de litis-pendencia se resolverá desde luego por el juez, si conociese en ambos ramos de autos, ó en forma de competencia propuesta por quien corresponda.

Art. 10. Las recusaciones se sustanciarán como incidentes en los términos prevenidos en el artículo 58.

Art. 11. El artículo de falta de personalidad se resolverá oyendo al actor por término de tercero dia, recibiendo en seguida á prueba el incidente, si asi se creyese indispensable, por el de 15 dias á lo mas, y dictándose en seguida con la debida citacion providencia definitiva.

Art. 12. Resuelto el artículo en contra del demandado, se contestará la demanda dentro del término de seis dias.

Art. 13. Contestada directamente la demanda, con igual obligacion en el demandado de acompañar en todo caso copia del escrito en papel correspondiente, y de sus documentos, cuando la de estos no deba esceder de 15 pliegos, y entregadas las que correspondan al actor en los términos prevenidos para el reo, se recibirá desde luego el pleito á prueba con la debida citacion.

Art. 14. Si la prueba no fuese necesaria para el fallo, se dictará este desde luego con citacion de las partes, á no haberse propuesto mútua reconvencion por el reo, en cuyo caso se abrirá siempre el plazo de la prueba por el término que convenga.

Art. 15. El término probatorio no bajará de ocho dias, ni escederá de treinta. Este plazo solo se podrá prorogar por otros diez mas, si alguna diligencia de prueba, ya solicitada y admitida, debiese tener lugar fuera de la provincia.

Se concederá ademas el término estraordinario ultramarino cuando asi estuviese prevenido por la ley.

Art. 16. Durante el término de prueba podrá el actor replicar á la contestacion, y ambas partes alegar cuanto les convenga; pero sin tomar los autos originales, ni causar suspension de dicho término.

Art. 17. Mientras dure el plazo de prueba, y no en otro estado del juicio, presentarán las partes la que les convenga, instrumental, testifical, por juramento deferido, ó de cualquiera otra clase, ó por posiciones entre ellas mismas. La presentacion de nuevos documentos hasta entonces no conocidos, y el exámen de testigos que estén para ausentarse, ó cuyo fallecimiento ó imposibilidad de declarar se tema fundadamente, podrán tener lugar con arreglo á derecho fuera del término probatorio.

Art. 18. Siempre que las partes soliciten prueba de peritos, el juez, para evitar discordias, nombrará uno de oficio, quien declarará juntamente con los designados por las partes. Si aun resultase discordia, el juez nombrará el número oportuno de dirimentes.

Art. 19. La prueba de testigos será pública como la instrumental, y las partes podrán presenciar sus declaraciones, y hacerles las preguntas concernientes al asunto, con el permiso y por conducto del juez, quien mandará hacer constar sus protestas, si así lo solicitasen las mismas partes.

Art. 20. Sin perjuicio de lo prevenido en el artículo anterior, podrán las partes presentar interrogatorios cerrados, que se abrirán por el juez en el acto de procederse al exámen de los testigos; y siendo pertinentes las preguntas, se proseguirá el acto en la forma ya prevenida.

Art. 21. El juez repelerá de oficio toda prueba ilegal ó impertinente.

Art. 22. Todo ciudadano está obligado á comparecer ante el juez en la forma legal conveniente para prestar su declaracion á peticion de parte, salvo siempre su derecho á reclamar de esta los auxilios ó indemnizacion que correspondan.

Art. 23. Todo funcionario público está obligado, bajo las penas señaladas en el Código penal, á evacuar dentro del término de la prueba cualquiera diligencia ó actuacion que se le exija legalmente.

Art. 24. Se prohibe la abusiva costumbre de suspender el término probatorio, cualquiera que sea la causa que se alegue para ello.

Art. 25. No se recibirán los pleitos á prueba de tachas: pues siendo públicos todos los actos del juicio, dentro del término ordinario deberán proponerse y justificarse.

Art. 26. Para evitar perjuicios á las partes con el cumplimiento del artículo anterior, deberá verificarse precisamente la prueba testifical antes de los últimos seis dias por que deba correr el plazo probatorio.

Art. 27. No se concederá restitucion del término de la prueba.

Art. 28. Concluido el término probatorio, el juez mandará unir las probanzas practicadas, y citar á las partes para sentencia, señalando al mismo tiempo dia para la vista.

Art. 29. La vista será pública si las partes en el acto de la notificacion manifestaren que querian asistir á ella para hacer defensa oral ó escrita.

Art. 30. Admitida una apelacion con arreglo á derecho, se mandarán remitir los autos ó su compulsa á la Audiencia, con emplazamiento de ocho dias, si esta residiese en la misma provincia que el juzgado, y de doce en otro caso.

Rebeldías.

Art. 31. Si pasado el término prefijado para la contestacion de la demanda, no hubiese tomado los autos el demandado, se le acusará una sola rebeldía, y seguirá el juicio adelante sin mas citarle ni emplazarle. La sentencia definitiva se le hará siempre saber en forma legal; pero pasado el término de la apelacion sin haberla interpuesto, se proseguirá en las actuaciones sin necesidad de nueva rebeldía.

Art. 32. En cualquier otro trámite del juicio en que el actor ó el demandado se constituyan en rebeldía, proseguirá el juicio adelante sin necesidad de que se acuse aquella, salvo lo dispuesto en la segunda instancia sobre los emplazamientos.

Art. 33. Cuando cese la rebeldía de un litigante, podrá utilizar los términos que aun resten por correr desde el dia de su presentacion.

Apremios.

Art. 34. Si dentro del dia siguiente al en que concluya un término de los en que se permite la entrega original de autos, no hubiesen sido devueltos por la parte con despacho ó sin él, se la declarará por el mero hecho y de oficio, incursa en una multa de 5 á 15 duros, y se librará mandamiento de saca. La multa se exigirá personalmente al procurador, y no abonándola en el acto, se le suspenderá de oficio.

Art. 35. Toda persona requerida para la entrega de unos autos que obren en su poder, los presentará en el acto bajo pena de arresto de uno á tres dias, y si este apremio no bastase, se procederá criminalmente con arreglo al Código penal.

Art. 36. Sin perjuicio de las disposiciones anteriores, se otorgará á todo litigante forastero que haya venido á seguir personalmente el juicio, una indemnizacion pecuniaria de uno á tres duros por cada dia transcurrido sin que se hayan presentado los autos en la escribanía. Este tiempo se contará desde el de la imposicion de la multa inclusive, hasta el en que se hubiese verificado finalmente la devolucion de los autos, ó dado principio al procedimiento criminal.

La indemnizacion se decretará de plano, y se exigirá por apremio personal, con arreglo al Código, del litigante que debiese satisfacerla.

Art. 37. El dependiente encargado de la saca de autos, dará diariamente cuenta al juez de las gestiones que practique, consignándose estas y los mandatos de aquel en diligencia tambien diaria.

De la segunda instancia.

Art. 38. Recibidos unos autos en la Audiencia, el regente los pasará sin dilacion al repartidor, quien hará el señalamiento debido, y los entregará á la escribanía de cámara respectiva.

Art. 39. El escribano de cámara dará cuenta á la Sala de la venida de los autos, y pasarán aquellos al relator para que practique el apuntamiento.

Art. 40. El relator tendrá de término, para practicar dicho trabajo, ocho dias, si los autos no escediesen de 200 fojas, y quince si pasasen de este número.

Art. 41. Hecho el apuntamiento, se entregará con los autos originales á las partes por término de quince dias á cada una, con el único objeto de que se instruyan para la defensa.

Si hubiese necesidad de apremio, se observará puntualmente todo lo prevenido para la primera instancia.

Art. 42. Si alguna parte no hubiese comparecido dentro del término del

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

emplazamiento, se le acusará una sola rebeldía, y se procederá como queda prevenido para la primera instancia.

Art. 43. La parte que quisiese probar de nuevo, presentará, al devolver los autos, lista numerada de los hechos que le convenga justificar. Su copia será entregada á la parte contraria en la forma ordinaria; y si dentro de tercero dia no presentase escrito oponiéndose á la admision de dicha prueba, el tribunal recibirá el pleito á ella con citacion de las partes, si así procediese por derecho, ó mandará citar para la vista señalando dia al efecto.

Art. 44. Cuando una de las partes contradiga la prueba, se citará y procederá sin embargo á la vista del negocio; y se fallará definitivamente denegándola, ó se admitirá, si así debiese practicarse.

Art. 45. En cuanto á los términos y circunstancias de la prueba, se guardará exactamente todo lo que queda prevenido para la primera instancia.

Art. 46. Concluido el término probatorio, se mandarán unir las probanzas y ponerlas de manifiesto con los autos en la escribanía de Cámara por término de ocho dias, á fin de que dentro de él se instruyan de su mérito ambas partes.

Art. 47. Luego que transcurra el término anterior, volverán á pasar los autos al relator por término de tres dias para que adicione el apuntamiento.

Art. 48. Despachados los autos por el relator, se mandarán citar las partes, y se señalará al propio tiempo dia para la vista.

Art. 49. Deberán asistir precisamente cuatro magistrados para ver y fallar definitivamente los negocios civiles sobre propiedad, cuya cuantía esceda de 1,000 duros.

Los ministros mas modernos de las otras Salas llenarán este numero, si fuere necesario, por turno riguroso; y los regentes podrán establecer para el mejor despacho dias señalados en que tenga lugar la vista de los pleitos.

Art. 50. Se procederá por rigurosa antigüedad, segun la fecha del señalamiento, en la vista de los pleitos, sin que se pueda invertir este órden, á no mediar causa justa y notoria, que se hará constar por diligencia.

Art. 51. No se podrá suspender una vista señalada, por peticion de las partes, á no alegarse causa muy estraordinaria y notoria que la justifique, al prudente arbitrio de los jueces y tribunales.

La suspension en ningun caso podrá esceder de seis dias.

Art. 52. En las providencias definitivas de los tribunales que fuesen revocatorias, en todo ó en parte, de la del inferior, se hará constar que el fallo ha sido por unanimidad cuando así se haya verificado.

Apelaciones sobre artículos.

Art. 53. La sustanciacion de las apelaciones sobre artículos de cualquier clase se arreglará en un todo á los trámites anteriormente señalados, reduciéndose empero á ocho dias el término de la entrega de autos para instruccion de las partes, y sin que estas puedan pedir nuevas pruebas.

DISPOSICIONES COMUNES Á LA PRIMERA Y SEGUNDA INSTANCIA.

Art. 54. En ninguna demanda ni escrito de las partes se usarán fórmulas de juramento.

Art. 55. Los escribanos de Cámara y de juzgados deberán dar cuenta al juez ó tribunal respectivo de cualquiera peticion ó documento que se les presente, dentro del mismo dia que lo reciban siendo en hora hábil, ó en el acto si la urgencia lo requiere; practicarán las notificaciones con arreglo y bajo las penas de la ley, y cumplirán todas las obligaciones que se les imponen por esta instruccion, ó sean propias de su oficio segun derecho, cuando mas al dia siguiente de proceder legalmente que así se verifique. Tendrán, por último, obligacion de advertir á los jueces de la conclusion de todos los términos señalados para la tramitacion.

Los mismos deberes pesarán sobre los relatores y demas funcionarios de cualquier clase que intervienen en los juicios por lo respectivo á los actos de su incumbencia.

Las faltas de omision en cualquiera de estas obligaciones serán corregidas disciplinariamente con multa de cinco á veinte y cinco duros.

Art. 56. Si por causa insuperable y debidamente justificada, no pudiesen los funcionarios de que trata el artículo anterior practicar cuanto en el mismo se les previene, darán cuenta dentro del dia al superior respectivo, quien removerá el obstáculo, ó les asignará un nuevo término, corto y perentorio, haciéndose todo constar en las actuaciones.

Art. 57. Los tribunales y jueces decretarán de oficio uno tras otro los trámites todos de la sustanciacion y sus incidencias por medio de providencias interlocutorias, hasta el acto de señalar dia para la vista, que lo harán para el mas próximo que les fuere posible. Unicamente esperarán la escitacion de las partes interesadas en todo el progreso del juicio, para la acusacion de rebeldías, próroga del término probatorio, que se pedirá siempre antes de transcurrido el concedido anteriormente, y declaracion de ser pasada en autoridad de cosa juzgada la sentencia definitiva; pero en cualquier estado de un juicio, en que las partes de consuno manifiesten convenir á su derecho que se suspenda la sustanciacion, mandarán que los autos queden sin curso en la escribanía, hasta tanto que alguna de ellas vuelva á promoverlos, segun su anterior estado, y no en otra forma.

Art. 58. De todo caso incidental que legalmente ocurra en un juicio, se formará precisamente pieza separada, para que nunca se entorpezca el curso de la tramitacion; á no tratarse de cosa tan íntimamente unida con la cuestion principal, que no sea posible dividirlas.

Si la sustanciacion del incidente debiese ser especial con arreglo á la ley espresa no contraria á esta instrucion, se guardará lo que estuviese dispuesto, observándose empero las formas de aplicacion comun prevenidas por la última. Si debiese ser ordinaria, como la de pobreza ú otro de igual importancia, se arreglará en un todo á la tramitacion prescrita en esta misma instruccion, pero reduciéndose siempre á solo ocho dias para cada parte los términos todos que traigan consigo entrega original de autos, y á la mitad del prevenido el de la prueba cuando esta procediere.

Si el incidente no tuviese carácter ordinario, se determinará de plano, confiriéndose cuando mas, si se creyese absolutamente necesario, un traslado que no pase de dos dias; pero nunca con entrega de autos, y citándose desde luego para definitiva sin señalamiento de dia para la vista, á no requerirlo así el asunto por su gravedad ó importancia.

Art. 59. A todo escrito presentado por las partes en juicio, deberá acompañar precisamente copia literal de su contenido, que se entregará á la contraria en los términos prevenidos para la presentacion de documentos en las demandas y contestaciones. Igual copia, con tal que no esceda de diez pliegos, deberá acompañar tambien á los documentos de cualquier clase que fuesen presentados legalmente en cualquier estado del juicio, y ni estos

ni los escritos de las partes serán admitidos por el escribano, si no viniesen unidas á ellos las copias correspondientes.

Art. 60. No se entregarán los autos á las partes sino en los casos espresamente prevenidos en la presente instruccion; pero en cualquier estado del juicio, y mientras aquellos estuvieren en las escribanías, podrán pedirse á las mismas, copias en forma de cualquier documento ó parte de ellos, abonando los derechos correspondientes, y examinarlos y sacar, sin satisfacer algunos, cuantos apuntes estimen convenientes los interesados, á cuyo fin se les pondrán siempre de manifiesto, sin que se pueda entorpecer no obstante por esta causa la tramitacion del asunto.

Art. 61. Los jueces y tribunales repelerán sin contemplacion alguna los escritos de las partes que no se ajusten exactamente á los trámites de esta instruccion, teniendo por devueltos los autos y por evacuados los traslados sin despacho, en toda ocasion en que se separen de sus disposiciones, y haciendo si conviniese las correcciones disciplinarias oportunas.

Art. 62. Todos los términos de los juicios son perentorios é improrogables, y se contarán desde el dia siguiente al de la notificacion ó trámite que les haya precedido, escluyendo empero los dias festivos en que vacan los tribunales. Solamente podrán ampliarse dichos términos en los casos espresamente permitidos por la presente instruccion.

Art. 63. Será potestativo á las partes presentar ó no abogados para la defensa oral, tanto en los tribunales superiores como en los inferiores, ó hacer aquella por escrito en el acto de la vista por medio de alegato firmado de letrado. Si la estension de la defensa escrita escediese de diez pliegos, se suprimirá su lectura pública, sin perjuicio de que se una á los autos.

Art. 64. Los tribunales y jueces guardarán á los abogados las consideraciones debidas, así en el acto de la vista como en cualquier otro á que legalmente puedan concurrir, sin interrumpirlos ni desconcertarlos en sus informes, á no ser que hablen en términos por cualquier concepto inconvenientes.

Los letrados, por su parte, se abstendrán en sus defensas de amplificaciones inoportunas; y persuadiéndose de que el tiempo mal gastado por los tribunales y jueces ocasiona siempre un perjuicio indebido á los demas litigantes, y especialmente á los reos encarcelados, ceñirán sus discursos á lo que fuere prudentemente necesario, segun la gravedad y complicacion de los negocios.

Mientras los letrados procedieren de este modo en el ejercicio de una profesion, que es de las mas nobles cuando noblemente se ejerce, los tribunales y jueces los oirán con toda la atencion debida, cualquiera que sea el tiempo que durasen sus informes; pero si notoriamente divagasen y llevasen ya invertida una hora en la defensa, el juez ó presidente, de acuerdo con la Sala, les advertirá decorosamente lo que convenga; y si pasada otra media hora despues de esta admonicion, continuasen aun en sus divagaciones, podrá retirárseles la palabra, declarando que el oficio judicial está ya suficientemente instruido.

Art. 65. Los tribunales y jueces podrán decretar para mejor proveer la práctica, con citacion de las partes, de cuantas diligencias estimen convenientes.

Art. 66. Los autos interlocutorios se dictarán en el término de tercero dia; las sentencias interlocutorias en el de seis, y las definitivas en el de quince.

Art. 67. De todo auto definitivo de primera instancia se podrá interponer

apelacion dentro de cinco dias: de los interlocutorios en el término de tres: de los de esta última clase de las Audiencias, podrá solicitarse reforma dentro del mismo término. En uno y en otro caso se decidirá de plano el incidente de apelacion, confiriéndose á lo mas un traslado de dos dias.

Art. 68. Los tribunales y jueces fundarán siempre las sentencias definitivas y las interlocutorias de igual clase, cuando así lo reputen conveniente, esponiendo con claridad y concision las cuestiones de hecho y de derecho, y citando las leyes ó doctrina legal en que se apoyen. Las Salas nombrarán por turno riguroso ponentes que presten este trabajo, dentro del término para dictar sentencia, espresándose en ella su nombre.

DE LOS RECURSOS AL TRIBUNAL SUPREMO.

Recurso de nulidad.

Art. 69. De las sentencias definitivas de cualquier clase que dictaren las Audiencias en negocios civiles, no habrá lugar á súplica.

Art. 70. Habrá lugar al recurso de nulidad contra las ejecutorias de las Audiencias por infraccion de las leyes del enjuiciamiento en los casos y en la forma prevista por el Real decreto de 4 de noviembre de 1838, escepto el de denegacion de súplica. Procederá ademas el recurso por infraccion de las leyes del enjuiciamiento, cuando la sentencia hubiese sido dada por un número de magistrados inferior al requerido para dictarla.

Art. 71. Habrá lugar asimismo al recurso de nulidad por violacion de ley clara y terminante, contra los fallos definitivos de las Audiencias en asuntos no posesorios, interlocutorios ni ejecutivos, cuya cuantía esceda de 1,000 duros en la Península é islas adyacentes:

1.° Cuando hubiese mediado discordia para dictar sentencia en la instancia de apelacion.

2.° Cuando la sentencia fuere revocatoria en todo ó en parte de la del inferior, y no hubiese sido dictada por unanimidad.

Art. 72. Se reduce á 100 duros el depósito previo exigido por el art. 8.° del Real decreto de 4 de noviembre de 1838.

Art. 73. El Tribunal Supremo de Justicia observará, en la parte de tramitacion que no esté arreglada espresamente por dicho real decreto, cuanto queda prevenido en la presente instruccion, y sea de comun aplicacion en todo el curso de los juicios.

Art. 74. En el caso de declararse haber lugar al recurso por ser el fallo contrario á la ley espresa y terminante, pasará el negocio á otra Sala del Tribunal Supremo, compuesta de nueve ministros distintos de los que hubiesen votado la nulidad.

De los fallos de esta última Sala, que serán motivados, y se publicarán en la *Gaceta*, no habrá lugar á otro recurso, y causarán desde luego ejecutoria.

Recurso de responsabilidad.

Art. 75. De los fallos de las Salas en que no quepa el remedio de nulidad, habrá lugar no obstante á la reclamacion de responsabilidad de los magistrados, en los términos prevenidos por la Constitucion y las leyes.

Art. 76. No se exigirán derechos en el Tribunal Supremo por ninguna reclamacion de responsabilidad, interin aquel no declare que debe abonarlos

el que produjo la queja, por haber procedido con notoria temeridad, ó recaiga por otro concepto condenacion espresa de costas.

Competencias.

Art. 77. Para fijar la jurisprudencia, y evitar dudas y gastos á los jueces y litigantes, se motivarán y publicarán en lo sucesivo en la *Gaceta de Madrid* todos los fallos que dicte el Tribunal Supremo de Justicia decidiendo competencias.

Juicio ejecutivo.

Art. 78. Las ejecuciones se solicitarán en forma legal y con la misma presentacion de copias prevenidas para las demandas ordinarias.

Art. 79. En vista de la demanda ejecutiva se despachará el oportuno mandamiento, ó se decretará no haber lugar á librarlo, sin que en caso alguno se pueda conferir traslado á la parte contraria.

Art. 80. El mandamiento de ejecucion no se entregará á la parte actora sino en el único caso de que ella espresamente así lo solicite.

Art. 81. Hecho el requerimiento con la entrega de copias prevenida para las demandas ordinarias, y verificado el embargo de bienes en debida forma, se hará saber al ejecutado el estado del asunto, y se le citará desde luego de remate, encargándole juntamente en los diez dias de la ley.

Se suprimirá por tanto en los juicios ejecutivos la dilacion llamada término de los pregones.

Art. 82. Si el ejecutado no se opusiese á la ejecucion dentro de dichos diez dias, ó no compareciere á tomar los autos en los casos en que corresponda su entrega original, con arreglo á lo prevenido para los juicios ordinarios, se le acusará una sola rebeldía por el actor; y el juez, sin otro trámite, dictará la sentencia correspondiente.

Art. 83. Si tomados los autos, no los devolviere el ejecutado al dia siguiente de concluir el término de la entrega, se procederá de oficio al apremio en la forma y bajo la multa, penas é indemnizaciones establecidas para el juicio ordinario; y sacados los autos, se dictará asimismo la providencia definitiva que corresponda.

Art. 84. Dentro del término del encargado, podrá el reo proponer y justificar sus escepciones, guardándose en la forma de las pruebas las disposiciones especiales de esta instruccion con respecto al juicio ordinario.

Art. 85. El término del encargado no podrá ser restituido ni suspendido, y solo se podrá prorogar por otros diez dias mas á instancia del actor.

Art. 86. Concluido el término del encargado, ó su próroga, se citarán las partes y se pronunciará precisamente sentencia definitiva de nulidad ó de remate dentro de diez dias.

Art. 87. Hasta pasados doce dias de la notificacion de la sentencia, cuando esta fuere de remate, no se podrá ejercitar el mandamiento de apremio, que se librará á nueva instancia del actor.

Art. 88. Interpuesta apelacion, y remitidos los autos ó su compulsa á la superioridad, segun la forma en que proceda aquel remedio, se sustanciará la segunda instancia sin admitirse en ella nueva prueba, y reduciéndose á seis dias el término correspondiente á la entrega de autos para instruccion de cada una de las partes, y á diez el prevenido generalmente para dictar sentencia.

Art. 89. Cuando en un juicio ejecutivo se presente tercería de dominio

en tiempo y forma admisibles, y con las copias prevenidas para toda clase de demandas, se conferirá traslado á las partes, y se mandarán entregar los autos al actor y las copias al reo. Este traslado será de seis dias á cada uno.

Si no debieren acompañarse copias á la tercería, se exhibirán los autos originales por el mismo término en la escribanía.

Transcurrido el término, con lo que digan ó no las partes, se dictará providencia recibiendo á prueba la tercería por el plazo de los juicios ordinarios, ó fallándola definitivamente con citacion de las mismas.

La sustanciacion de la segunda instancia se verificará en los términos prevenidos para el juicio ordinario.

Art. 90. Las tercerías de mejor derecho no entorpecerán en modo alguno la marcha del juicio ejecutivo. El juez mandará tenerlas presentes en pieza separada para el dia del remate de los bienes embargados. Llegado este caso se sustanciarán aquellas por los mismos trámites que las de dominio, y se entregarán á quien corresponda las cantidades ó valores que resulten existentes, los cuales deberán estar entretanto depósitados en legal forma.

Art. 91. Son estensivas al juicio ejecutivo todas las disposiciones de esta instruccion sobre fórmulas de juramento de las partes, obligaciones de los jueces y demas funcionarios, tramitacion de oficio y demas de aplicacion comun con el juicio ordinario, que no estén modificadas especialmente en los precedentes artículos.

Interdictos.

Art. 92. Admitido por el juez un interdicto de despojo ó de amparo en la posesion, interpuestos en forma legal, ó reclamada por tercero una posesion sin perjuicio, se mandará entregar al querellado ó reclamante la copia que debe acompañar al escrito del actor, y se citará á ambas partes para que comparezcan ante el juez á instruccion verbal.

En los interdictos no hay necesidad de acompañar copia alguna de documentos, aun cuando estos se presentasen para justificarlos.

Art. 93. El acto de instruccion verbal deberá tener lugar dentro de tres dias á lo mas desde el en que hubiese sido presentado el interdicto. Los jueces harán este señalamiento teniendo en cuenta la residencia del querellado.

Art. 94. Cuando el querellado se ausentare despues del despojo, ó legalmente notificado, no compareciere al acto de instruccion verbal, el juez oirá las justificaciones del actor, mandará consignarlas en diligencias suficientemente espresivas, recibiendo á los testigos el correspondiente juramento, y con el resultado de todo fallará al dia siguiente lo que corresponda.

Art. 95. Cuando ambas partes comparecieren ante el juez, oirá este y mandará consignar tambien en igual forma las pruebas, repreguntas, esplicaciones y protestas de los interesados. Estos podrán concurrir al acto, asistidos de sus letrados y con los testigos de que intenten valerse.

Art. 96. Las diligencias de instruccion verbal serán firmadas por todos los concurrentes que sepan hacerlo.

Art. 97. Si por el resultado de la instruccion verbal, en cualquiera de los casos en que debiese esta tener lugar, creyese el juez que eran todavia necesarias mayores justificaciones, podrá suspender el acto por término á lo mas de segundo dia; pero estendiéndose siempre diligencia en forma de todo lo practicado.

Art. 98. Concluido definitivamente el acto de instruccion verbal, el juez dictará providencia en el término prefijado en el art. 93, motivándola breve y sencillamente.

Art. 99. La reclamacion urgente y con notorio derecho sobre alimentos, seguirá los mismos trámites de los interdictos, salvo siempre el juicio ordinario.

Art. 100. En las denuncias de nueva obra se observará puntualmente lo prevenido por derecho.

Art. 101. En la instancia de apelacion sobre interdictos se guardarán los mismos términos y formalidades prevenidas para el juicio ejecutivo.

DISPOSICIONES DE VIGILANCIA PARA EL CUMPLIMIENTO DE LA PRESENTE INSTRUCCION.

Art. 102. Los regentes de las Audiencias harán que acompañe á sus discursos de apertura un estado con arreglo al adjunto modelo, sin perjuicio de los demas que les están prevenidos.

El nuevo estado comprenderá, por juzgados y Salas, el número de pleitos ordinarios y ejecutivos fallados definitivamente en todo el año anterior, tiempo de su duracion, causas del retraso y número de demostraciones disciplinarias hechas por demoras ilegales en la tramitacion.

Al pie del estado se pondrán por notas las observaciones sucintas, pero razonadas, que estimen convenientes sobre las causas mas frecuentes de entorpecimiento en la sustanciacion, é indicaciones sobre lo que debiera hacerse para su remedio.

Se espresarán ademas los nombres de los tres jueces de primera instancia que hayan sustanciado con mayor actividad los pleitos en que hubiesen entendido.

Art. 103. Para cumplir cuanto se les previene en el artículo anterior, dictarán los regentes las disposiciones oportunas, procurando facilitar el trabajo por los medios posibles, y que este se preste con esmero y exactitud.

Art. 104. Los estados y notas de que hablan los artículos anteriores se publicarán oportunamente en la *Gaceta*.

DISPOSICIONES TRANSITORIAS.

Art. 105. La presente instruccion se observará en todas sus partes en cuantos negocios se principien despues de su publicacion; en los pendientes se aplicará solamente en la segunda instancia y recursos posteriores, en todos aquellos pleitos en que aun no hubiere recaido sentencia definitiva del juez de primera instancia.

Art. 106. Los regentes omitirán en el estado del presente año la especificacion del número de causas legales y no legales que hayan entorpecido la sustanciacion de los pleitos fallados durante el mismo, y se arreglarán en lo demas á los datos que sea posible recoger.

DISPOSICION FINAL.

Quedan en toda su fuerza y vigor las leyes y disposiciones de derecho que arreglan el procedimiento, en todo aquello que no sea objeto de las disposiciones de la presente instruccion, que será puntualmente observada por todos los tribunales y juzgados ordinarios.

RECENSIO

TITULORUM TOMI TERTII.

TITULUS I.

PAGS.

De Judiciaria Ecclesiæ potestate. 1

TITULUS II.

De Judiciis, et eorum divisione. 26

TITULUS III.

De Procuratoribus. 37

TITULUS IV.

De Foro competenti.. 42

TITULUS V.

De Libelli obligatione, deque in jus vocando. 56

TITULUS VI.

De Dolo et contumacia. 75

TITULUS VII.

De Litis contestatione. 80

TITULUS VIII.

De Juramento calumniæ. 82

TITULUS IX.

De Probationibus. 86

TITULUS X.

De Exceptionibus, et replicationibus 102

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UANL

Art. 99. La reclamacion urgente y con notorio derecho sobre alimentos, seguirá los mismos trámites de los interdictos, salvo siempre el juicio ordinario.

Art. 100. En las denuncias de nueva obra se observará puntualmente lo prevenido por derecho.

Art. 101. En la instancia de apelacion sobre interdictos se guardarán los mismos términos y formalidades prevenidas para el juicio ejecutivo.

DISPOSICIONES DE VIGILANCIA PARA EL CUMPLIMIENTO DE LA PRESENTE INSTRUCCION.

Art. 102. Los regentes de las Audiencias harán que acompañe á sus discursos de apertura un estado con arreglo al adjunto modelo, sin perjuicio de los demas que les están prevenidos.

El nuevo estado comprenderá, por juzgados y Salas, el número de pleitos ordinarios y ejecutivos fallados definitivamente en todo el año anterior, tiempo de su duracion, causas del retraso y número de demostraciones disciplinarias hechas por demoras ilegales en la tramitacion.

Al pie del estado se pondrán por notas las observaciones sucintas, pero razonadas, que estimen convenientes sobre las causas mas frecuentes de entorpecimiento en la sustanciacion, é indicaciones sobre lo que debiera hacerse para su remedio.

Se espresarán ademas los nombres de los tres jueces de primera instancia que hayan sustanciado con mayor actividad los pleitos en que hubiesen entendido.

Art. 103. Para cumplir cuanto se les previene en el artículo anterior, dictarán los regentes las disposiciones oportunas, procurando facilitar el trabajo por los medios posibles, y que este se preste con esmero y exactitud.

Art. 104. Los estados y notas de que hablan los artículos anteriores se publicarán oportunamente en la *Gaceta*.

DISPOSICIONES TRANSITORIAS.

Art. 105. La presente instruccion se observará en todas sus partes en cuantos negocios se principien despues de su publicacion; en los pendientes se aplicará solamente en la segunda instancia y recursos posteriores, en todos aquellos pleitos en que aun no hubiere recaido sentencia definitiva del juez de primera instancia.

Art. 106. Los regentes omitirán en el estado del presente año la especificacion del número de causas legales y no legales que hayan entorpecido la sustanciacion de los pleitos fallados durante el mismo, y se arreglarán en lo demas á los datos que sea posible recoger.

DISPOSICION FINAL.

Quedan en toda su fuerza y vigor las leyes y disposiciones de derecho que arreglan el procedimiento, en todo aquello que no sea objeto de las disposiciones de la presente instruccion, que será puntualmente observada por todos los tribunales y juzgados ordinarios.

RECENSIO

TITULORUM TOMI TERTII.

TITULUS I.

PAGS.

De Judiciaria Ecclesiæ potestate. 1

TITULUS II.

De Judiciis, et eorum divisione. 26

TITULUS III.

De Procuratoribus. 37

TITULUS IV.

De Foro competenti.. 42

TITULUS V.

De Libelli obligatione, deque in jus vocando. 56

TITULUS VI.

De Dolo et contumacia. 75

TITULUS VII.

De Litis contestatione. 80

TITULUS VIII.

De Juramento calumniæ. 82

TITULUS IX.

De Probationibus. 86

TITULUS X.

De Exceptionibus, et replicationibus 102

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UANL

TITULUS XI.

De Ordine cognitionum 114

TITULUS XII.

De Mutuis petitionibus 121

TITULUS XIII.

De Dilationibus. 125

APPENDIX.

De Processu criminali instruendo 125

TITULUS XIV.

De Sententia, et re judicata. 133

TITULUS XV.

De Appellationibus. 148

TITULUS XVI.

De In integrum restitutione. 175

TITULUS XVII.

De Arbitris. 179

TITULUS XVIII.

De Pactis, et transactionibus. 186

APPENDIX.

De Novis. Processus civilis in Hispania methodo. 190

FINIS TOMI TERTII.

ERRATA NOTANDA.

PAG.	LIN.	LEGITUR.	CORRIGE.
3	8	hoc est.	*supprime*
43	25	tractandi	tractandæ
85	11	quæ	quâ
124	23	dilatoriæ	deliberatoriæ
169	47	ac censendam:	censemdam: ac
178	25	Elapso decennio	Elapsis 10 diebus

Adnot. N. S., quæ pag. 76 lin. 23 incipit, ad pag. 72 ante § 13 transferenda.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INSTITUTIONUM
CANONICARUM.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Antequam dicant boni filii: «concupiscentiam habemus dissolvi, et esse cum Christo» multi prius, tamquam mali servi, et quodammodo improbi fugitivi, ad Dominum suum temporalium flagellorum verbere revocantur.—S. Augustinus Ep. 185 *Ad Bonifacium c.* 6 *opp. t.* 2 *col.* 652 *edit. Maurin. Venet.* 1729.

Si vult hæreticus non esse, neque audire, non isti, aut illi satisfaciat..... Festinet pro omnibus Sedi Romanæ satisfacere; hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium, et orthodoxum prædicabunt.— S. Maximus Martyr *Ep. ad Petrum Illustr. opp. tom.* 2 *pag.* 76 *edit. Combefis. Paris* 1675.

JOANNIS DEVOTI

ANANIENSIS EPISCOPI

INSTITUTIONUM CANONICARUM

LIBRI IV

A CL. AUCTORE EXPOLITI ET ADDITIONIBUS DITATI.

NOVISSIMA EDITIO

cui supplementa ac notationes, de iis maxime, quæ ad Hispanicæ Ecclesiæ disciplinam spectant, inseruit

DOCT. CAROLUS RAYMUNDUS FORT.

TOMUS IV.

MATRITI: 1854:
Apud Joseph. C. Peña.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PIO SEXTO

P. O. M.

JOANNES, EPISCOPUS ANANIENSIS,

FELICITATEM.

QUARTUS hic liber, PIE, PONTIFEX OPTIME MAXIME, finem faciet Canonicarum Institutionum. Est autem liber hic de judiciis criminalibus, quoniam civilia persecuntus sum libro superiore. Initio paulo accuratius agendum putavi de Ecclesiæ in coercendis criminibus potestate; quo loco refutavi, non modo Bohemerum, Thomasium, Pfaffium, ceteros Protestantes; sed etiam Van-Espenium, et refractarios quosdam scriptores, qui illam in discrimen revocare conati sunt inanibus quibusdam ratiumculis, quas non quærendæ, sed opprimendæ veritatis gratia excogitare potuerunt. Ego facile intelligo, quamobrem aliqui Protestantes (non enim omnium ex eo grege hominum eadem sententia

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est), qui Ecclesiam merum collegium esse arbitrantur, omnem ei adimant criminalem potestatem, quam totam adscribunt civili reipublicæ, cui subjiciunt Ecclesiam; sed certe intelligere non posum, quomodo ii, qui se catholicos profitentur, et Ecclesiam veram, perfectamque rempublicam agnoscunt, potestatem detrahant, quæ in primis est hujus veræ, et perfectæ reipubicæ propria. An Paulus cum *virgam* minatur Corinthiis, cum negat se *parciturum* repugnantibus imperio suo, si ad eos venire cogatur, cum acceptam *à Christo potestatem* ostendit, per quam *ulcisci* possit *omnem inobedientiam*, et se *durius acturum* profitetur adversus eos, qui sibi non pareant, cum accusationes contra Presbyterum Episcopi judicio committit, non declarat aperte, quæ á Christo in puniendis maleficiis Ecclesiæ Rectoribus potestas data sit? Apostolorum succesores, Episcopi, cum de criminibus judicarunt, eorumque reos vinculis, verberibus, exilio, ceterisque pœnis coercuerunt, an alienam exercuerunt jurisdictionem, non propriam et affixam magistratui, quem in Ecclesia gerebant? His ego, ac similibus monumentis, quæ in notis collegi, ne textum producerem ultra fines Institutionum, filumque orationis rumperem, demonstravi potestatem Ecclesiæ in criminibus coercendis; adjecique præterea testimonia non modo Patrum, et Conciliorum, sed etiam Principum, qui plus semel hanc eamdem potestatem agnoverunt, suisque legibus comprobarunt. Hac autem probe stabilita, et fixa potestate, consecuens est, ut recte Ecclesia judicet, semperque judicarit, de criminibus, quorum ejus est proprium judicium, sive ob rem ipsam, sive ob personas, à quibus ea patrata sunt, quæque ecclesiasticæ potestati subsunt, recteque pœnas aptas, et idoneas cuique crimini constituerit. Quare titulis, qui sequuntur, universum genus criminum, quæ ecclesiastica, quæque mixta dicuntur (nam civilium criminum tractatio propria est eorum, qui scribunt de jure civili), pœnasque omnes, quibus puniuntur sontes, explicavi. Singulis quibusque locis legentium oculis subjecta esse volui jura Sedis Apostolicæ; quod in primis faciendum intellexi, non tam pro Episcopi munere, quo Tuo beneficio fungor, quam pro fide Catholica, in qua Dei beneficio perpetuo vixi, et in qua omnem, quæ jam mihi restat, vitam acturum confido. Quid enim Catholico, Scriptori, in primis autem Episcopo, magis conveniens esse potest, quam jura ostendere, atque tueri Summi Pontificis, hoc est, Capitis sui, per quod efficitur Ecclesiæ unitas, sine qua vera Christi Ecclesia haberi non potest? Qua inre mihi bilem, et stomachum movent aliqui, qui priores quidem libros Institutionum mearum laude dignos existimarunt, sed reprehenderunt studium in Sedem Apostolicam, ac mihi, Romæ scribenti, ignoscendum putarunt, quod multa, ut ajunt, præter animi sententiam scripto mandaverim. Ego procul absum á laudibus, quibus ipsi me ornare voluerunt, et nihil omnino in me inesse sentio doctrinæ, ingenii, nitoris; sed certe in omnium conspectu profiteor, me unam sequutum fuisse veritatem, et nihil dedisse Sedi Apostolicæ, quod non ei jure debitum esse intelligerem. Tute ipse, Sapientissime Pontifex, cui propter exquisitam doctrinam, et excellens ingenium, explorata sunt omnia, mihi judex, et testis es, me nihil ingenio meo literis consignasse, sed omnia sumpsisse ex Patribus, ex Conciliis, ex perpetua Ecclesiæ disciplina. Quid igitur meam imminuere conantur fidem malevoli vituperatores, quasi aliud scripserim, aliud animo firmum habeam? Mearum sententiarum reprehensores convellant monumenta, quibus eæ nituntur, ostendant me Sedi Apostolicæ dedisse, quæ non dabant Patres, Concilia, totius, Ecclesiæ consensus, cetera suis quæque locis indicata; quod si præstare non possunt, comprimant inanes voces, quibus non meam, sed suam ipsi produnt cau-

sam, juraque Sedis Apostolicæ mecum agnoscant, et fateantur.

Sed jam his missis, quorum ego rationem plane nullan habeo, ad eos venio, pietate, ac doctrina præstantes viros, cum quibus vera mihi in his, quæ scripsi, sententiarum conspiratio, consensusque est, quique hos labores meos non tam verbis, quam facto probare voluerunt. Ex eorum genere sunt complures doctissimi Episcopi, qui adolescentibus, quos in Seminariis educant in spem Cleri, Institutiones meas publice tradendas curarunt; ac præterea Vir Clarissimus, cujus plura sunt scripta, quæ in manibus hominum versantur, quique in optima, quam evulgavit, studiorum methodo, tantum tribuit Institutionibus meis, gratia, et benevolentia in me sua, non merito aliquo meo, ut eas docendæ, erudiendæque juventuti omnium aptissimas judicet. Quibus ego viris tantas habeo gratias, quantas habere maximas possum; non tam quod tenues labores meos gravissimo judicio probarunt, quam quod excitatis adolescentibus ad studia Canonicæ Jurisprudentiæ, quod ego scribendo conatus sum, eorum opera, et auctoritate jam videor efficere, atque assequi potuisse.

Tibi vero quas agam, et habebo gratias, ó Decus, Tutela, Columen laborum, studiorumque meorum, Optime Sapientissimeque Pontifex, quo auspice, et approbatore, hæ Institutiones initium, cursum, exitum habuerunt, iterumque in vulgus eduntur? Tu omnes earum libros in amplissimo Tuo nomine apparere sivisti; quo quidem beneficio, quid ego majus, atque præstantius desiderare potuissem? Effecisti Tu tamen, excellenti hac, et præclara natura Tua, ut in eo esset augendi locus, quod mihi jampridem cumulatum esse videbatur. Nam in maximis occupationibus, quibus à sacro, et civili, quod utrumque incredibili sapientia; et virtute, ac summo omnium bono regis, imperio distineris, honore affecisti maximo, ac singulari Institutiones meas, ut eas legeres, atque etiam non improbares. Quibus ego immortalibus beneficiis Tuis, quam parem reperire orationem potero? Et tamen tantis his beneficiis affectus, alia adhuc postulare audeo; Tu vero, pro benignitate Tua singulari, ac prope divina, efficies, ut non frustra postulaverim, et simul dabis hanc veniam, ut quoniam Tibi referri gratia non potest, quanta debetur, habeatur tamen, quantam maximam animus, meus capere potest. Scilicet absolutis Institutionibus, rem Canonicam universam fusius, et uberius pertractandam adgrediar; qua de re multa jam retuli in commentarium meum, Teque rogavi, ut ex archivis educi juberes vetusta quædam, quæ nunc in tenebris latent, monumenta, quibus historia præsertim Canonicæ Jurisprudentiæ quam maxime illustrari, ornarique videtur posse. Hoc quoque opus ut in Tuo nomine apparere patiaris, rogo; nam nihil mihi gloriosius, nihil illustrius potest accidere, quam mea scripta commendare nomine PII SEXTI, cujus in omnium oculis, atque ore sunt laudes, et cujus memoriam excipient omnes anni consequentes. Interim pedibus advolutos Tuis oro, obtestorque Te, ut me patrocinio, cui me totum commendo, summo, et excelso digneris Tuo, mihique Apostolicam benedictionem impartias.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

LIBER IV.

TITULUS I.

DE ECCLESIÆ IN COERCENDIS CRIMINIBUS POTESTATE.

1. PŒNARUM FINIS, ET EARUM INFLIGENDARUM POTESTAS.—2. ECCLESIA PŒNAS IRROGAT IN FORO INTERIORI, ET EXTERIORI.—3. PŒNARUM INFLIGENDARUM POTESTATEM ECCLESIA A CHRISTO ACCEPIT, EAQUE APOSTOLI USI SUNT.—4. EPISCOPI, ETIAM ETHNICIS DOMINANTIBUS, HANC POTESTATEM EXERCUERUNT.—5. DATA ECCLESIÆ PACE, EJUS POTESTAS ETIAM IMPERATORUM LEGIBUS CONFIRMATA EST.—6. ECCLESIA QUOMODO IN CLERICOS, ET QUOMODO IN LAICOS ANIMADVERTAT?—7. CIVILIUM, ET ECCLESIASTICARUM PŒNARUM FINIS, ET RATIO.—8. ECCLESIÆ PŒNÆ SPIRITUALES, ET TEMPORALES.—9. JUDICIA CRIMINALIA ECCLESIÆ IN CLERICOS, ET IN LAICOS.—10. QUOMODO CLERICI AB ECCLESIA PUNIANTUR?—11. QUOMODO CLERICI AB ECCLESIA LAICÆ POTESTATIS COERCITIONI SUBJICIANTUR?—12. PARTES ECCLESIASTICÆ, ET CIVILIS POTESTATIS.—13. POTESTAS ECCLESIÆ IN PERSONAS CLERICORUM.

1.

Malos male habendos, et eum, qui malum fecit, malum ferre debere, non solum civilis, sed etiam divini, ac naturalis juris docet auctoritas. Nam hoc modo, et ceteri à crimine deterrentur, et civium incolumitati consulitur, et damnum, atque injuriam, quam quis suo scelere naturæ intulit, religioni, reipublicæ, quantum fieri potest, ipse emendat, et corrigit. Quare crimina sequuntur pœnæ, quibus improbi coercentur, salusque, et tranquillitas reipublicæ conservatur, easque infligit, cui publicæ salutis, et tranquillitatis cura, ac summa potestas commissa est. Non enim par in parem habet imperium, et jurisdictionem, per quam pœnam irroget; ac si lædens à læso punitur, non pœna hæc est, sed vindicta, si à tertio, non pœna, sed alia læsio, et injuria est. Neutrum vero fieri sinunt leges, quibus civiles hominum societates gubernantur (1).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL DE

(1) Puffendorfius de Jur. nat. et gent. l. 8 c. 3 §. 4 n. 3, et Heineccius Elem. jur. nat. et gent. l. 2 c. 8 §. 159 opp. t. 8 p. 214 ed. Neap. 1775.

2. Utraque potestas civilis, et ecclesiastica propriam habet, atque ab altera distinctam rempublicam, utraque suum habet imperium, et jurisdictionem, subditos, ex quibus respublica efficitur, res, quæ ad eam pertinent, magistratus, quorum cura, administratione, auctoritate cuncta geruntur (1). Quare utraque punit maleficia; sed civili potestati unum est forum, idque exterius, ecclesiasticæ duplex, alterum interius, exterius alterum (2). Interioris fori potestatem Christus Ecclesiæ dedit his verbis (3): *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt*; potestatem fori exterioris his verbis expressit (4): *si peccaverit in te frater tuus etc. dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.* Quibus quidem verbis sacri interdicti, sive anathematis pœnam, qua nulla gravior in Ecclesia coercitio est, contineri Patres docent.

(1) Confer quæ dixi in Prolegomenis c. 1 §§. 6 et 7; t. 1 p. 4 et 11; et l. 3 tit. 1 t. 3 p. 1 et seq.

(2) Nihil dubitandum est, inquit Synodus Cameracensis tit. 14 c. 1 apud Labbæum t. 20 Concil. ed. Venet. col. 1411, « duplex esse forum ecclesiasticum, à Christo nomine *clavium* nobis insinuatum; alterum sacramenti pœnitentiæ, quod ad conscientiam spectat, in quo reus nonnisi ex propria confessione solvitur, et ligatur; alterum vero jurisdictionis, et regiminis externi, in quo reus non solum ex propria confessione, sed etiam per testes convincitur, et judicatur. » Mitto cetera testimonia, quæ superiori loco descripsi.

(3) Joannes XX, 23.

(4) Matth. XVIII, 15 et seq. Huc etiam spectat illud Christi apud Lucam X 16: *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit;* quibus verbis jubendi, et coercendi potestas Apostolis tribuitur, atque in ipsum Christum contumax pronunciatur, qui illorum mandatis non obtemperaverit. Pertinet etiam ad hunc locum potestas *pascendi*, hoc est, *regendi*, ut ostendi in Prolegomenis c. 2 §. 18 not. 3 t. 1 p. 12, *agnos*, et *oves*, nimirum et *pastores*, et *oves*, ut observat S. Ambrosius l. 10 in Lucam n. 175 et seq. opp. t. 4 p. 265 seq. ed. Ven. 1781, et S. Bernardus de Consider. l. 2 c. 8 opp. t. 1 col. 428 ed. Mabillonii Paris 1719, quam Christus contulit in Petrum, quem Ecclesiæ caput constituit, quemque omnibus dignitate, et jurisdictione præesse voluit. Præclare Bossuetius in sermone, quem *de Veritate Ecclesiæ* V. Idus Novembres an. 1681 ad Collegas habuit, qui ad Comitia convenerant opp. t. 7 p. 475 ed. Argentinæ 1752, « C' est à Pierre, inquit, qu' il est ordonné. . . de paître, et de gouverner tout, et les brevis, et les petits, et les meres, et les pasteurs memes. Pasteur à l' egard des peuples, et brebis à l' egard de Pierre. » Par est ratio potestatis *clavium*, quæ primum uni Petro, cui omnes Christus subesse jussit, data est, Matth. XVI, 18 et 19, deinde et Petro, et ceteris Apostolis, Matth. XVIII, 18. Nihilo tamen minus Ecclesiæ in coercendis criminibus potestati adversantur recentiores Protes-

tantes, qui cum Ecclesiam non veram, perfectamque rempublicam, sive, ut inquiunt, Statum, sed Collegium esse defendant, ei licere negant in reos criminum pœnis animadvertere. Ex eorum numero Dubemerus Jur. Eccl. Protest. l. 5 tit. 37 §. 16, et Pfaffius de Orig. jur. eccles. p. 205, Ecclesiam nullam propriam habere censent potestatem criminum constitutis pœnis coercendorum; quod si qua ei facultas est animadvertendi in illos, qui societatem perturbant, eam totam repetunt ex pacto, vel expresso, vel tacito, quo quis in Collegium receptus est. Hinc si quid vitii in pœnarum conventionalium irrogatione inesse videatur, rem omnem subjiciendam esse putant judicio civilis Potestatis, cui collegium subest. Eadem est sententia Christiani Thomasii in dissert. *de For. competen. cleric.*, Moshemii, ceterorum Protestantium, qui Puffendorfii errorem sequuti, Ecclesiam merum collegium faciunt; quem quidem errorem refutavi in Prolegomenis c. 1 §. 6 et seq. t. 1 p. 4 et seq.; et ante me multo uberius, et luculentius, refutavit doctissimus Mamachius Ep. 2 ad Febronium §. 6 et 7 p. 207 et seq. t. 1. Protestantibus præivit vetusta, eaque deterrima secta Catharorum, seu Puritanorum, qui ipsa Apostolorum ætate, omni non solum ecclesiasticæ, sed etiam civili potestati obsistebant. Horum errores, ut observat Petavius *de Hierarch. eccles.* in Præfat. n. 3 p. 52 t. 6 ed. Ven. 1757, instaurare visus est Salmasius, qui cum laicos omnes sacerdotes faciat, consequens est, ut nulla ab Episcopo pœna infligi possit, neque ejus jurisdictio in coercendis criminibus sita sit. Inquit enim, Episcopos initio non fuisse Magistratus, neque eos habere potestatem et jurisdictionem, qua imperent, et invitos, ac repugnantes ad parendum cogant. Catharos sequuti sunt alii hæretici; in primis vero Marsillius Patavinus, et Joannes Jandunus, qui sine Principis venia Ecclesiam pœnis coercere neminem posse existimabant. Horum errores condemnavit Joannes XXII in Constit. *Licet juxta doctrinam* apud Raynaldum ad an. 1327 num. 28 et seq. t. 24 Annal. p. 347 ed Lucæ. Sed eos tamen in medium revocare ausus est Spalatensis Apostata de Republ. l. 5 c. 1, 2, 3. Joannes Morinus, *de Administr. sacram pœnit.* l. 1 c. 10, Ecclesiam usque ad XI, aut XII, sæculum tantum interioris fori judicio, et potestate crimina coercuisse putat, atque ad hoc tantum forum universam ipsius jurisdictionem referendam esse contendit. Cum Morino sentiunt Van-Espenius Jur. eccles. part. 3 tit. 4 c. 1, Giannonius histor. civil. t. 1 l. 2 c. ult., Auctor libelli Ticini editi an. 1785, « Del diritto d' imporre gl' impedimenti dirimenti nel matrimonio, é di dispensarne, » t. 2 p. 125, Cavallarius Inst. Jur. can. par. 3 c. 4. Verum non his omnibus eadem prorsus sententia est. Sunt enim qui sæculo XI, sunt qui serius, aut citius interius forum ab exteriori distingui cœpisse arbitrantur; adeo incertum, controversumque est his magistris, et effectoribus epocharum, quod ipsis certum, atque exploratum esse deberet. Sed potestatem, quam habet Ecclesia, cogendi invitos, et repugnantes, late explicarunt, ac vindicarunt Gersonius *de Potestat. Eccles.* consid. 4 t. 2 opp. col. 230 ed. Antuerp. 1706, Hervæus, Petrus de Ailiaco, Joannes Major, qui omnes *de Potestate Ecclesiæ* tractatus ediderunt, item Almaynus *de Auctor. Eccles.* cap. 2 coroll. 3 et de potest. eccles. et laic. q. 3 cap. 2. Adversus Salmasium solide, graviterque disputat Petavius de Hierarch. Eccles. l. 3 c. 8 et seqq. opp. t. 6 p. 150 et seq. ed. Ven. 1757. Quæ Morinus falso statuit, quæque ejus exemplo, literis consignarunt Van-Espenius, Litta, ceteri, refutata sunt l. 3 tit. 1 fere per tot. Denique, ne omnes singillatim enumerem, de Ecclesiæ potestate copiose egerunt Dadinus Alteserra *Eccles. jurisd. vindic. adver. Feuret*, Hallier de Hierarch. eccl. l. 4 art. 7 §. 1 et seq. p. 419 ed. Paris. 1656, Franciscus à Victoria in duabus Relectionibus de potest. ec-

cles., Zacharias Boverius *Adversus de Romanis censur. parenet. de Rep. Eccles.* par. 2 cens. in 1 4 c. 2 p. 127 et seq. ed. Mediolan. 1621, et novissime Cl. Franciscus Antonius Zaccaria in dissertatione 5ta de Disciplina: cui titulus « Comandi chi puo, ubbidisca chi dee », Faventiæ edita p. 152 seq. Videndus est etiam Petit Piedus: « Traité du droit, et des prerogatives des Ecclesiastiques dans l' administration de la justice seculiere. » Quin saniores quoque Protestantes Ecclesiam in coercendis criminibus potestatem habere non inficiantur; atque eorum è numero sunt Basnagius Annal. Eccles. t. 2 dissert. 4 de Eccles. tribun. § 1 p. 491 ed. Roterdam 1706. Beveregius Prolegom ad synodic. seu Pandectas Canonum n. 2 seq. t. 1 p. 1 seq. ed. Oxonii 1672.

3. Atque hanc quidem à Christo acceptam potestatem infligendi pœnas, tum in interiori, tum in exteriori foro, Apostoli et verbis, et factis ostenderunt. Præsertim Paulus, cujus plura extant scripta, quam aliorum Apostolorum, in Paulum, atque Alexandrum (1), itemque in Corinthium, incestus in novercam reum, animadvertit (2), quem postea, cum resipuisset, pœna solvit, atque Ecclesiæ communioni restituit; *Virgam* minatur (3); negat se parciturum, si venire cogatur (4); acceptam à Christo *potestatem* ostendit, per quam *ulcisci* possit *omnem inobedientiam*; et se *durius* acturum profitetur adversus eos, qui sibi non obediant (5). Ipse Paulus Episcopum docet, quemadmodum accipere debeat accusationes, quæ contra Presbyterum deferuntur (6).

(1) I. ad Timot. I, 20, et II. ad Timot. IV, 15.
(2) I. ad Corint. I. 5 et seq; et II. ad Corint. II, 6 et seq.
(3) I. ad Corint. IV, 21.
(4) II. ad Corint. XIII, 2.
(5) II. ad Corint. X, 6 et seq., II. ad Thessalon. III, 14. Confer quæ dixi l. 3 tit. 1 §. 10 et seq. t. 3 p. 7 et seq.
(6) I. ad Timot. V. 10.

4. Exemplo Apostolorum, Episcopi eamdem semper, quoties opus fuit, potestatem exercuerunt. Quod non solum Constantino Imperatore, et quarto post Christum natum sæculo, quo tempore Christiana religio in Imperio dominari cœpit, sed etiam prioribus sæculis factum est. Nam eo temporis intervallo, Victor, Summus Pontifex, in Theodorum Byzantinum Coriarium animadvertit, et coercuit Asianos, qui ipsa luna XIV., Hebræorum more, Pascha celebrabant. Similiter à Presbyteratus gradu dejectus, ac censurarum pœnis affectus est Marcio; Paulus Samosatenus de Episcopatu dimotus, atque ab Ecclesia ejectus; sumpta pœna de Novato, et Felicissimo, de Basilide Asturicensi, et Martiale Emeritensi, de Origene, de ceteris, qui in Religionem peccaverant. Atque hi quidem omnes, non pœnas sua sponte susceperunt, sed eas Ecclesiæ lege, et imperio sustinere coacti sunt (1).

(1) Quam ægre tulerit depositionis sententiam Marcio, et quantum laborarit, ut gradum suum recuperare posset, narrat S. Epiphanius Hæres. 22 vel 42 n. 1 p. 302 t. 1 ed. Coloniæ 1682. Paulus Samosatenus tam audacter, et pertinaciter restitit sententiæ depositionis, quæ adversus eum lata fuerat, ut Christiani Antistites rogarint ipsum Aurelianum Imperatorem, qui cum ex domo Episcopali per vim expelleret. Imperator autem, licet ethnicus, sententiam tulit, qualem Christianus Imperator ferre potuisset; nam legem dixit, ut domus traderetur iis, quibus illam Christianæ Religionis Antistites, et Romanus Episcopus concedendam indicarent; quæ cuncta constant ex Eusebio Histor. eccles. l. 7 c. 30 p. 364 ed. Valesii Cantabrig. 1720, Theodoreto Hæret. fabul. l. 2 c. 8 p. 223 t. 4 opp. ed. Paris. 1642. Similiter quam ægre Novatus, et Felicissimus, itemque Basilides Asturicensis, et Martialis Emeritensis contra se latam sententiam tulerint, quantumque laborarint, ut ejus vim declinare possent, ostendunt S. Cornelius Ep. ad S. Cyprianum quæ inter Cypriani epistolas est 50, ac Cyprianus Ep. 52 ad Corn. et Ep. 59 p. 236, 237 et 265 ed. Amstelædami 1700. Origenes autem de se ipso demonstrat, quam ægro, et invito animo Demetrii Episcopi sententiæ parere debuerit, in Præfat. t. 6 in Joan. t. 4 opp. p. 101 ed. Paris. 1759, qua de re vide etiam Constantium in Ep. Roman. Pontif. col. 115 et seq. Confer præterea eumdem Cyprianum Ep. 3 ad Rogatian. p. 172 et Ep. 45 ad Plebem p. 227, unde intelligis, quemadmodum Episcopi punire sontes possint. Mitto cetera, ne longus sim.

5. Data Christianis pace, non solum suo jure, sed etiam legibus Imperatorum (1), Ecclesia de criminibus judicavit. Atque hæc quidem judicia non tantum erant de criminibus in Religionem (2), sed et omnes comprehendebant causas, in quibus Clerici de aliquo in rempublicam crimine arguebantur (3). Potestatem illam cognoscendi, puniendique crimina in religionem, à Christo nominatim accepit Ecclesia, in quam ipse contulit *clavium* potestatem, et cujus unius esse voluit curare omnia, quæ ad res sacras, aut divinas pertinent. Quare quisquis, inter Ecclesiæ filios per Baptismum cooptatus, in ea peccat, quæ unius Ecclesiæ gubernio, curæ, judicio commissa sunt, is omnino illius potestatem, et animadversionem subire debet, ac si ejus decreto non steterit, Christi jussu, tamquam ethnicus, et publicanus habendus est (4): nimirum ei sacris est interdicendum, et communione Christianorum.

(1) Vide Constantini constitutionem *in Extravag.* cod. Theod. de. Episc. judic., de qua late egi l. 3 tit. 1 §. 22 not. 4 t. 3 pag. 17 et seq, item L. 12 41, 47 cod. Theod. de Episc. Eccles. et Cleric., Justiniani Novellam 83., Capitularia Caroli M. l. 5 cap. 398 et 590 l. 7 c. 347 et 456 t. 1 col. 604, 606, 735, 750 ed. Baluzii Ven. 1772, et alibi passim.

(2) De rebus, quæ ad Religionem pertinent, omne judicium unius Ecclesiæ esse, nulla est, et nulla unquam fuit inter Catholicos controversia. Nam tota hæc potestas, et gubernatio uni Ecclesiæ à Christo data nominatim est; et huc spectant Concilia quavis ætate habita ad fidem, ac disciplinam stabiliendam, hæreticosque condemnandos, huc similiter constitutiones, quas Romani Pontifices, quoties opus fuit, ediderunt. Confer doctissimum Mamachium ad Auctorem op.: *Quid est Papa?* Ep. 3 t. 1 p. 237 seq.; et confer etiam quæ ipse scripsi l. 3 tit. 1 §. 8 tom. 3 p. 6 et seq.

(3) Auctor const. Apostolic. l. 2 c. 47, canon Apostolorum 66 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 257 et 451 edit. Amsteledam. 1724, Concilium Eliberitanum can. 74, ibique Albaspinæus in Not. p. 184 ed. Neap. 1770, Antiochenum can. 12, 14, 15 apud Labbæum Concil. t. 2 col 595 ed. Ven. Carthaginense III. can. 9, et Carthaginense V. can. 2 eod. t. 2 col. 1401 et 1454, Toletanum III. can. 15 t. 6 col. 700, Matisconense an. 580 can. 8 et 52 t. 6 col 662 et seq. ejusd. collect. Labbæi Confer etiam Optatum Milevitanum l. 1 contr. Parmenian. n. 22 et 23 p. 22. 23 ed. Antuerp. 1702, Rufinum histor. l. 10 seu 1 cap. 2 col. 217 ed. Vallarsii Veron. 1745, qui refert ea de re præclaram Constantini Imperatoris sententiam; Luciferum Calaritanum l. 1 pro S. Athanas. adv. Constantium in Biblioth. PP. t. 4 p. 184 l t. G. ed. Lugdun. 1677, Constantinum Imp. Ep. ad Pap. Alexandr. apud Athanasium Apol. 2 contr. Arian. n 62 opp. t. 1 p. 142 ed. Patavii 1777, Ambrosium in Act Conc. Aquilejen. opp. Ambros. t. 5 p 511 ed Ven. 1781, et Ep. 21 ad Valentinian., et Ep. 56 ad Theophil. t. 6 p. 52 et p. 184, Martinum, apud Sulpitium histor. l. 2 c. 50 t. 2 p. 265 ed. Veron. 1754, Gregorium M. Ep. 56 ad Joannem Ep. l. 2 opp. t. 2 col. 667 ed. Paris. 1705, et in can. 39 et 40 caus. 11 qu. 1, Hilarium ad Constant. l. 1 n. 1 col. 535 t. 2 opp. ed. Veron. 1730., Athanasium in hist. Arianor. ad Mon. n. 52 opp. t. 1 p. 207 ed. Patav. 1777., Osium ad Imper. Constant. apud Athanasium hist. Arian. ad Monach. t. 1 p. 295 ed. Patav. cit., Liberium Epist. ad Euseb. apud Constantium Epist. Pont. Roman. col. 431, et in Dialog. cum Constantio apud eumdem n. 1 col. 454. Ipsi etiam Arriani Principes hanc Ecclesiæ jurisdictionem in causis civilibus, et criminalibus agnoverunt. Nam Theodoricus Gothorum Rex, calumniatores Augustani Episcopi, quoniam erant clerici, ad Mediolanensem Episcopum judicandos missit apud Cassiodorum l. 1 t. 1 Ep. 9 p. 7 ed. Rotomagi 1679: Romanosque clericos actione tum civili tum criminali apud Romanum Pontificem, vel judicem ab eo datum pulsari voluit Athalaricus apud eumdem Cassiodorum l. 8 t. 1 Ep. 24 p. 136 ed. cit. Quod si aliquando clerici apud laicos judices propter crimen accusati sunt, id quidem injuria, ac per vim factum est; quin etiam interdum clerici à laica potestate auxilium petierunt, non ut ipsa judicium ferret, sed ut alienam temeritatem vi adhibita coerceret, atque ut repugnantes, ad parendum Ecclesiæ sententiis cogeret. Constantinus Imperator exilio mulctavit S. Athanasium, propterea quod eum ecclesiastico judicio damnatum putavit, cui se parere oportere intellexit, sicuti testatur Sozomenus histor. eccles. l. 2 c. 28 p. 84 ed. Valesii Cantabrig. 1720. Verum ipse ecclesiastico judicio habito, Antiochiæ. Romæ, Sardicæ absolutus fuit, quod ipse Athanasius Apolog. contr. Ariani in princ. opp. t. 1 p. 97 et 98 ed. Patavii cit., satis esse docet, ut omnis controversia plane finita habeatur. Crimen autem Athanasio objectum non ecclesiasticum, sed læsæ Majestatis erat, in quod præ ceteris Imperator animadvertendum putarat. Nolo esse longus in recensendis exemplis, quorum ecclesiasticæ historiæ plenæ sunt. Tantum indicabo judicium, quod sanctissim. Episcopi dederunt de Itacio, qui accusationes adversus Priscillianum, et Instantium ad laicum Principem detulerunt. Porro eum gravissime improbarunt S. Martinus Turonensis, qui cum eo, ejusque sociis numquam communicare voluit, ut testatur Severus Sulpicius l. 2 n. 50 t. 2 p. 263 et Dial. 3 n. 12 t. 1 opp. p. 140 ed. Veron. 1754. Similiter Theognostus, aliique sanctissimi Episcopi ea de causa ab ejus communione divisi sunt, uti patet ex eodem Sulpicio t. 1 l. c., et S. Ambrosio Ep. 24 n. 12 opp. t. 6 p. 80 ed. Maurin. Ven. 1781, qui sese abstinuisse testatur à communione Episcoporum, qui cum Itacianis communicabant; idem quoque judicium fuit S. Siricii Pontificis, uti patet ex Concilio Taurinensi c. 6 t. 2 col. 1386 collec. Labbæi: et vero Itacius, quod Priscillianum accusaverat, exul, et ecclesiasticæ communionis expers decessit, sicuti narrat S. Isidorus de Vir illustr. c. 15 p. 781 ed. Paris 1601.

(4) Matthæus XVIII. 15 et seq. Ceterum Ecclesiæ in coercendis criminibus tum interioris, tum exterioris fori potestatem testatissimam faciunt Patres universi, præter ceteros autem Auctor Const. Apostolic. l. 2 cap. 11, 12, 37, 42, 47 seq. apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 220, 222, 250, 254, 257 ed. Amstelædami 1724, Cyprianus Ep. 52 ad Cornel., et Ep. 3 ad Rogatian. p. 258 et 172 ed. Amsteledami 1700, Gregorius Thaumaturgus Ep. canon. can. 5, 8 et 9, p. 49 et seq. ed. Paris. 1621, unde patet, alias de iis, qui sponte crimen essent confessi, et alias de iis, qui essent convicti, pœnas sumptas fuisse; Innocentius I. Ep. 6 ad Exuper. Tolosan. n. 10 apud Constantium Ep. Roman. Pontif. col. 794, qui pœnas constituit adversum adulterum, *cujus flagitium delegatur*, qui *probatione cessante, vindictæ rationem* jubet *conquiescere*, qui conceptis verbis nominat *uxores adulteras apud Sacerdotes delatas*, hoc est accusatas. Omnia hæc, ut quisquis facile intelligit, nonnisi ad exterioris fori judicium referri possunt. Idem quoque confirmant Augustinus Serm. 351 de Pœnit. c. 3 opp. t. 5 col. 1559 ed. Maurin. Ven. 1731, Cæsarius Arelatensis in Append. serm. August. Serm. 289. De castitate n. 5 opp. t. 5 par. 2 col. 482 ed. cit., Joannes Chrysostomus Hom. 22 in 2 ad Corinth. opp. t. 10 p. 589 ed. Montfauconii Paris., Theopylactus Comment. in Ep. II ad Corint. c. 10 vers. 8 p. 402 ed. Londini 1636, Œcumenius eod. loc. t. 7 p. 710 ed. Paris. 1631. Id postremo addam, crimalia judicia in foro exteriori apud Episcopos, eodem fere ritu, quem Lex Romana constituerat, expediri consuevisse. Generatim in omnibus judiciis ecclesiasticis, uti supra animadverti, cunctæ non adhibebantur solemnitates civilium judiciorum; sed sæpe etiam hæ solemnitates, saltem quæ præcipuæ erant, observatæ diligenter sunt. Id ex collatione Juris civilis cum ecclesiastica historia manifestum est. Jure civili accusatio instituitur libello, cujus formula extat in L. 3 ff. de Accusat., quique actis inseritur. Accusatorium libellum Eusebius Dorilæi Episcopus adversus Euthychem Presbyterum, et Archimandritam proponit, ut eum hæreseos accuset, eumque *relegi*, vult *et inferri monumentis actorum*, sicuti patet ex Concilio Constantinopolitano S. Flaviani Patriarchæ Act. 1 et 2 t. 4 concil. col. 950 et 955. Collect. Labbæi. Quod etiam in Concilio Chalcedonensi Act. 3 dict. t. 4 col. 1267 adversus Dioscorum Theodorus præstat. quin et alia ecclesiastica judicia per libellum instituta demonstravi l. 3 tit. 5 §. 1 not. 4 p. 66. Jus civile accusatoris inscriptionem, et subscriptionem postulat. Inscriptione acusator ostendit, se Titium ex. gr. ex una, alterave lege reum deferre, eumque se reum demonstraturum profitetur d. L. 3 et L. 2 cod. de Exhib. reis., subscriptione vel ipse per se, vel per alium, cum literas nescit, declarat, suas se implevisse partes, seque obstringit reciproci pœna, si falso ab se hominem accusatum pateat cit. L. 2. Eusebius cit. act. 1

et 2 col. 931, 934 et 935 paratum sese exhibet *convincere* Eutychem *falso habere catholicum nomen*, libellum sua manu subscribit, et act. 5 et 7 col. 991 et 1010 non obscure significat, vereri se, ne per fraudem Eutychis pœnam talionis perferat, quem metum Flavianus depellit. Ita in Chalcedonensi Concilio act. 3 t. 4 col. 1267. Paschasinus S. Leonis Papæ Legatus de Theodoro Diacono Dioscori accusatore dicit hæc: *Si confidit probare ea, quæ ingerit..... propio ore confiteatur, si non vult regularem adversus se converti sententiam.* Ex Jure civili reo libellus est offerendus, ut rem omnem noscat, eique ad deliberandum temporis spatium conceditur novel. 53 c. 3. Idipsum cum Eutyche factum est act. 1 et 3, aliisque actionibus col. 935, 979 seq. Jus civile in judiciis notarios adhiberi, cunctaque in acta referri jubet. Utrumque in causa Eutychis Constantinopolitani Concilii Patres fecisse, constat ex act. 2 et 3 col. 958, 974, 978, 979, 982, idque etiam in Chalcedonensi Concilio gestum est act. 3 col. 1290 et 1294. Quæ de interrogandis testibus à Jure civili sunt constituta, ea fere omnia in eadem synodo Flavianus observavit act. 3 col. 978. Jure civili reus per apparitorem ter in judicium vocatur, atque in eum etiam manus injiciuntur, cum gravior est causa, quæ pœnam postulet asperiorem arg. l. 1 ff. An per al. caus. appell. red. pos. Dioscorum, Eutychem, atque alios semel, iterum, an tertio vocatos, constat ex actis Concilii Constantinopolitani S. Flaviani, Chalcedonensis, aliorumque complurium, ex quibus etiam patet, Episcopos per Episcopos saltem duos, clericum per clericos, laicum per laicos vocari consuevisse. Vide Christianum Lupum Diss. in Conc. Ephes. cap. 3 et Append. ad Ephesin. Iatrocin. act 3 opp. t. 2 p. 9 et 215 ed Ven. 1724. Interdum, quod ecclesiasticæ lenitatis est proprium, quartam etiam citationem Synodi emitti voluerunt, et vero eamdem in causa Nestorii emisit Synodus Ephesina act. 1 t. 3. Concil. col. 1006 collect. cit. Eusebius accusatum reum ad Concilium invitum duci postulat act. 3 col. 986, quamquam eam vim adhiberi tunc Flavianus nolit. Jure Romano cum nuncius rei copiam habere nequit, decretum citationis denunciare in faciem debet, atque id revera cum Eutyche factum patet ex act. 3 col. 983. Secundum Jus civile regulariter in causa criminali frustra procurator constituitur L. pen. § ult. ff. de publ. judic., l. 1 ff. An per alium. Eutyches ad synodum vocatus, Abrahamium, aliosque misit, qui suam agerent causam, ac pro se responderent; at S. Flavianus act. 4 col. 990 his Abrahamium verbis alloquitur: *quomodo, rogo te, est possibile, altero accusato, pro eo alterum dicere?* Romanorum legibus statutum erat, ut reus ab accusatore, et judice interrogaretur l. 6 § 1 ff. de Cust. reor. Eutychem in Concilio Constantinopolitano Eusebius accusator, et Flavianus Concilii Præses interrogant act. 7 col. 1010 seq. *Loqui nisi interrogato teste non licebat* ex jure civili Romanorum, uti tradit Asconius Pedianus in Verrin. 3 Theophilus, et Memas Presbyteri, qui Euthychem ad synodum vocaverant, instante Eusebio, ac jubente Flaviano, multa contra Euthychem testantur, interroganti autem Flaviano, cur non ea pridem in medium protulissent, respondent act. 6 col. 1002, *minime interrogati superfluum putavimus hæc dicere.* Antequam sententia feratur ex jure Romanorum proponitur terminus peremptorius, intra quem reus venire in judicium debet, eoque non veniente, sententia in contumacem emittitur. Similem Euthychi terminum proposuerunt Constantinopolitani Concilii Patres, eoque elapso, *privabitur omnino*, inquiunt act. 5 col. 998, *et presbyteri dignitate, et alienabitur præesse monasterio.* Accusationem deserere ex Jure civili crimen est, quod extra ordinem punitur l. 2 Cod. ad S. C. Turpil. S. Gregorius M. in can. 6 caus. 2 qu. 3. Paulum Diaconum, quod ab Episcopi accusatione destiterat,

criminis reum judicat; quamquam ei peculiares ob causas, quas memorant Romani Correctores, veniam tribuat. Damnari absentem leges Romanorum vetant l. 5 ff. de Pœn. l. 1 ff. de requir. vel abs., l. 6 Cod. de Accusat. Judicium, quod à synodo Tyria contra S. Athanasium latum fuerat, multis quidem de causis irritum habitum est, sed ea præsertim de causa, quod contra absentem jus dictum fuerat, uti patet ex rescripto Julii I. nomine evulgatum, quod extat in Athanasii operibus t. 2 p. 605, ed. Patav. 1777, atque ex epistola synodica PP. Alexandrinorum t. 2 Concil. col. 575 collect. cit. Contumaces etiam absentes recte damnari statutum est L. 5 ff. de Pœnis, et L. 10 ff. de Public. judic. Nestorium, qui ad synodum vocatus non veneral, depositionis pœna ab Ephesinis Patribus subjectum fuisse, tradit S. Cyrillus Ep. ad Cler. et Pop. Alexand. in t. 1 Conc. col. 1102 cit. collect. Similiter Dioscorus à Chalcedonensi Concilio Act. 3 t. 4. Conc. col. 1302, absens damnatus est, postquam tertio inutiliter vocatus fuerat. Juris civilis disciplina ita fert, ut reo insinuetur sententia, qua cognita ipse appellare possit. Sententia in Ephesino Concilio adversus Nestorium lata insinuata ei est per literas synodales, quarum epigraphe hæc est: *Synodus Nestorio novo Judæ.* Postremo quæ à Jure civili de probationibus ab actore, de exceptionibus à reo proponendis, de concedendis utrique idoneis dilationibus sunt constituta, ea fere omnia in ecclesiasticis quoque judiciis observata fuisse, ex Conciliorum actis manifestum est. Placuit conferre jus civile cum ecclesiasticis judiciis, ut clarior sit error illorum, qui Ecclesiam exterius forum habuisse inficiantur.

6. Potestas animadvertendi in crimina clericorum oritur ex imperio, et jurisdictione, quam Ecclesia, tamquam perfecta, ac distincta respublica, in suos subditos habet. Nam cui summa potestas, et jurisdictio commissa est, cui jus est imperandi, legesque ferendi, ei quoque jus competit puniendi sontes, qui legibus non obtemperant, statumque reipublicæ pervertunt (1). Omnes, qui baptismum susceperunt, proprie Ecclesiæ subditi sunt; sed tamen ita fert Imperii, et Sacerdotii concordia, ut laici tantum in rebus sacris, atque divinis, clerici autem in rebus omnibus Ecclesiæ subjiciantur; quoniam hi magistratus habent, et officia ecclesiastica, et proprie conficiunt ecclesiasticam rempublicam, sive administrationem, et potestatem quam à civili distinguimus (2).

(1) Puffendorfius et Heineccius l. c.

(2) Laicos aliquot jam usque ab antiquis temporibus clericis infestos fuisse, tradit Bonifacius VIII. in c. 3 de Immunit. Eccles. Eum reprehendit Cavallarius Inst. Jur. Canon. par. 3 c. 25 § 2 not. 2, quasi id minus vere dictum sit, quoniam ait initio magnam inter clericos, et laicos fuisse concordiam, ac tantum post editas Isidori decretales dissidia erupisse. Sed falso, et immerito Cavallarius Bonifacium acusat. Nolo longus esse in recensendis exemplis, quorum historiæ plenæ sunt. Tantum indicabo, quod Hillarius Pictaviensis Episcopus narrat evenisse ætate sua, quæ in IV seculum incidit. Ipse scilicet ad Constant. August. l. 1 n. 4 opp. t. 2 p. 535 ed. Veron. 1730. Constantium rogat, ut suis quoque legibus personalem Clericorum immunitatem confirmet,

«neque posthac (laici) præsumant, atque usurpent, et putent se causas cognoscere clericorum; et innocentes homines variis afflictationibus, minis, violentia, terroribus frangere, atque vexare.»

7. Jamvero civilium, et ecclesiasticarum pœnarum non idem plane finis, neque eadem prorsus ratio est. Ecclesia, quam charitas exercet, duo tantum habet proposita: primum, ut peccator redeat ad bonam frugem; alterum, ut ceteri exemplo pœnæ à crimine deterreantur (1). Civilis potestas in irrogandis pœnis læsi quoque dignitatem tuetur, et publicam ultionem persequitur. Ecclesiasticarum pœnarum summus est gradus eos, qui gravissime peccarunt, è republica expellere; civilis potestas progreditur etiam ad pœnas, per quas sanguis effunditur, aut sontes morte multantur.

(1) Præclare Augustinus Ep. 185 ad Bonifac. n. 7 opp. t. 2 col. 653 ed. Ven. cit., «Multi, inquit, per illas correcti sunt, et quotidie corriguntur; et se esse correctos, atque ab illa furiosa pernicie liberatos, gratias agunt. Et qui oderant, diligunt, molestasque sibi fuisse saluberrimas leges, quantum in insania detestabantur, tantum recepta sanitate gratulantur, et in residuos, cum quibus fuerant perituri, jam simili dilectione nobiscum, ut pariter instemus, ne illi pareant, excitantur.» Deinde multis ostendit, utile prorsus esse homines pœnarum metu ad veritatem ducere, ac quasi compellere: «multis enim, ait, profuit prius timore, vel dolore cogi, ut postea possent doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere sectari.» Denique habet hæc: «Antequam dicant boni filii: *concupiscentiam habemus dissolvi, et esse cum Christo*; multi prius, tamquam mali servi, et quodammodo improbi fugitivi, ad Dominum suum, temporalium flagellorum verbere, revocantur.» Ad hæc postrema Augustini verba diligenter advertant velim, qui Ecclesiam temporales infligendi pœnas potestatem habere inficiantur.

8. Et quoniam Ecclesiæ potestas duplex est, altera, tota spiritualis, à Christo separatim data, quæ tum in interiori, tum in exteriori foro exercetur, altera, quam ipsa habet communem cum omni perfecta, ac distincta republica, et quæ temporalis dicitur; sequitur, ut duplex etiam sit genus pœnarum, quæ ab ipsa irrogantur. Aliæ scilicet spirituales sunt, quæ animum affligunt, et aliæ temporales, quæ corpus castigant. Spirituales pœnas infligendi jus est in omnes, qui per baptismum inter Ecclesiæ filios cooptati sunt, quique in religionem peccant; temporales quoque pœnas in omnes constituit Ecclesia, sed in laicos, et clericos ratione dispari.

9. Laici, qui tamquam Christiani, Ecclesiæ, tamquam civilis reipublicæ cives, hujus imperio parere debent, Ecclesiæ coercitioni subsunt in iis criminibus, quorum judicium ad Ecclesiam pertinet; in ceteris à civilibus magistratibus judicandi sunt. In hos quoque utitur Ecclesia pœnis temporalibus, ut eam habeat, quam habere opus est, rationem criminum, et reus resipiscat, neque omnes indiscriminatim subjiciantur pœnis spiritualibus, quæ gravissimæ sunt. Clericorum crimina omnia coercet Ecclesia, sive ecclesiastica, sive civilia sint. Hæc quidem propter rem ipsam non subessent Ecclesiæ potestati; sed ei tamen subjecta fiunt propter jus in personas, quarum crimina coercenda sunt à republica, in qua versantur, et cui subjiciuntur.

10. At clerici civilis quoque reipublicæ cives habendi sunt, neque eos Ecclesia ita in rempublicam suam cooptavit, ut ipsi impune contemnerent, ac perverterent jura civitatis. Ergo Ecclesia curat, ut hæc jura sarta tecta serventur, pœnasque repetit à clerico, qui ea violare ausus est. In quibus sane pœnis suam quoque, cum est opus, partem, et potestatem civili reipublicæ relinquit. Scilicet quamdiu ipsa habet pœnas delicto pares, easdem ipsa imponit eo jure, quod omnis respublica habet in cives suos, et clericum criminosum plectit exilio (1), verberibus (2), mulcta pecuniaria (3), carceribus (4), ceterisque pœnis, quibus hoc agitur, ut peccator emendetur, ac ceteri exemplo pœnæ sese à crimine abstineant (5).

(1) «Hi, qui adversa eis moliuntur, inquit Concilium Romanum sub Symmacho P. an. 503 apud Labbæum t. 5. Concil. col. 504, sicut à SS. PP. statutum est (quibus ex verbis constat, vetustam tunc fuisse eam disciplinam) et hodie Synodali, et Apostolica auctoritate firmatur, penitus abjiciantur, et exilio, suis omnibus sublatis, perpetuo tradantur.» Ante hanc Romanam Synodum, eamdem exilii pœnam ab Ecclesiastico Magistratu irrogatam, memorat Eusebius, Dorilæi Episcopus, in Concilio Constantinopolitano Sancti Flaviani, Act. 7 col. 1010 t. 4 ejusd. collect.; et ejus quoque mentio est in Concilio Aurelienensi IV. can. 29 t. 5 Concil. col. 1569, et Toletano XII. can. 10 t. 7 col. 1443; itemque apud S. Gregorium M. Ep. 71 lib. 11 ad Arthemium Subdiacon. opp. t. 2 col. 1172 ed. Maur. Paris. 1706, et in can. 25 dist. 63, in can. 9 cap. 3 qu. 4, et in can. 3 cap. 3 qu. 5.

(2) «Tantorum scelerum, inquit S. Augustinus Ep. 153 n. 2 ad Marcellin. Tribun. opp. t. 2 col. 596 ed. Maurin. Ven. 1729, confesionem.... virgarum verberibus eruisti; qui modus coercitionis, et à magistris liberalium artium, et ab ipsis parentibus, et sæpe etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi.» De S. Cæsario Arelatensi narrat Cyprianus, ejus discipulus, in ejus vita apud Surium ad diem 27 Aug t. 4 p. 927 ed. Coloniæ Agrippinæ 1583, eum diligenter observasse, «ut nemo ex illis, qui ipsi parebant, si pro sua culpa flagellandi essent, amplius triginta novem ictibus ferirentur; ita tamen, ut si quis in gravi culpa esset deprehensus, permitteret, ut post dies paucos vapularet iterum.» Idem pœnæ genus memorant etiam S. Gregorius M. l. 4 Ep. 27 ad Januar. et l. 9 Ep. 65 ad eumd. op. t. 2 col. 707 et 982 ed. cit. et l. 11 Ep. 71 ad Anthem. Subdiacon. colun. 1177, Cassanius l. 4 Inst. c. 16

p, 58 ed. Francof. 1622, Palladius hist. Lausiac. c. 6 p. 908 in Bibl. PP. Græco-Lat. t. 2 ed. Ducæi Paris. 1624, Concilium Agathense can. 38 et 41 apud Labbæum t. 5 Concil. col. 527 et 528, Narbonense sub Reccaredo can. 13 t. 6 col. 728, Epaonense can. 13 t. 5 col 713, Matisconense I. can. 8 t. 6 colun. 660.

(3) Mulctas pecuniarias ab Ecclesia constitutas fuisse, ostendit Concilium Carthaginense V. an. 399 vel 400, can. 2 apud Labbæum t. 2 Concil. col. 1451 et S. Gregorius M. Ep. 26 l. 4 ad Januar. t. 2 col. 704 ed. cit. Eadem quoque multa Paganos Calamenses plectendos censebat Augustinus Ep. 104 opp. t. 2 col. 379 ed. Maurin. Ven. 1759.

(4) De Ecclesiæ decanicis, sive carceribus egi l. 3 tit. 1 §. 21 not. 1 p. 16. Carceris autem loco sæpe clericus in monasterium detrudabatur. « Si Episcopus, inquit Concilium Agathense (aliis autem Epaonense) can. 50, apud Labbæum t. 5 Concil. col. 526, Presbyter, vel Diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus, in monasterium retrudatur, et ibi, quamdiu vixerit, laicam communionem accipiat. Confer etiam Concilium Matisconense I. c. 5 apud Labbæum t. 6 col. 659. Hispalense can. 3 cod. loc. t. 6 col. 1314, et Epaonense can. 22 t. 5 col. 714. S. Gregorius M. Ep. 41. 10 ad Sabin. Subdiacon. t. 2 colun. 1044, reum *in districtam custodiam* redigi jubet; « et ideo, *inquit*, quia tanti facinoris iniquitas districta, atque subtili investigatione quærenda, atque plectenda est, hac tibi auctoritate præcipimus, ut vigilanti studio, et diligenti omnino cura perquiras; et si quæ indicia apprehendere hujus rei potueris, cum in custodiam districtam, quousque nobis renunties, redigas, ut qualiter immanissimum facinus discuti debeat, ac puniri, deliberare possimus. »

(5) Quid sibi velit Ecclesia in corporalibus infligendis pœnis, egregie, præter ceteros, explicat S. Gregorius M. Ep. 27 l. 4 ad Januar. t. 2 col. 707: « Paulum vero clericum, *inquit*, qui sæpe dicitur in maleficiis deprehensus, qui despecto habitu suo, ad laicam reversus vitam, in Africam fugerat, si ita est, corporali prius proveniente vindicta, prævidimus in pœnitentiam dari, quatenus, et secundum Apostolicam sententiam, ex carnis afflictione spiritus salvus fiat. » Quo loco Gregorius memorat et *corporalem vindictam*, *et pœnitentiam*, quam utramque distinguit, et utramque adversus criminosum illum clericum constitui jubet. Ad corporales pœnas referendæ sunt etiam publicæ pœnitentiæ, jam ab initio Ecclesiæ institutæ, uti constat ex Tertulliano Apol. c. 39 et l. de Pudicit. c. 5, et l. de Pœnit. c. 9 p. 31 558 127 ed. Paris. 1675 et S. Irenæo contr. hæres. l. 1 c. 13 n. 5 et 6 p. 65 et 65 t. 1 opp. ed. Ven. 1734, late que ostendunt Massuetus in Irenæ. diss. 3 art. 7 n. 74 et 75 p. 126 seq. t. 2 opp. Irenæi, et Albaspinæus Observat. l. 2 Observ. 22 p. 113 ed. Neap. 1770; quamquam serius constitutæ videantur solemnes illæ Stationes, de quibus disserui l. 2 tit. 2 sect. 4 §. 73 p. 93 seq. Nam pœnitentes cilicio operiebantur, sibi crines tondebant, jejuniis corpus cruciabant, flexis genibus stabant, sese à balneis, conviviis, matrimonii usu abstinebant, aliisque subjiciebantur pœnis, quas nemo inficiabitur, fuisse pœnas, quæ corpus castigabant. Hæ quidem omnes eo spectabant, ut criminosus emendaretur, atque ad bonam frugem rediret; sed hic idem omnium ecclesiasticarum pœnarum finis est. Atque in his quidem pœnis, ut inquit Augustinus Ep. 185 ad Bonifac c. 6 opp. t. 2 col. 652 ed. Ven. 1730 *cur non cogeret Ecclesia perditos filios, ut redirent, si perditi filii coegerunt alios ut perirent?* Porro si Ecclesia semper constituit pœnas, quæ corpus castigarent, manifestum est, ei jus esse corporales pœnas infligendi Si eas ipsa

constituit, tum in interiori, tum in exteriori foro, dubitari non potest, quin ejus potestas exterius quoque forum attingat. Denique si eadem Ecclesia his pœnis animadvertit etiam ethnicis dominantibus, cum scilicet à laico Principe nulla hujusmodi facultas concedi potuit, facile intelligitur, eam suo jure hanc potestatem, non cujusquam beneficio, ac privilegio obtinuisse. Certe quod à Petro gestum est adversus Ananiam, et Saphiram, à Paulo adversus Elimam magum, et adversus blasphemum, est quidem contra ordinem factum, sed tamen ostendit Ecclesiæ potestatem corporales quoque pœnas infligendi. Apposite Auctor incertus, sed antiquus sub nomine Augustini in l. Contr. Fulgent. Donatist. c. 23 t. 9 col. 11 in Append. opp. Si Aug. ed. Ven. 1733, « Non enim, *inquit*, malos persequi peccatum est; nam et sanctos, et sanctum sanctorum, Dominum, malos legimus persecutos. Dæmones namque, persecutionem Domini non ferentes, clamabant: quis nobis, et tibi fili Dei, venisti perdere nos? Et Paulus Elimam magum ultus est cæcitate, et blasphemum hominem tradidit Satanæ, et Petrus Ananiam, et Saphiram ejus uxorem mendaces occidit, et Simonem magum tandiu persecutus est, donec morte perimeret. Sed et David in persona Christi clamat, et dicit: «persequar »inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar, donec deficiant. »Affligam illos, nec poterunt stare. »

11. Sed cum criminis magnitudo pœnas postulat asperiores, quæ modum superant ecclesiasticæ coercitionis, Ecclesia non illud suscipit rei patrocinium, quod in civilis reipublicæ detrimentum redundaret. Quare clericum flagitiosum de gradu dimovet, atque ab se ejicit, et subdit civili potestati, quæ de eo pœnas sumit, quas aptas, et idoneas judicat. Verum non pro quovis crimine clericus de gradu dimovendus, atque ex ecclesiastica republica expellendus est. Non enim omnia crimina paria sunt, et iniquum atque absurdum esset parem levioribus, et parem item immanioribus criminibus pœnam constituere. Si ejectio clerici è republica ecclesiastica pœna est gravissima omnium, quas Ecclesia adhibet, ac tantum atrocioribus criminibus reservata; non eadem certe pœna plectendus est clericus, qui levius deliquit. Quare is quidem afficiendus est pœna; sed cum crimen tam grave non sit, ut pœna perducenda videatur ad summum gradum, qui ei jus eripit civis reipublicæ ecclesiasticæ, puniendus est à republica, ad quam pertinet, et cujus imperio subjicitur.

12. Atque hæc semper fuit ecclesiasticæ, et civilis reipublicæ concordia; utraque suam semper habuit in coercendis criminibus potestatem, neque unquam altera alteram perturbavit, aut fecit, quod crimen aliquod inultum, impunitumque dimitteretur. Civilis respublica habet res, ac personas suas; et suas item res, ac personas habet respublica ecclesiastica, quæ sine illis vera, ac perfecta respublica haberi non posset. Laici omnes

pertinent ad civilem rempublicam, clerici ad ecclesiasticam, quoniam hi sunt cives, ex quibus hæ duæ respublicæ efficiuntur. Civilis reipublicæ propria sunt omnia civilia negotia; quidquid res sacras, aut divinas respicit, tantum ecclesiæ subest potestati.

13. Verum negotia, quæ sua indole, et natura propria essent civilis reipublicæ, sæpe fiunt subjecta reipublicæ ecclesiasticæ, quoniam ei subsunt personæ, quarum ea negotia sunt. Nemo enim alicujus negotium expedire cum imperio, et jurisdictione potest, nisi in personam habeat potestatem. Ita crimina, quæ propter naturam suam à civili republica noscenda, puniendaque essent, Ecclesiæ animadversioni subjiciuntur, quia patrata sunt à clericis, qui Ecclesiæ potestati, imperioque subsunt. At quod facit Ecclesia, ut propter jus in personas animadvertat etiam in crimina, quorum sua non esset coercitio, id civilis respublica efficere non potest, ut propter jus in personas laicorum judicet etiam de criminibus, quæ ab iis in sacra, divinaque admissa sunt. Nam harum rerum cognitio, et animadversio est supra jura meræ reipublicæ; earumque judicium, et potestas à Christo, tam in Clericos, quam in laicos, uni Ecclesiæ data est.

(N. S. Imperatores duplex criminum genus distinctum voluere; scilicet leviora, et graviora. Leviora Episcoporum cognitioni fuisse à legibus reservata, tum 1 ex Ambrosio deducunt, qui Epist. 32 « Quin etiam, *inquit*, si alias quoque argueretur Episcopus, et morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale judicium pertinere; » hoc ad leves dumtaxat causas trahunt Gotthofredus in Leg. 22 *Cod. Theodos. de Episc. et Cler.*; et Petrus de Marca Dissert. in Caput *Clericus* ad calcem Antonii Augustini

Idem 2 ipsimet Auctores inferunt ex Lege Valentiniani, et Gratiani in C. Theod. lib. 16 tit. 2, 23, quæ in hunc modum habet: « Si qua sunt ex quibusdam dissentionibus, levibusque delictis ad Religionis observantiam pertinentia, locis suis, et à suæ Diœceseos Synodis audiantur. »

Quod vero in eadem Lege statim addatur: « Exceptis, quæ actio ab ordinariis, extraordinariisque judicibus, aut illustribus potestatibus audienda constituit: » inde deducunt, Clericos in gravioribus quibusdam criminibus à Judicum sæcularium potestate non prorsus fuisse immunes: tum ex aliis quoque Legibus in eodem Codice exstantibus eruunt, jure Imperiali tunc temporis atrociora quædam, licet à Clericis perpetrata crimina, publicis Magistratibus punienda fuisse adsignata. Ac 1 saltem de criminibus gravioribus intelligendam contendunt Arcadii, et Honorii legem, 1 tit. 11 c. lib. 16, ubi post verba: « Quoties de Religione agitur, Episcopos convenit judicare: » statim subnectitur: « ceteras vero causas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad usum publici juris pertinent, legibus oportet audiri. »

2. Leg. 20 Cod. Theod. ibid. vetantur Clerici, et Continentes, viduarum, et pupillarum domus, ut inde opes, vel hæreditates aucupentur, adire, adjecta pœna: « Publicis exterminentur judiciis, si posthac eos adfines earum, vel propinqui putaverint deferendos. »

3. Valentinianus Sen. Novella Tit. 12 ibid. post adsertam Clericis in negotiis Ecclesiasticis immunitatem, subjicit: « In reliquis negotiis criminalibus, juxta legum ordinem, per se judicium subire cogantur. »

4. Idem Imp., Novella V de Sepulc. Violat., « Quisquis, *inquit*, ex hoc numero Clericorum sepulchrorum violator exstiterit, illico Clerici nomen amittat, et sic stylo præscriptionis addictus, perpetua deportatione plectatur. »

5. Quum in conflictibus, qui in electione Damasi Papæ exarserunt, plurimi interiissent, « multos, tam Clericos, quam laicos, à Maximino, tunc Præfecto Urbis, supplicio adfectos fuisse, testatur Socrates lib. 4 cap. 9.

At qui hic volunt in hujusmodi atrociorum criminum causis Clericos non fuisse ab civili potestate omnino exemptos, fateantur tamen oportet, ipsis, ac præcipue Episcopis, datum fuisse, suas defensiones per Procuratores, non per seipsos proferre: Valentinianus Novella tit. 12: « Si in hujuscemodi ordinis homines Episcopos actionem pervasionis, et atrocium injuriarum dirigi necesse fuerit, per Procuratorem sollemniter ordinatum apud Judicem publicum, inter leges, et jura confligant.... Quod iis religionis, et Sacerdotii veneratione permittimus. Nam notum est procurationem, in criminalibus negotiis non posse concedi: sed ut sit ulla discretio meritorum Episcopis, et Presbyteris tantum id oportet impendi. »

Porro sub Justiniano Imperatore magis se explicuit Clericorum á Judiciis sæcularibus immunitas. Hic enim Imperator 1 *Novella* 79 cap. 1, omnes prorsus Monachorum, Sanctimonialium, Virginum Deo sacratarum, ac mulierum in Monasteriis consistentium causas Episcopis reservatas voluit.

Tum 2 *Novella* 83, edixit quidem, ut Clericorum crimina, siquidem civilia, à Præsidibus Provinciarum cognoscerentur; at judicio extraordinario, scilicet « non transcendente lite duorum mensium spatium.... si reum esse putaverit eum, qui convepitur, provinciæ Præses, et pœna judicaverit dignum: prius hunc spoliari à Deo amabili Episcopo sacerdotali dignitate, et ita sub legum fieri manu: » unde potius in favorem Ecclesiæ, quam in præjudicium immunitatis Ecclesiasticæ, Constitutionem illam emanasse, tradit Gonzalezius ad cap. 8 *de Judiciis*, num. 9.

3. Demum *Novella* 123, cap. 8, et 21, Episcopos, ceterosque Clericos, etiam in causis criminalibus, omnino à publicis judiciis immunes voluisse videtur. Cap. enim 8 sic decernit: « Sed neque pro qualibet pecuniaria causa, vel criminali Episcopum ad judicem civilem, aut militarem invitum producere, aut exhibere, citra imperialem jussionem, permittimus. » Tum Cap. 21 §. 1: « Si vero crimen fuerit, quod adversus quamlibet memoratarum reverendissimarum personarum (scilicet, Clericorum, Monachorum, Diaconissarum, Monastriarum, Ascetriarum) inferatur, si quidem apud Episcopum aliquis accusatur, et ipse veritatem invenire potuerit, ab honore, aut gradu hunc secundum Ecclesiasticas regulas dejiciat, et tunc competens judex hunc comprehendat, et secundum leges litem examinans, causæ finem imponat. »

Idem quoque juris in Italia obtinuisse, tum ex pluribus evincitur, tum vel maxime ex eo quod sub Theodorico Italiæ Rege, omnes Romanorum leges, atque adeo quæ ad Ecclesiarum, Clericorumque immunitatem spectabant, nulla in parte fuerint antiquatæ: uti fuse ostendit Muratorius *Annalium Ital.* ad an. 513. Quinimmo ex pluribus Theodorici apud Cassiodorum Epistolis liquet, Regem ipsum omnes personales Clericorum causas, non civiles modo, verum et criminales, Episcopis dijudicandas reliquisse.

Clericorum ab judiciis sæcularibus immunitas, quam Sacris Canonibus, legibusque Imperialibus constituere sategimus, naturali etiam æquitati con-

formis est, unde apud Gentiles, præcipue vero apud Romanos, Pontifici inferiores parebant Sacerdotes: ad rem Conc. Aurelian. IV Can. 3: « Quod lex sæculi etiam paganis Sacerdotibus, et ministris ante præstiterat, justum est, ut erga Christianos specialiter conservetur. » Et sane convenit, ut Clericorum negotia ea tranquilitate, ac sanctitate, qua par est, tractentur; neque *Clerici à sacris amoveantur obsequiis*, uti loquitur Justinianus judicata *Novella* 123.

Hactenus designatas Clericorum à Judiciis sæcularibus exemptionum leges, quæ posthabitæ sunt Synodi, et à Principibus evulgatæ sanctiones, cum confirmarunt, tum etiam auxerunt.

Igitur Personæ Ecclesiasticæ in causis civilibus, criminalibus, et mixtis ab laici Tribunalis potestate exemptæ sunt....: Porro hactenus constituta Clericorum exemptio quasdam patitur limitationes.

Et quidem, crimina quod spectat: 1 Clericus etiam in sacris constitutus, ubi habitum exuat clericalem, et tanquam è laicorum cœtu incedens, ter ab Episcopo monitus, ab bonam frugem non redeat, atque adeo incorrigibilis ex Episcopi sententia declaretur, Civili Potestati debitas luet pœnas: *Cap.* 23 *et* 45 *de Sentent. Excomm. et* leg. 57 tit. 6. *Partit. I.*

2. Clericus Assassinus, sive mandans fuerit, sive mandatarius, ejusque fautores, quamvis mors sequuta non fuerit, aut assassinum receptans, defendens, vel occultans, ubi satis jam de crimine constiterit, non modo in Judicis laici potestatem rediguntur, verum et, ut legitimas subeant pœnas, nulla, vel depositionis, vel degradationis, sententia, aut sollemnitate opus erit: Concil. Lugd. Cap. 1 *de Homicid.*

3. Clericus, qui occultas conspirationes contra Regem, vel Reipublicæ statum conflans, turbas excitat, dignitate, loco, et honore privatus, Regiæ potestatis judicio subjacet: Syn. Tolet. X can. 2; et legg. 2 tit. 1 lib. 3, 7 tit. 8 lib. 1 *Novis Compilat.*

4. Clericus maledictis Regis famam lædere non perhorrescens, à Judice Ecclesiastico detentus, ad sæcularem judicem remittendus est: iisd. *Novis. Compilat.* legg.

5. Clerici aurum, vel argentum de Hispaniarum Regni limitibus extrahentes, iisdem quibus laici pœnis subjiciuntur: leg. 1 tit. 13 lib. 9 *Novis. Compilat.* Et falsam cudentes monetam, degradati, Curiæ sæculari tradendi sunt: Urbanus VIII Idib. Novemb. an. 1627.

6. Joculatorum, aut Gesticulatorum artem Clerici per annum exercentes, ipso jure, si breviori tempore tertio moniti, ab ejusmodi exercitiis non se diverterint, omni privilegio Ecclesiastico privantur: *Cap. unic. de Vita, et honest. Cleric. in* 6.

7. Litteras, aut sigillum Summi Pontificis, vel Regis Clericus infringens, degradandus, et Tribunali laico tradendus est: leg. 6 tit. 6 *Partit. I.*

8. Clericus injuriis impetens suum Episcopum, aut si in ipsum conspiraverit, degradandus, et Curiæ sæcularis potestati subjiciendus est: can. 18 caus. 11 quæst. 1, et leg. 6 tit. 6 *Partit. I.*

9. Clericus ob execrabile facinus depositus, si incorregibilis permaneat, laico tribunali puniendus mittitur: *can.* 20 *ejusd. caus. et quæst.*, et Partit. *leg. nuper citata*

10. Propter nefandum scelus degradandus est clericus, et judici sæculari tradendus: Pius V an. 1568; leg. 1 tit. 30 lib. 12 *Novis Compilat.*

11. Apostata habitu ecclesiastico deposito, comprehendi à judice sæculari, et ab ipso puniri potest: *cap.* 1 *de Apost.*

12. Clericus, etsi conditiones à Trid. Syn. præscriptas adimpleat, si eccles.

beneficium non obtinet, et clericus etiam in minoribus, qui nec beneficium habet, nec constitutas ab ead. Syn. conditiones observat, propter iteratum homicidium judici laico subjicitur: Clemens XII bulla in Hispaniam missa 14 Nov. 1737. §. 3.

13. Postremo clericos in ludis Regni legibus vetitis à sæculari judice deprehensus, quantum ad pecuniariam pœnam ipsi subjicitur; posteaque competens testimonium ad suum Episcopum transmitti debet, ut pœnas canonicas luat, ex Caroli III pragm. an. 1771, §. 14, leg. 15 tit. 23 lib. 12 *Novis. Compilat.*)

Gotthorum tempore, clerici coram Episcopo proprias lites exercebant. An vero et per sæculares judices possent vocari, ut ipsorum causæ in Regiis tribunalibus discuterentur, licet primo intuitu extra dubitationis aleam positum videatur, ex leg. 17 tit. 1 lib. 2 *Fori Judicum*; nihilominus, ad hujus legis conspectum, asserit Villodas, *Eccles. Antiq.* pag. 128, de personali disserens clericorum immunitate, ipsam ad atrociora et gravissima quæque clericorum delicta dumtaxat esse referendam, hac interpretatione illata ex can. 5 concil. Tolet. XI (an. 675). Verum quidquid de hoc sit, certum est in cap. 3 Cojacensis concil. an. 1050, cui aderant Ferdinandus I et Sanctia, fuisse statutum, ut « omnes ecclesiæ et clerici sint sub jure sui Episcopi; nec potestatem aliquam habeant super ecclesias aut clericos laici. » Rursus in Jaccensi Syn. an. 1063, cap. 4, præsentibus Ranimiro Rege cum suis filiis, et Regni Proceribus, ita fuit decretum: « Statuimus etiam, ut causæ clericorum, pro quibus hucusque Ecclesia nostris in partibus gravata non modicum extiterat, deinceps Episcopo soli, et Archidiaconibus ejus discutiendæ relinquantur; ut indebita circa eos sæcularium cupiditas, nostro cauteriata judicio, in talibus prorsus recessetur, et secundum normam justitiæ suum cuique jus conservetur.

In art. 90 §. 2 *Reg. provis.*, inter facultates supremi Hisp. et Ind. tribunalis recensetur, ut nempe possit de causis ob communia delicta contra Episcopos et Metropolitas efformandis cognoscere, et judicare, non secus ac de illis, quæ contra omnes supremam vel superiorem ecclesiasticam jurisdictionem Matriti exercentes, inchoari debeant, dummodo facta, de quibus forsan agatur, per Regiam jurisdictionem judicanda sint. Rursus, Reg. decreto 17 Octobris 1835, ordinariis Regiis tribunalibus cognitio defertur graviorum sive atrocium communium criminum, quæ clerici patraverint, qualibet exemptione sive privilegio cessante. Demum, quod attinet ad majores causas, contra Episcopos, vid. cap. 6, 7 et 8 Ses. 13 *Ref.*, et cap. 5 Ses. 24 *Ref.* concilii Trident. (Ex Selvag. Barcinon. Adnotat., tom. 3, pag. 28, 29, 40.)

Consul. Cl. Auct. lib. 1 tit. 8 sect. 4, *De Depositione et degradatione*: ac Cardin. J. Soglia *Institut. Jur. Publ. Eccles.*, §§. 7, 8 et 53, — Matrit. Edit. 1852, pagg. 144—48, ac 260—66.

Novis. Compilat. lib. 12 tit. 40 leg. 20, Carolus IV Rex ita præscripsit: «que en lo sucesivo no se destinen Eclesiásticos á presidio, sino por delitos de la mayor gravedad y consecuencia: y que en este caso, sea con espresa Real licencia, con asignacion de renta eclesiástica para su manutencion, y por tiempo determinado.» Notanda quoque ejusd. Reg. ordinat. 19 Nov. 1789, disponens, causas clericorum de gravibus ac atrocibus delictis, coram Reg. et ecclesiastico simul tribunali et inchoandas et prosequendas fore, donec pronuntianda sententia esset; quod ante quam fieret, ad Majest Suæ gubernium, *por la via reservada*, *para lo que hubiere lugar* (ut vulgo dicitur) remitterentur: cui communiter consequens erat, ut ex Reg. mandato facultas juli-

cibus impertiretur, qua sententiam dicerent, et ad effectum *servatis servandis* perducerent. Hanc tamen dispositionem non amplius in vigore manere, sanxit nuper citata Reg. ordinat. 17 Oct. 1835.*

TITULUS II.

DE DELICTIS, ET EORUM DIVISIONE.

1. QUID DELICTUM, QUID PECCATUM?—2. PECCATUM UNIUS ECCLESIÆ POTESTATI SUBJECTUM.—3. DELICTA ECCLESIASTICA.—4. CIVILIA.—5. MIXTA.—6. CUI MIXTORUM CRIMINUM JUDICIUM COMPETAT?

1.

CRIMINALIUM judiciorum materia in delictis est posita. Est autem delictum, seu crimen (1): libera, et voluntaria actio, vel omissio, contraria legibus, pœnaque coercenda. In omni delicto inest etiam peccatum, quod est quævis improba divini, aut humani juris violatio; quoniam Deus homines parere jussit non tantum legibus ab se, aut ab Ecclesia latis, sed etiam legibus, quas civilis potestas constitueret, quæque divinis, aut ecclesiasticis mandatis non adversarentur. Contra, non omnia peccata sunt item crimina, quia non omnia redundant in detrimentum societatis, ideoque divinæ ultioni reservantur, neque humanis legibus coercentur (2).

(1) Romani Jurisconsulti *privata* delicta à *publicis* criminibus distinguebant; horum accusationes cuivis è populo à lege committebantur; illa autem nonnisi privatis partium querelis in judicium deferebantur. Sed jam ab omnibus utrumque vocabulum promiscue usurpatur. Alia, quibus item delicta appellantur, nomina describit Renazzius Inst. criminis l. 1 c. 1 § 4.

(2) S. Augustinus in can. 1 dist. 81 peccatum à crimine ita distinguit, exponens illud Apostoli, oportet Episcopum ordinandum sine crimine esse: « Non ait enim Apostolus, inquit, si quis sine peccato est; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait: si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua inmunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, et cetera hujusmodi. Crimen est peccatum grave, accusatione, et damnatione dignissimum. » Et S. Thomas lect. 2 comm. in Ep. ad Titum, « Aliud, inquit, est crimen, et aliud est peccatum. Peccatum dicitur quodcumque, sive magnum, sive parvum, sive occultum. Crimen autem magnum, et infame. »

2. Quidquid in crimine peccatum est, cujusvis illud naturæ sit, unius Ecclesiæ potestati subjicitur, quoniam ei tantum Christus retinendi, ac remittendi peccata facultatem attribuit. Quare et crimina, quorum coercitio pertinet ad civilem rempublicam,

subsunt Ecclesiæ judicio propter peccatum; et hoc quidem judicium exercet Ecclesia in foro pœnitentiæ, in quo pœnæ sacerdotis arbitrio imponuntur. Quin etiam publica peccata publicis quoque afficiuntur ab Ecclesia pœnis, ut ita publicæ offensioni satisfiat (1). Multa tamen scelera sunt, in quibus Ecclesia tam de crimine, quam de peccato judicat, et in quæ tum exterioris, tum interioris fori potestatem exercet.

(1) Concilium Tridentinum sess. 24 de Reform. c. 28.

3. Nam crimina vel mere ecclesiastica, vel civilia, vel mixta dicuntur. Ecclesiastica sunt, quæ directe contra fidem, et religionem, resque omnes divinas, et sacras admittuntur. Hujusmodi sunt apostasia, hæresis, schisma, simonia, profanatio sacramentorum, fractio sigilli sacramentalis, omissio paschalis communionis, aliaque præterea, si quæ sunt generis ejusdem. Omnia hæc crimina subsunt Ecclesiæ coercitioni, sive à clericis, sive à laicis patrata fuerint.

4. Civilia sunt, quæ directe lædunt civilem rempublicam, neque aliquid habent spirituale, præter criminis in foro interno absolutionem, et pœnitentiam: qualia sunt homicidium, furtum, rapina, falsum, calumnia, cetera similia. Horum facinorum coercitio pertinet ad civilem rempublicam, eaque tantum cum à clericis admissa sunt, propter jus, quod Ecclesia habet in personas, ad ecclesiasticum forum deferuntur. Nos de his criminibus non agemus, quoniam eorum tractatio propria est eorum, qui jus civilis reipublicæ persequuntur.

5. Mixta demum crimina sunt, quæ simul et religionem lædunt, et civili reipublicæ damnum, atque injuriam inferunt. Huc spectant sacrilegium, perjurium, *blasfemia* non hæretica-lis, sortilegium, delicta venerea, crimen usurarum, similia. Obnoxia sunt hæc crimina tum Ecclesiæ, tum civilis reipublicæ coercitioni, quoniam jura utriusque violant, et utraque in his criminibus partem suam curare, et tueri debet. Quare Ecclesia pœnas sumit de iis, quæ ad religionem, civilis respublica de iis, quæ ad læsam hominum societatem pertinent. Ita sane hæc crimina mixta dicenda sunt, quia subsunt utriusque animadversioni; non quod sine discrimine ad alterutrum forum deferri possint, ab eoque noscantur, cui primum res omnis commissa fuit. Nam si tantum alterutra potestas in hæc crimina inquireret, jus alienum invaderet, eaque cognosceret, quæ suæ potestati, et imperio subjecta non sunt.

cibus impertiretur, qua sententiam dicerent, et ad effectum *servatis servandis* perducerent. Hanc tamen dispositionem non amplius in vigore manere, sanxit nuper citata Reg. ordinat. 17 Oct. 1835.*

TITULUS II.

DE DELICTIS, ET EORUM DIVISIONE.

1. QUID DELICTUM, QUID PECCATUM?—2. PECCATUM UNIUS ECCLESIÆ POTESTATI SUBJECTUM.—3. DELICTA ECCLESIASTICA.—4. CIVILIA.—5. MIXTA.—6. CUI MIXTORUM CRIMINUM JUDICIUM COMPETAT?

1.

CRIMINALIUM judiciorum materia in delictis est posita. Est autem delictum, seu crimen (1): libera, et voluntaria actio, vel omissio, contraria legibus, pœnaque coercenda. In omni delicto inest etiam peccatum, quod est quævis improba divini, aut humani juris violatio; quoniam Deus homines parere jussit non tantum legibus ab se, aut ab Ecclesia latis, sed etiam legibus, quas civilis potestas constitueret, quæque divinis, aut ecclesiasticis mandatis non adversarentur. Contra, non omnia peccata sunt item crimina, quia non omnia redundant in detrimentum societatis, ideoque divinæ ultioni reservantur, neque humanis legibus coercentur (2).

(1) Romani Jurisconsulti *privata* delicta à *publicis* criminibus distinguebant; horum accusationes cuivis è populo à lege committebantur; illa autem nonnisi privatis partium querelis in judicium deferebantur. Sed jam ab omnibus utrumque vocabulum promiscue usurpatur. Alia, quibus item delicta appellantur, nomina describit Renazzius Inst. criminis l. 1 c. 1 § 4.

(2) S. Augustinus in can. 1 dist. 81 peccatum à crimine ita distinguit, exponens illud Apostoli, oportet Episcopum ordinandum sine crimine esse: « Non ait enim Apostolus, inquit, si quis sine peccato est; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait: si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua inmunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, et cetera hujusmodi. Crimen est peccatum grave, accusatione, et damnatione dignissimum. » Et S. Thomas lect. 2 comm. in Ep. ad Titum, « Aliud, inquit, est crimen, et aliud est peccatum. Peccatum dicitur quodcumque, sive magnum, sive parvum, sive occultum. Crimen autem magnum, et infame. »

2. Quidquid in crimine peccatum est, cujusvis illud naturæ sit, unius Ecclesiæ potestati subjicitur, quoniam ei tantum Christus retinendi, ac remittendi peccata facultatem attribuit. Quare et crimina, quorum coercitio pertinet ad civilem rempublicam,

subsunt Ecclesiæ judicio propter peccatum; et hoc quidem judicium exercet Ecclesia in foro pœnitentiæ, in quo pœnæ sacerdotis arbitrio imponuntur. Quin etiam publica peccata publicis quoque afficiuntur ab Ecclesia pœnis, ut ita publicæ offensioni satisfiat (1). Multa tamen scelera sunt, in quibus Ecclesia tam de crimine, quam de peccato judicat, et in quæ tum exterioris, tum interioris fori potestatem exercet.

(1) Concilium Tridentinum sess. 24 de Reform. c. 28.

3. Nam crimina vel mere ecclesiastica, vel civilia, vel mixta dicuntur. Ecclesiastica sunt, quæ directe contra fidem, et religionem, resque omnes divinas, et sacras admittuntur. Hujusmodi sunt apostasia, hæresis, schisma, simonia, profanatio sacramentorum, fractio sigilli sacramentalis, omissio paschalis communionis, aliaque præterea, si quæ sunt generis ejusdem. Omnia hæc crimina subsunt Ecclesiæ coercitioni, sive à clericis, sive à laicis patrata fuerint.

4. Civilia sunt, quæ directe lædunt civilem rempublicam, neque aliquid habent spirituale, præter criminis in foro interno absolutionem, et pœnitentiam: qualia sunt homicidium, furtum, rapina, falsum, calumnia, cetera similia. Horum facinorum coercitio pertinet ad civilem rempublicam, eaque tantum cum à clericis admissa sunt, propter jus, quod Ecclesia habet in personas, ad ecclesiasticum forum deferuntur. Nos de his criminibus non agemus, quoniam eorum tractatio propria est eorum, qui jus civilis reipublicæ persequuntur.

5. Mixta demum crimina sunt, quæ simul et religionem lædunt, et civili reipublicæ damnum, atque injuriam inferunt. Huc spectant sacrilegium, perjurium, *blasfemia* non hæretica-lis, sortilegium, delicta venerea, crimen usurarum, similia. Obnoxia sunt hæc crimina tum Ecclesiæ, tum civilis reipublicæ coercitioni, quoniam jura utriusque violant, et utraque in his criminibus partem suam curare, et tueri debet. Quare Ecclesia pœnas sumit de iis, quæ ad religionem, civilis respublica de iis, quæ ad læsam hominum societatem pertinent. Ita sane hæc crimina mixta dicenda sunt, quia subsunt utriusque animadversioni; non quod sine discrimine ad alterutrum forum deferri possint, ab eoque noscantur, cui primum res omnis commissa fuit. Nam si tantum alterutra potestas in hæc crimina inquireret, jus alienum invaderet, eaque cognosceret, quæ suæ potestati, et imperio subjecta non sunt.

6. Sed alicubi in hæc crimina animadversio committitur mixtis tribunalibus, quæ scilicet ex Magistratibus ecclesiasticis, laicisque constant, alicubi mos est, ut mixtas has causas definiat unus judex; sive ille laicus, sive ecclesiasticus sit, qui scilicet prior negotium occupavit. Verum id factum fuit tacito, aut expresso convento, et cum legitima auctoritate; ne qua rerum confusio oriretur, si reus unius criminis duplex judicium, et duplicem pœnam perferre cogeretur. Ecclesia igitur sibi uni reservavit interioris fori judicium, potestatem autem fori exterioris etiam civili reipublicæ permisit, si ipsa primum de his criminibus judicium institueret.

(N. S. Gravissma inter viros doctos jamdiu agitata quæstio, nec adhuc definita ea est; nimirum, quænam antiquitus ecclesiastica crimina fuerint, eo scilicet intuitu, quo censuris, aliisve Ecclesiasticis pœnis puniri consueverint. Alii quidem existimant, ejusmodi crimina nonnisi tria fuisse, Idololatriam, Homicidium, et Mœchiam; atque his, aliisque præcipuis, quæ ad hæc tria reduci possunt, veterem omnem de censuris, publicaque pœnitentia disciplinam adstringunt: Nat. Alex. *Hist. Eccles.* 3 *Sæc. Diss.* 6 q. 1; eo præsertim innixi fundamento, quod veteres Patres et Episcopi, tum in Synodis sancitis Canonibus, tum in suis operibus, crimina Judiciariæ Ecclesiæ potestati subjecta recensentes, nonnisi horum meminisse videantur.

At contra alii antiquam Ecclesiæ disciplinam hoc in capite ad omnia grandia crimina extendunt, quæ contra universum Decalogum, sive Divinam moralem legem committuntur; quam sententiam tum pluribus argumentis firmatam contendunt, tum vel maxime Augustini auctoritate *Homil. ult. ex L.* 50 *cap.* 3, ubi tum eorum rejicit opinionem, qui censebant, *tria* tantummodo crimina *mortifera esse excommunicatione punienda, donec pœnitentia humiliore sanentur; impudicitiam, idololatriam, homicidium*: tum paucis interjectis hæc habet: « Tertia actio est pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogum continet: et de quibus Apostolus ait: *Qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.* »

Animadvertere juvat, quod alibi jam indicavimus, scilicet ad sæculum usque XII nullam in Ecclesia distinctionem agnitam fori *interni* ab *externo*: unde per ea tempora, tametsi Episcopi in omnia, sive publica, sive occulta, non Clericorum modo, verum et Laicorum crimina inquirerent, atque in delinquentes veluti processus conficerent, testes audiendo, sententiam pronuntiando, ac legitimam pœnam imponendo; hæc tamen omnia non peragebant, nisi respectu habito ad forum spirituale, sive Sacramentum Pœnitentiæ, uti late ostendit Morinus *de Administr. Sacr. Pœnitentiæ*, lib. 1, cap. 9, et 10.—' V. Cl. Auct. istius lib. tit. 1 §. 2 not. 4; ubi J. Morini sententia, cui Selvagius hic et alibi adhærere videtur rejicitur.—'

Et sane 1 omnes Ecclesiasticæ pœnæ per ea tempora non ad vindictam imponebantur, sed unice ad ipsius peccatoris cum Deo reconciliationem. 2 Non aliud erat tribunal, in quo censura ligatus exsolvebatur, et pœnitens à peccato absolvebatur, sed unus, idemque Episcopus, vel Presbyter utrumque simul præstabat. Et licet 3 circa sæculum VII disciplina invaluerit, ut publica crimina Episcopis, eorumve specialibus Delegatis reservata essent, occulta vero quibuslibet Presbyteris: unde veluti forum externum ab interno distinctum, inductum tunc temporis videretur; adhuc tamen omnia ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem, peccatorumque reconciliationem unice pertinebant. Neque 4 per eadem tempora distinctio occurrit inter delicta mere Ecclesiastica, et Civilia; ita ut de illis in foro interno, de istis vero in externo Episcopus cognosceret: sed in utraque æque inquirebat, in delinquentes legitimis pœnis animadvertendo, ad eorumdem emendationem, et publici scandali averruncationem. Unde 5 quod quis in foro sæculari de aliquo crimine convictus, civili pœna multatus esset, id impedimento non erat, cur ab Episcopo ecclesiasticis pœnis non puniretur: quum non unus, idemque fori Ecclesiastici, et Civilis finis esset. Vetus enim Ecclesiæ disciplina Pœnitentiam ut medicinam considerabat, peccatorem ut ægrotum: quem Episcopi punitum quidem propter crimen pœna Civili censebant, non autem sanctum. Christiana tantum pœnitentia cum vere sanare, ac vulnera per peccatum inflicta obducere credebatur. Videsis Morinum *ibidem*, et lib. 7 cap. 5.

Jam vero circa sæculum XII inducto fori interni ab externo, et contentioso discrimine, strepituque forensi in Episcopale tribunal invecto, ob generalem illam modo explicatam Episcoporum in omnia crimina jurisdictionem, omnes etiam Civiles Laicorum causas, in quibus de peccato aliqua videretur esse quæstio, ad suum contentiosum forum Episcopi pertrahere adgressi sunt: cap. 13 *de Judiciis*, et quidem ea ratione, quam in *idem Caput* indicat Glossa: scilicet: *Tantum ratione peccati, et inducendo ad pœnitentiam.*

Quum vero temporis progressu in Tribunali Ecclesiastico de criminibus, non amplius ratione Sacramentali, ab Episcopis, vel eorum Officialibus cognosceretur, neque pœnæ canonicæ per modum medicinæ spiritualis infligerentur, sed methodo omnino forensi, et ad vindictam pecuniariam, vel corporalem; hinc pedetentim à Principibus sæcularibus ejusmodi recens inducta Episcopalis jurisdictio decurtata est, scilicet, ut reservata Foro Ecclesiastico Sacramentali peccati confessione, et absolutione à Sacerdote virtute *clavium* obtinenda; tum et Clericorum causis, meritisque etiam Laicorum Ecclesiasticis delictis foro Episcopali adtributis, reliquæ civiles, ac criminales Laicorum causæ, atque etiam peculiaria quædam Clericorum delicta, foro sæculi adscripta sint.

Igitur ex nova Ecclesiæ disciplina, crimina trifariam dispescuntur, scilicet ut alia sint mere Ecclesiastica, alia Civilia, et alia Mixta. Primi generis sunt, quæ admittuntur contra Fidem, Religionem, Sacramenta, easque morum regulas, quas jus civile non curat; uti Hæresis, Apostasia, Schisma, Profanatio Sacramentorum etc. Civilia sunt, quæ adficiunt Remp.: uti Homicidium, Furtum, Rapina etc. Mixta vero, quæ tam Religionem, quam Remp. offendunt: uti Sacrilegium, Adulterium, Blasfemia non hæreticalis etc. Porro Ecclesiasticorum criminum solus Ecclesiasticus Judex cognitionem habet, civilium Judex civilis, mixtorum vero uterque per prævention̄em: cap. 3 *de Foro Competenti.* Ad Hispaniam quantum attinet, ex leg. 58 tit. 5 *Part. I*, crimina, quorum spectat ad Ecclesiam cognitio, sunt Hæresis, Usura, Simonia, Perjurium, Adulterium, Sacrilegium. Hæresis itaque, simonia, et adulterium, in quantum est causa divortii, sunt juris prorsus Ecclesiastici; atque hæresis, ejusque species ad Sanctæ Inquisitionis Tribunal pertinet: reliqua, scilicet, usura, perjurium, sacrilegium, adulterium in se spectatum, et concubinatus, sunt utrique Foro communia, *adeoque mixti fori*, unde colligas, Ecclesiam in externo Foro de nullo alio dijudicare posse crimine, neque aliter intelligi posse cap. 10 *de Judiciis.* Hic animadvertere non abs

re erit, quod si judice sæculari de aliquo sui juris delicto cognoscente, aliquod mere spirituale inciderit, moribus invectum sit, ut processus, et reus Ecclesiastici judicis potestati tradantur, ut postquam de crimine Ecclesiastico cognoverit, priori sæculari judici processus, et reus remittantur, ut de principali cognoscat.)

TITULUS III.

DE APOSTASIA.

1. APOSTASIA QUID?—2 ET 3. EX APOSTATIS ALII AD JUDÆOS, ALII AD ETHNICOS TRANSIBANT. ILLORUM TRIPLEX GENUS.—4. EX ILLIS, QUI AD ETHNICOS ABIBANT, ALII THURIFICATI, ALII SACRIFICATI, ALII LIBELLATICI —5 ET 6. LIBELLATICORUM MULTÆ SPECIES.—7. QUI PROXIME AD APOSTATAS ACCEDERENT?—8. APOSTATARUM PŒNÆ —9. REGULARES DESERENTES INSTITUTUM SUUM, APOSTATÆ; ET PŒNÆ IN EOS CONSTITUTÆ.—10. EPISCOPI OFFICIUM IN APOSTATAS REGULARES.—11. CLERICI QUOMODO APOSTATÆ FIANT, ET QUIBUS PŒNIS SUBJICIANTUR?

1.

APOSTASIA græcum est nomen, quod latine significat *defectionem*, et apostatæ sunt, qui penitus à christiana religione per baptismum suscepta defecerunt. Ut vero quis apostata habeatur, sufficit, quod Christianam religionem deseruerit, quamquam ad aliam non transierit. Nam et ii, qui abjecta christiana religione athei facti sunt, apostatæ habentur, quamquam nulla ipsis religio sit, quam sequantur. Latiore sensu inter apostatas recensebantur etiam Catechumeni, qui catechesim deserentes, ad deorum templa transibant (1), quamquam baptizatorum apostasia deterior, quam catechumenorum haberetur. Certe ii, quos manuum impositione, certisque precibus inter catechumenos Ecclesia retulerat, generale Christianorum nomen obtinebant (2), et in multis quidem rebus tamquam christiani censebantur.

(1) L. 2 cod. Theodos. de Apostas.
(2) Confer canonem 39. Concilii Eliberitani, can. 7. Concilii Constantinopolitani I., et can. 95. Concilii Trullani, quorum omnium feci mentionem lib. 2 t. 2 sect. 1 § 30 not. 2 p. 54.

2. Prioribus Ecclesiæ sæculis ex apostatis alii erant, qui Judæorum, et alii, qui Ethnicorum sacra amplectebantur. Illorum triplex erat genus. Unum eorum, qui prorsus abjecta christiana religione, ad judaicam accedebant, et hi proprie apostatæ erant; ex quorum numero fuit Aquila, interpres Bibliorum, qui cum ab Ecclesia ejectus fuisset propter studium astrologiæ, mi-

gravit ad Hebræos, et novam Bibliorum versionem Christianis infensissimam evulgavit (1). Plures quoque hujusmodi erant ætate Barchochabæ, qui multos Christianos Christum ejurare, et maledictis insectari coegit (2).

(1) Epiphanius de Pond et mens. n. 15 t. 2 p. 171 ed. Coloniæ 1682.
(2) Justinus Mar. Apolog. 1 n. 31 p. 62 ed. Paris. 1742.

3. Alterum genus erat eorum, qui Christianam religionem non penitus abjiciebant, sed cum ea judaicam commiscebant, atque ita novam quamdam eficiebant religionem. Hujusmodi erant Cælicolæ, qui circuncisionem cum baptismo conjungebant, in quos gravissime civilibus quoque legibus animadvertitur (1). Alii denique erant, qui non prorsus ad judaicam religionem transibant, neque aliquod ejus dogma amplectebantur, sed in remotioribus quibusdam ritibus, et consuetudinibus Judæis adhærebant, atque ita, horum more, in Sabbato otiabantur, cum iis cibum sumebant, vel jejunabant, eosque consulebant ad recipienda philacteria, et amuleta pro morbis depellendis (2), quam artem Judæi sese ex commentitiis quibusdam Salomonis libris accepisse ferebant (3).

(1) L. 45 Cod. Theod de Hæretic. Ad genus horum apostatarum spectant Cerinthiani, Ebionæi, Nazaræi, Elcesæi, Samsæi, quos memorat Augustinus de Hæres. c. 8, 9, 10, 32, opp. t. 8 col. 7 et 11 ed. Ven. 1733, similiter ii, qui se Hypsiastatios vocabant, de quibus agit Gregorius Nazianzenus orat. 19 in Funer. patr. n. 5 opp. t. 1 p. 289 ed. Coloniæ 1690.
(2) Canon Apostolorum 62 al. 70 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 451 ed. Amstelædami 1724. Concilium Laodicenum can. 29 et 37 apud Labbæum t. 1. Concil. col. 1535 et 1538, Eliberitanum can. 49 et 50 t. 1 col. 998, Agathense can. 40. t. 3 col. 528, Veneticum can. 12 t. 5 col. 81, Epaonense can. 15 t. 15 col. 713, Matisconense I. can. 15 t. 6 col. 66, Arvenense can. 6 t. 5 col. 950, Aurelianense III. Can. 15 t. 5 col. 1278 ed. Ven., Chrisostomus Orat. 1 Contr. Judæos n. 1 opp. t. 1 p. 583, Orat. 3. In eos qui pascha jejun. per totum pag. 606, et Orat. 2. In eos qui cum Judæis jejun. p. 601 ed. Montfauconii Paris.
(3) Confer Josephum Antiquit. l. 8 c. 2 p. 419 ed. Havercampi Amstelædam. 1726, et Originem Tract. 17 in Mat. opp. t. 3 p. 767 ed. Paris. 1740.

4. Ex illis, qui ad ethnicos abibant, alii sponte sua, et alii vi, ac pœnarum metu perterriti, Christianam religionem deserebant. Ii proprie *lapsi* dicebantur; et eorum alii erant *Thurificati*, alii *Sacrificati*, alii *Libellatici* (1). *Thurificati* dicebantur, qui thus idolis adoleverant; *sacrificati*, qui immundis sacrificiis *ora maculaverant* (2), hoc est, in templo præsertim carnes come-

derant hostiarum, quæ diis immolatæ fuerant, quod idolatriæ argumentum erat. Sed non eadem prorsus erat omnium *thurificatorum*, et *sacrificatorum* ratio. Nam gravius censebatur crimen eorum, qui læti, ac pretiosis induti vestibus, primoque impetu fracti, quam eorum, qui mœsti, ac longioribus victi tormentis, Christum deseruissent.

(1) Horum crebra mentio est apud Cyprianum ut in Ep. 20 al. 15 ad Cler. Roman. et Ep. 55 al. 52 ad Antonian. p. 199 et 241 ed. Amstelædami 1700.

(2) Ita loquitur Cyprianus cit. Ep. ad Cler. Roman.

5. *Libellatici* erant, qui nec thure, nec sacrificio à Christo deficiebant, sed tamen religionem ejurabant libellis, quos vel ethnicis magistratibus dabant, vel ab iis accipiebant, ne publice sacrificia facere cogerentur. Triplex eorum genus fuisse, pleriique sentiunt (1). Alii nimirum magistratibus se non esse Christianos diserte affirmabant, religionem suam verbis, scriptove negantes, atque ajentes, se paratos esse ad sacrificium faciendum, cum à magistratu vocarentur (2). Alii nec Christum ejurabant, neque ipsi libellum dabant; sed vel amicum ethnicum, vel servum mittebant, ut idolis hostiam immolaret, vel fidem abnegaret, atque ita libellum à magistratu impetrarent; quasi ipsi fecissent, quod ab aliis factum fuerat. Hos Ecclesia comparabat prioribus libellaticis, qui per se ipsos crimen admiserant (3).

(1) Baronius, ad an. 253, n. 18 et seq. t. 2 p. 530 ed. Lucæ, unum tantum *libellaticorum* genus facit; sed alia plerisque viris doctis, qui triplex illorum genus distinguunt, sententia est. Confer Albaspinænm Observ. l. 1 cap. 21 p. 54 ed. Neap. 1770; et Binghamum Origin. eccles. l. 16 c. 4 §. 6 t. 7 p. 202 et seq ed. Halæ Magdeburg. 1761.

(2) Cyprianus de Lapsis p. 95 ed. cit., hos eodem loco habet, atque illos, qui revera sacrificium fecerant. Vide etiam *Epistolam Cleri Romani* ad Cyprianum, inter Cyprian. Ep. 30 p. 210.

(3) Confer *laudatam epistolam Cleri Romani ad Cyprianum*. Canones Petri Alexandrini, can. 6 apud Beveregium Pandect. Can. t. 2 p. 12 edit. Oxonii, hos quoque libellaticos memorant, iisque pœnam imponunt; sed tamen discrimen constituunt inter dominum, qui servum miserat, interque ipsum servum, qui jussus rem illam egerat.

6. Denique alii erant, qui cum magistratus iram pecunia, et muneribus extingui posse intelligerent, ipsum adibant, et se Christianos esse, neque idolis thus adolere, aut hostiam immolare posse, aperte profitebantur: sed tamen data pecunia libellum immunitatis impetrabant. Hi non erant propie apostasiæ

rei; sed culpa non vacabant, quod in libello diceretur, eos jussu magistratus sacrificium fecisse (1). Ab his non procul aberant, qui se amentes fingebant, ut sacrificium declinarent, quique ad aram ipsam accedentes, sese epilepticos esse simulabant, ne sacrificare cogerentur. Hujus criminis rei pœnam ferebant simulationis indignæ homine Christiano, qui turpi animi abjectione videtur prodere religionem, quam præseferre debet (2).

(1) Confer Cyprianum Ep. 55 ad Anton. p. 245 ed. cit.

(2) Vide Petrum Alexandrinum can. 5 p. 12 l. c. Ad hunc autem locum referenda est Constitutio *Inter omnigenas* 89. Benedicti XIV, t. 1 ejus Bullar. p. 185 ed. Ven., edita adversus eos, qui Christianam fidem in corde retinent, sed tamen eam prodere videntur externis quibusdam ritibus, per quos infideles distinguuntur. Plures enim Christiani in Turcarum imperio vitam agentes, religionem simulabant, atque ut Turcæ viderentur, eorumque juribus ac privilegiis frui possent, eorum templa frequentabant, ecclesiasticum jejunium cum esu carnium violabant, matrimonia coram eorum judice, quem appellant *Cadi*, celebrabant. Sancivit Pontifex, ne quis tale aliquid faciat ut Turca habeatur; secus, ei, tum in vita, tum in morte sacramenta denegari voluit. Similiter in regionibus Albaniæ aliqui Christiani, ut multa onera, et incommoda declinarent, nomen aliquod suscipiebant, quod proprium Turcarum est, et quo Turcæ á ceteris distinguuntur. Id etiam fieri vetuit ipse Benedictus XIV, Const. *Quod provinciale concilium*, 57 p. 135 tom. 4 ejus Bullar.; quia tametsi fides animo retineatur, illa tamen fieri nequeunt sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati Christianæ contraria, quæ mendacium in re gravissima continet, et virtualem fidei negationem, maxima cum Dei injuria proximique scandalo includit.» Quæsitum quoque est, num ii, qui ad Turcas desciverunt, ac postea redierunt ad Christianam religionem, non solum Christianis, sed etiam Turcis præsentibus, publicæ et expresse apostasiam ejurare debeant; et responsum est à Congregatione Sac. Inquisitionis, apud Card. Albitium de Inconstant. in fid. c. 8 n. 29, eos non teneri ad abjurandam apostasiam publice coram infidelibus; sed sufficere, ut eam abjurent in balneo coram fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsæ religionis. Confer Benedictum XIV, de Synod. diœces. c. 20 n. 8 et seq.

7. Proxime ad apostatas accedebant, et tamquam religionis proditores habebantur, qui superstitiosos ethnicorum ritus adjuvabant, vel imitabantur. Hujusmodi erant ii, qui sacrificantium coronam gestabant (1), et qui Flaminis, hoc est ethnici sacerdotis munus suscepissent; quoniam Flaminis erat populo exhibere ludos, et spectacula, quæ plena superstitionis erant, atque in honorem deorum edebantur. Similiter scenici, histriones, aurigæ, qui currus in publicis spectaculis agitabant, qui victimas, aut thus pro sacrificio vendebant, idolorum artifices, qui deorum aras ædificabant, vel ornabant, idolatriæ favere, adjutoresque esse videbantur (2).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

(1) Confer Concilium Eliberitanum can. 55, ibique Albaspineum in Not. p. 180 ed. Neap. 1770.

(2) Late de his omnibus agunt Binghamus Orig. eccles. l. 16 c. 4 §. 8 et seq. t. 7 p. 206 et seq. ed. cit., et Selvagius *Antiq. Christian* l. 4 c. 3 §. 3 seq.

8. Ex veteri disciplina apostatæ, qui vere idololatriæ rei erant, non solum ab Ecclesia ejiciebantur, sed etiam in quibusdam Ecclesiis excludebantur à venia, et absolutione, quam tandum in vitæ exitu impetrabant (1). Quin alicubi ea erat disciplinæ severitas, ut etiam in exitu vitæ reconciliatio denegaretur idolatriæ reis, quibus spes omnis in una Dei misericordia relinquebatur. Sed postea dari cœpit venia, etiam antequam mortis periculum immineret; atque iis imposita pœnitentia, quæ brevior, aut longior erat pro gravitate criminis, et adjunctis, quæ illud comitabantur.

(1) Confer quæ ea de re dixi l. 2 sec. 4 §. 87, et not. 6, 7, 8, p. 110 et seqq.

(N. S. Civili jure, Apostata iisdem ac hæreticus pœnis subjacet: leg. 4 tit. 25 *Partitæ VII*; legg. 1 et 3 tit. 3 lib. 12 *Novis. Compilat.*)

* V. tit. proxime seq.*

9. Apostatæ dicuntur etiam Regulares, qui temere deserunt institutum, cui se solemnibus emissis votis addixerant, et clerici, qui à clericali statu deficiunt (1). Qui regulare institutum deseruerunt, statim arcentur à sacris, et communione Christianorum (2), præsertim si habitum etiam dimisserint (3), amittunt privilegia instituti, unde discesserunt (4), susceptorum ordinum munera exercere prohibentur. (5). Sunt et aliæ pœnæ adversus apostatas inductæ peculiaribus institutis, et legibus Ordinum Regularium, quales sunt carceris, jejunii, similes; præterea neque ipsi alios eligere ad prælaturas, neque ab aliis eligi possunt.

(1) Concilium Chalcedonense can. 7 apud Labbæum t. 4 col. 1683 ed. Venet., « Eos, *inquit*, qui in clero semel ordinati sunt, et itidem monachos, statuimus nec ad militarem expeditionem, nec ad sæcularem dignitatem posse venire. Qui autem hoc audent, et non, pœnitentia ducti, ad id reverterntur, quod propter Deum prius elegerant, anathematizari. » Similia habent S. Leo M. Ep. 167 ad Rustic. resp. 14 opp. t. 1 col. 1426 ed. Balerin. Ven., S. Augustinus in Psal. 83 n. 4 col 101 et in Psalm. 99 n. 12 col. 565 opp. t. 6 ed. Ven. 1761, Concilium Arelatense II, in can. ult. dist. 50, Toletanum VI. in can. 2 c. 20 qu. 3, Turonense in cap. 5. Ne cleric. vel monach. et Alexand. III. in cap. 1 de Apostat. Ille autem revera apostata habetur, qui re-

gulare institutum temere deserit, certoque, ac deliberato animo ab eo discedendi: non item qui cum legitima venia discedit, aut qui non prorsus regularis vitæ propositum abjecit. Plures hinc oriuntur quæstiones de iis, qui á religione discesserunt, sed tamen habitum adhuc retinent; itemque de iis, qui sine venia superioris institutum suum deseruerunt, ut laxiorem, arctioremve regulam amplectantur. De his omnibus agit Theophilus Raynaudus de Apostas. à relig. ordin. opp. t. 17 p. 5 et seq. Verum Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum an. 1624 sancivit, « ut fugitivi et apostatæ, sive habitum regularem deferant, sive non, possint ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac superioribus regularibus consignari, secundum regularia instituta puniendi. » Ex quo patet, apostatas habendos esse regulares, qui venia à superiore non impetrata, à claustris discesserunt, atque extra ea temere vagantur, sive habitum gerant, sive deseruerint, sive redeundi ad religionem animum habeant, sive prorsus abjecerint. Quin etiam, ut animadverti l. 1 tit. 9. §. 15 p 349, à Concilio Tridentino c. 4 et 19 de Regular. Sess. 25, à Benedicto XIV. Const. Si datam 47 p. 237 t. 1 ejus Bullar. ed. Ven. 1754, sancitum est, ut tamquam apostatæ habeantur Regulares, qui suo arbitrio habitum deserunt, atque è claustris monasterii discedunt, ut professionis nullitatem proponant, aut eant ad sui ordinis superiores. Eodemque habentur loco, qui post unicam de nullitate professionis latam sententiam, etiam non interposita appellatione, habitum abjecerunt, quoniam hoc negotium duabus saltem sententiis expediendum est. Benedictus XIV, Const. *Si datam* 47 §. *Quemadmodum* t. 2 ejus Bullar. p. 238 ed. Rom. seu Ven. 1754. Pertinet etiam ad hunc locum Constitutio *Licet sacra* 112 Benedicti XIII, t. 12. Bullarii p. 70. et Constitutio *Pastor bonus* 95 §. 33. Benedicti XIV, t. 1 ejus Bullar. p. 198 ed. Ven. Consule Benedictum XIV, de *Synod. diœces.* l. 13 c. 11 n. 14, et Girardum *Expos. jur. Pontif.* par. 2 sect. 157 p. 1029; ubi etiam habes constitutiones eadem de re editas à Sixto V, et à Clemente VIII.

(2) Cap. 2. Ne cleric. vel monach. in 6.

(3) Regularem, qui religionem deseruit, non tamen habitum dimisit, haberi quidem ut apostatam, et fugitivum, sed non ipso facto in pœnam excommunicacionis incidere, præter ceteros, tradit Pirhingius *Jure canon.* l. 3 tit. 50 §. 7.

(4) Concilium Tridentinum Sess. 25 *de Regul.* c. 19.

(5) C. 6 de Apostat.

10. Episcopus in carceres conjiciendos curat apostatas, qui in sua diœcesi commorantur, eosque, ut meritis plectantur pœnis, tradit regularibus Superioribus (1); sed hi quoque debent eosdem perquirere, ac dare operam diligentem, ut redeant ad bonam frugem, ac per canonicas pœnitentias crimen expiare possint (2). At illud in primis Episcopi est apostatam monere, ut sua sponte redeat ad religionem, unde discessit; quod cum ipse præstiterit, et apostata monitis obtemperavit, Regulares superiores ab Episcopo rogati, jussique à Sede Apostolica, abstinere se debent à pœnis asperioribus, quæ sunt in apostatas constitutæ (3). Sæpe etiam Sedes Apostolica spatium temporis elargitur, quo apostatæ

resipiscant, et eos ad se ultro venientes recipit, pœnasque temperat, quibus in illos jure animadvertere oporteret (4).

(1) Confer decretum editum à Congregatione Concilii die 21 Septembr. an. 1624, et approbatum ab Urbano VIII. §. 4, ac vide etiam Giraldum Exposit. Jur. Pontific. par. 1 l. 3 tit. 31 sect. 536 p. 548.

(2) Cap. 24 de Regular. Vetus autem hæc est regula, et Gregorio IX antiquior, sicuti ostendit Haeftenus *Disquisit. monastic.* p. 2 l. 8 trac. 4 disp. 8.

(3) Consule Benedictum XIV, de Synod. diœces. l. 13 c. 11 n. 11 et 12. Quin etiam anno jubilæi Regulares apostatæ, qui sponte redeunt ad Religionem, quam deseruerunt, cunctis soluti pœnis à Sede Apostolica veniam impetrant, modo à Regulari Superiore absolutionem petant, et culpam fateantur suam, atque emendationem polliceantur. Benedictus XIV, Const. *Pastoris*, 25 §. 1 t. 3 ejus Bullar. p. 150 ed. cit.

(4) Benedictus XIV. Const. *Pastor bonus* 95 §. 33 t. 1 ejus Bullar. p. 198 ed. cit.

11. Clerici etiam, qui suo relicto ordine, et habitu, à clericalis vitæ instituto deficiunt, et quod laicorum est proprium, vitæ genus suscipiunt, inter apostatas recensentur (1). Hi plectuntur pœna excommunicationis (2), fiunt infames (3), et irregulares (4), amittunt privilegia clericatus (5), et frustra moniti ab Episcopo in carceres conjiciendi sunt (6).

(1) Minores clerici, qui beneficium non habent, apostatæ non fiunt, ut omnes sentiunt; quoniam suo lubitu clericalis vitæ institutum deserere, et nuptias inire possunt. Sed num clerici minores, qui beneficium habent, incidant in apostasiam saltem latius acceptam, disputant Pirhingius Jus Can. l. 5 tit. 9 n. 4, et Schmier par. 2 de Delict. c. 5 n. 73.

(2) Quæ excommunicatio *latæ sententiæ est*, si clericus apostata matrimonium contraxerit: Clem. unic. de Consanguinit. Atque hæc quidem pœna contra apostatas, qui clericatum, aut regulare institutum deseruerunt, sane vetus est, eaque jam constituta à Concilio Chalcedonensi can. 7, quem describit Gratianus can. 3 Caus. 20 qu. 3.

(3) Can. 23 Caus. 2 qu. 7, et can. 2 Caus. 3 qu. 4.

(4) Irregularitas hæc oritur ex infamia, nisi apostata matrimonium contraxerit, quia tunc ob bigamiam similitudinariam irregularis fieret: c. 4 et 7 de Bigam. non ordin.

(5) Cap. 23 et 25 de Senten. excom.

(6) C. 5 de Apostat.

(N. S. Jure antiquo, Clerici propriam deserentes Ecclesiam, *Apostatæ* habebantur, unde in ipsos excommunicationis pœna infligebatur, ut in Syn. Tolet. I can. 12, Tolet. II can. 2, Valent. Can. 5; vel etiam depositionis, et detrusionis in Monasterium, ut in Syn. Hispal. II can. 3, atque etiam in Episcopos, qui eos inscio proprio Episcopo suscepissent: Syn. Tolet. II eod. can. 2, Hispal. II laud. can. 3, et Tolet. XII can. 11. Hodierno tamen jure illi proprie dicuntur *Apostatæ*, qui in Sacris Ordinibus constituti, habitu, et tonsura dimissis, vel matrimonium contrahunt, vel ad militiam convertuntur,

ii quidem amittunt privilegium Canonis: cap. 25 *de Sent. Excomm.*; et si matrimonium contraxerint, eo ipso excommunicati redduntur, *Clement. un. de Consanguin. et adfinit.*, et fiunt infames, et inhabiles ad Beneficia: *Clement. 2 de Vita, et honest. Cleric.*

In Hispania, Monachos utriusque sexus, qui abjeto pœnitentium habitu, ad sæculum revertebantur, anathematis sententia feriendos, voluit Synod. Tolet. IV can. 55 alias 54; et Tolet. VI can. 6, ita de Christianorum cœtu eliminandos decrevit, *ut nec locutio cum eis ulla esset communis.* De eo autem, qui Monachum desertorem receptaret, ita Syn. Tolet. XIII can. 11: «Ut vere sacrilegus, et transgressor institutionis Paternæ, tanto tempore excommunicatum, et remotum se à suis officiis noverit esse, quanto eum, qui fugit, sub sua potestate contigerit remorasse.»

TITULUS IV.

DE HÆRESI.

1. HÆRESIS QUID?—2. CATHOLICÆ ECCLESIÆ FIDEM SEQUI OMNES DEBENT.—3 AD 6. IUDICIUM ECCLESIÆ, ET SUMMI PONTIFICIS IN REBUS FIDEI UTRUMQUE ERRORI SUBESSE NON POTEST.—7. HÆRETICUS ETIAM QUI SCIENS PRUDENS IN FIDE DUBITAT. —8. SUSPECTUS DE HÆRESI.—9. HÆRETICORUM PŒNÆ AB ECCLESIA CONSTITUTÆ.— 10. PŒNÆ IN CLERICOS, QUI IN HÆRESIM INCIDUNT.—11. PŒNÆ INDUCTÆ A JURE CIVILI.—12. HÆRETICI AD CATHOLICAM ECCLESIAM REDEUNTES.—13. ANTIQUA DE HIS ECCLESIÆ DISCIPLINA.

1.

HÆRESIS Græcis, Latinis est *secta*, atque apud eos hoc vocabulum, tam in bonam, quam in malam partem accipitur. Sed antiquissima ecclesiasticorum scriptorum consuetudine, vox hæc male sonat, et significat voluntarium errorem intellectus Christiani hominis in fide cum pertinacia voluntatis. Ergo non omnis error statim aliquem hæreticum facit; sed tantum qui in fide, et qui cum voluntatis pertinacia conjunctus est (1).

(1) Huc sane spectat illud Augustini: *errare possum, sed hæreticus non ero;* quia scilicet pertinax in errore non ero, sed eum cognitum statim abjiciam, meque in Ecclesiæ sinum conjiciam.

2. Fides, quam omnes sequi debemus, est fides, quam sequitur Ecclesia catholica, quamque ipsa omnibus credendam proponit. Nam ei creditum est doctrinæ depositum, et ideo quidquid ipsa probat, probandum omnibus est, rejiciendum vero quidquid eadem rejicit (1). Sæpe novi exoriuntur errores, qui fidem infuscare, atque homines abstrahere à veritate possent, nisi præsto esset certum, fixumque judicium, quod fallere, et

resipiscant, et eos ad se ultro venientes recipit, pœnasque temperat, quibus in illos jure animadvertere oporteret (4).

(1) Confer decretum editum à Congregatione Concilii die 21 Septembr. an. 1624, et approbatum ab Urbano VIII. §. 4, ac vide etiam Giraldum Exposit. Jur. Pontific. par. 1 l. 3 tit. 31 sect. 536 p. 548.

(2) Cap. 24 de Regular. Vetus autem hæc est regula, et Gregorio IX antiquior, sicuti ostendit Haeftenus *Disquisit. monastic.* p. 2 l. 8 trac. 4 disp. 8.

(3) Consule Benedictum XIV, de Synod. diœces. l. 13 c. 11 n. 11 et 12. Quin etiam anno jubilæi Regulares apostatæ, qui sponte redeunt ad Religionem, quam deseruerunt, cunctis soluti pœnis à Sede Apostolica veniam impetrant, modo à Regulari Superiore absolutionem petant, et culpam fateantur suam, atque emendationem polliceantur. Benedictus XIV, Const. *Pastoris*, 25 §. 1 t. 3 ejus Bullar. p. 150 ed. cit.

(4) Benedictus XIV. Const. *Pastor bonus* 95 §. 33 t. 1 ejus Bullar. p. 198 ed. cit.

11. Clerici etiam, qui suo relicto ordine, et habitu, à clericalis vitæ instituto deficiunt, et quod laicorum est proprium, vitæ genus suscipiunt, inter apostatas recensentur (1). Hi plectuntur pœna excommunicationis (2), fiunt infames (3), et irregulares (4), amittunt privilegia clericatus (5), et frustra moniti ab Episcopo in carceres conjiciendi sunt (6).

(1) Minores clerici, qui beneficium non habent, apostatæ non fiunt, ut omnes sentiunt; quoniam suo lubitu clericalis vitæ institutum deserere, et nuptias inire possunt. Sed num clerici minores, qui beneficium habent, incidant in apostasiam saltem latius acceptam, disputant Pirhingius Jus Can. l. 5 tit. 9 n. 4, et Schmier par. 2 de Delict. c. 5 n. 73.

(2) Quæ excommunicatio *latæ sententiæ est*, si clericus apostata matrimonium contraxerit: Clem. unic. de Consanguinit. Atque hæc quidem pœna contra apostatas, qui clericatum, aut regulare institutum deseruerunt, sane vetus est, eaque jam constituta à Concilio Chalcedonensi can. 7, quem describit Gratianus can. 3 Caus. 20 qu. 3.

(3) Can. 23 Caus. 2 qu. 7, et can. 2 Caus. 3 qu. 4.

(4) Irregularitas hæc oritur ex infamia, nisi apostata matrimonium contraxerit, quia tunc ob bigamiam similitudinariam irregularis fieret: c. 4 et 7 de Bigam. non ordin.

(5) Cap. 23 et 25 de Senten. excom.

(6) C. 5 de Apostat.

(N. S. Jure antiquo, Clerici propriam deserentes Ecclesiam, *Apostatæ* habebantur, unde in ipsos excommunicationis pœna infligebatur, ut in Syn. Tolet. I can. 12, Tolet. II can. 2, Valent. Can. 5; vel etiam depositionis, et detrusionis in Monasterium, ut in Syn. Hispal. II can. 3, atque etiam in Episcopos, qui eos inscio proprio Episcopo suscepissent: Syn. Tolet. II eod. can. 2, Hispal. II laud. can. 3, et Tolet. XII can. 11. Hodierno tamen jure illi proprie dicuntur *Apostatæ*, qui in Sacris Ordinibus constituti, habitu, et tonsura dimissis, vel matrimonium contrahunt, vel ad militiam convertuntur,

ii quidem amittunt privilegium Canonis: cap. 25 *de Sent. Excomm.*; et si matrimonium contraxerint, eo ipso excommunicati redduntur, *Clement. un. de Consanguin. et adfinit.*, et fiunt infames, et inhabiles ad Beneficia: *Clement. 2 de Vita, et honest. Cleric.*

In Hispania, Monachos utriusque sexus, qui abjeto pœnitentium habitu, ad sæculum revertebantur, anathematis sententia feriendos, voluit Synod. Tolet. IV can. 55 alias 54; et Tolet. VI can. 6, ita de Christianorum cœtu eliminandos decrevit, *ut nec locutio cum eis ulla esset communis.* De eo autem, qui Monachum desertorem receptaret, ita Syn. Tolet. XIII can. 11: «Ut vere sacrilegus, et transgressor institutionis Paternæ, tanto tempore excommunicatum, et remotum se à suis officiis noverit esse, quanto eum, qui fugit, sub sua potestate contigerit remorasse.»

TITULUS IV.

DE HÆRESI.

1. HÆRESIS QUID?—2. CATHOLICÆ ECCLESIÆ FIDEM SEQUI OMNES DEBENT.—3 AD 6. IUDICIUM ECCLESIÆ, ET SUMMI PONTIFICIS IN REBUS FIDEI UTRUMQUE ERRORI SUBESSE NON POTEST.—7. HÆRETICUS ETIAM QUI SCIENS PRUDENS IN FIDE DUBITAT. —8. SUSPECTUS DE HÆRESI.—9. HÆRETICORUM PŒNÆ AB ECCLESIA CONSTITUTÆ.— 10. PŒNÆ IN CLERICOS, QUI IN HÆRESIM INCIDUNT.—11. PŒNÆ INDUCTÆ A JURE CIVILI.—12. HÆRETICI AD CATHOLICAM ECCLESIAM REDEUNTES.—13. ANTIQUA DE HIS ECCLESIÆ DISCIPLINA.

1.

HÆRESIS Græcis, Latinis est *secta*, atque apud eos hoc vocabulum, tam in bonam, quam in malam partem accipitur. Sed antiquissima ecclesiasticorum scriptorum consuetudine, vox hæc male sonat, et significat voluntarium errorem intellectus Christiani hominis in fide cum pertinacia voluntatis. Ergo non omnis error statim aliquem hæreticum facit; sed tantum qui in fide, et qui cum voluntatis pertinacia conjunctus est (1).

(1) Huc sane spectat illud Augustini: *errare possum, sed hæreticus non ero;* quia scilicet pertinax in errore non ero, sed eum cognitum statim abjiciam, meque in Ecclesiæ sinum conjiciam.

2. Fides, quam omnes sequi debemus, est fides, quam sequitur Ecclesia catholica, quamque ipsa omnibus credendam proponit. Nam ei creditum est doctrinæ depositum, et ideo quidquid ipsa probat, probandum omnibus est, rejiciendum vero quidquid eadem rejicit (1). Sæpe novi exoriuntur errores, qui fidem infuscare, atque homines abstrahere à veritate possent, nisi præsto esset certum, fixumque judicium, quod fallere, et

falli nequit, et cui tuto adhærere possumus. Quare hoc judicium reddit Ecclesia, quæ cum errorem aliquem tamquam hæreticum condemnavit, quisquis ejus sententiæ obfirmato in errore animo resistit, hæreticus est (2).

(1) Ut quis hæreticus sit, necesse est. quod resistat fidei dogmati ab Ecclesia recepto. Ex quo efficitur, ut hæreticus haberi non possit, qui opiniones sequitur, de quibus nondum ab Ecclesia judicium latum est.

(2) Judicium Ecclesiæ intelligitur judicium Episcoporum, qui cum unitatis centro, hoc est cum Summo Pontifice consentiunt. Nam hi Ecclesiam efficiunt, quam *docentem*, aut *regentem* appellamus, et quidquid ab ipsis aut de fide, aut de moribus definitum est, apud omnes veritatis loco esse debet. Sed qui ægre ferunt Ecclesiæ judicium, quod suis erroribus adversarium maxime esse sentiunt, eo rem adducere conantur, ut vix unquam certum, atque exploratum Ecclesiæ judicium esse possit. Mitto antiquiores hæreticos Montanum, Donatistas, Nestorium, Iconomacos, Wiclefum, Lutherum, aliosque similes. Nostræ ætatis sectarii potissimum sequuntur Joannem du Verger, hominem satis notum nomine Abbatis S Cyrani, quem ex testimonio S. Vincenti à Paula, et Cisterciensis Abbatis Joannis Jovaud de Prieres, Ecclesiæ defectum, et contemptum Concilii Tridentini, quod ipse Scholasticorum cœtum appellabat, pietatis simulatione omnibus persuadere voluisse constat. Hi nimirum sunt verissimi hostes Ecclesiæ, licet in externa ejus communione vivant, quorum animis alte hærent errores, quos literis mandarunt Jansenius, et Quesnellus, quosque Sedes Apostolica, et consensus totius Catholicæ Ecclesiæ condemnavit. Audent hi homnes ab hoc judicio provocare, sed ne Ecclesiæ auctoritati, et doctrinæ impudenter obsistere videantur, ea diverticula quærunt, ut non illud esse videatur certum, fallique nescium Ecclesiæ judicium, quod catholicis omnibus revera est. Primum igitur Romanæ Ecclesiæ auctoritatem in discrimen revocant; deinde vero sic statuunt, Ecclesiam quidem in Synodo congregatam errori haud subesse, non item Ecclesiam per totum orbem diffusam. atque dispersam, nisi unanimis omnium consensus, idemque absolute sit. De his duobus paulo post dicam; nunc cetera prosequar, quæ sunt hujusmodi. Inquiunt videlicet, in paucis, si ipsi opprimantur, residere veritatem, eosque hæreticos haberi non posse, quamquam numero pauci obsistant ceteris, qui cum Summo Pontifice conjuncti sunt, audiendam esse vocem plebis, quæ cum Pastoris voce consentiat, ut Ecclesiæ judicium sit; uniuscujusque examini, si præsertim vitæ integer sit, definitiones esse subjicendas, ut inde veritas eluceseat; denique inferiorum clericorum cum Episcopis judicium esse necessarium. De his omnibus dicam pro instituto meo pauca. Sane quod ajunt, in paucis inesse veritatem, cum opprimantur, id commune est, semperque fuit hæreticis universis, qui semper sese opprimi conquesti sunt, atque hanc fuisse Donatistarum, et Pelagianorum cantilenam, testatur Augustinus Cont. lit. Petilian. l. 2 c. 45 opp. t. 8 col. 251 ed. Ven. Maur. 1733 et t. 10 col. 358. De Pelagianis id tradit Nestorius ad Cœlestinum Pont., apud Labbæum t. 3. Conc. col. 899 ed. Ven., « Julianus et Florus, et Orontius, et Fabius. . . sæpe. . . . suas causas defleverunt, tamquam ortodoxi temporibus ortodoxis persequutionem passi. . . . insistunt per singulos dies, implentes aures omnium vocibus lacrymosis.» Idem constat ex libello, quem Julianus nomine 18 Episcoporum dedit ad Zosimum P., et l. de Bon. constant. apud la Fontaine in Const. *Unigenitus* t. 4 col. 1241. Ipse Nestorius, rescribens Cœlestio Pelagiano apud Marium Mercatorem p. 71 ed. Paris

1673, « Noli ægre ferre, inquit, venerabilis perferens ea, quæ inferuntur asserentibus veritatem, et refugientibus pollutorum communionem; quia et Sanctis, qui ante nostram ætatem exiterunt, gratæ fuerunt ærumnæ, et ipsæ quidem temporales erant, veritas autem æterna. . . . Paulus hoc modo quoque, et Petrus interfecti sunt. Et quid amplius dici opus est? Ita actum est semper per diversas tentationes pietate currente. Noli igitur à veritate deficiens eam prodere » Eadem querela fuit Petri Abailardi adversus S. Bernardum, ad Sedem Apostolicam, et eadem Calvini in Præfat. antidot. adversus Concilium Tridentinum. Veterum querelam et errorem hæreticorum integravit Quesnellus prop. 66 ad 100, quem sequitur P. Labordius Temoignage de la verité. Omnino contra omnem veri speciem, et contra omnium Patrum auctoritatem. Quis enim caput, et partem fere totam Ecclesiæ, cui Christus semper se adfuturum promisit, veritatem in uno aut altero membro sitam, opprimere posse arbitrabitur? « *Contra Divinam legem*, inquit Liberius P. Epist. 4 ad Constantium apud Coustantium Epis. Rom. Pontific. col. 424, visum est, cum Episcoporum numerus pro Athanasio major existeret, in parte aliqua commodare consensum; ipseque Athanasius Ep. ad Jovian. Imperat. de Fid. n 2 opp. t. 1 par. 2 p. 623 ed. Patav. 1777, « Quæ enim sit, inquit, omnium illarum Ecclesiarum sententia, ex experientia novimus, et earum habemus literas. Nec vero te fugit, Piissime Auguste, tametsi pauci quidam huic fidei adversantur, præjudicium tamen facere non posse, quippe cum orbis universus Apostolicam fidem retineat.» Basilius quoque Ep. 204 ad Neocæsar. num. 7 opp. t. 3 p. 307 ed. Maur. Paris. 1730, « Justius, inquit, est autem res nostras judicari non ex uno, aut altero non recte in veritate ambulantibus, sed ex multitudine Episcoporum, qui nobis in toto terrarum orbe per Domini gratiam conjuncti sunt.» Augustinus contr. Crescon. l. 3 c. 3 opp. t. 9 col. 457 ed. Maur. Ven. 1733, « Si omnino credendum sit, ait, quinquaginta Episcopis Orientalium. . . . contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit.» Confer eundem Augustinum Advers. Parmen. l. 3 c. 6 t. 9 col. 75, Concilium Ephesinum in Relat. Synodi ad Impp. act. 5 apud Labbæum t. 3 col. 1187 ed. Ven., cujus hæc verba sunt: « Perabsurdum enim est 200 et 10 SS. Episcoporum synodo, quibus et universa Occidentalium SS. Episcoporum multitudo, et per ipsos reliquus totus terrarum orbis consensit, triginta tantum numero sese opponere;» præterea S. Bernardum Ed. 126 n. 11 opp. t. 1 p. 57 ed. Ven. 1765. Vere ac sapienter Clerus Gallicanus, Lettre ecrite au Roy par l' assemblée Generale du Clergé de France tenue à Paris l' année 1731 t. 12 Act. Cler. Gallic. p. 1671, absurdam opinionem illorum, qui in paucis veritatem residere inquiunt, perstringit his verbis: « Le grand objet des Sectaires est de combattre, et de rendre odieuse l' autorité du corps des Pasteurs unis à leur Chef, pour y substituer celle de quatre, ou cinq Eveques refractaires. Systeme monstrueux, qui sappe les fondemens de la Religion, qui detruit l' universalité, et la visibilité de l' Eglise; et reduit les fideles comme les Protestans, à n' avoir plus de regle fixe de leur creance.» Certe quis non intelligit, nullam jam hæresim, et neminem futurum hæreticum, si paucis liceat Ecclesiæ judicio resistere? Omnes enim, qui propter errores ab Ecclesia condemnantur, sese opprimi quererentur, et penes se veritatem esse contenderent. Ergo Ecclesia, quæ ab ipsis dissentit, in errore versaretur, atque ita satis esset, quod ipsa hæreticos condemnaret, ut desineret esse Ecclesia catholica, hoc est columna, et firmamentum veritatis. Nam quibus hæreticis non illud præsto esset diverticulum, ut Ecclesiæ judicium impune despicerent, erroremque suum probare, ac tueri possent? Ergo Lutherani, Calviniani, ceteri non amplius erunt hæ-

retici; quoniam omnibus idem patet effugium, et omnes pari jure cum Quesnello veritatem penes se esse arbitrantur. Quos vero ex multiplici illo numero hæreticorum, quibus omnibus dissimiles, interque se pugnantes sententiæ sunt, ceteris præferendos putabimus? Omnes penes se veritatem habere censent, et tamen si qua secta veritatem haberet, eam certe habere non possent reliquæ sectæ, quæ ab aliis quam maxime discrepant. Ergo ut intelligatur, qui veritatem sequantur, quique in errore versentur, oportet adesse judicem, qui certo definiat, quis insistat in veritate, et quis ab ea procul absit. Hic autem judex non alius esse potest, quam Ecclesia, cui Christus fidei depositum commisit, hoc est Ecclesia Catholica Romana, ad quam tantum pertinent ea signa, quæ veram Christi Ecclesiam distinguunt, uti demonstratum est in Prolegomenis c. 1 §. 13 et seq. t. 1. Hæc una penes se habet veritatem, quam à Christo accepit perpetuo custodiendam, hæc hæreticos pronunciat Zuinglianos, Anabaptistas, Luteranos, Calvinianos, ceteros, quoniam cum hi omnes ab ea discrepent, discrepant à veritate, quæ extra eam esse non potest. Neminem ipsa opprimit, sed curat, ut veritas, quam integram custodire debet, hominum erroribus non opprimatur, eique semper adest spiritus veritatis usque ad consummationem sæculi, sive pacata, et tranquilla sint tempora, sive adversitatibus affligatur. Confer quæ ea de re scripsit Franciscus Simonis Belga de Fraudibus hæretic. par. 3 fr. 19. At cum judicio Supremi Pastoris, et Episcoporum cum eo morali unanimitate consentientium necessarius est plebis consensus, sive, ut alii scribunt, vox testimonii traditionis, ita ut illud sine plebis consensu, ac testimonio vim nullam habeat? Hoc quoque Appellantes à Calvino, et Protestantibus arripere non dubitarunt. Nam id expresse literis mandavit Calvinus Inst. l. 4. cap. 1 num. 22, eademque est sententia Lutheri de Captivit. Babilon. tit. de Ordine §. Quid si cogerentur opp. t. 2 p. 85 ed. Viterberg. 1562, et Apostatæ M. Antonii de Dominis l. 1 c. 12 n. 42. Eodem quoque spectat Richerius de *Potest. eccles. et civ.*, cujus doctrinam duo concilia provincialia an. 1612 habita gravissima inusta nota confixerunt, quippe quæ contineret *multas propositiones, expositiones et allegationes erroneas, scandalosas, schismaticas, et ut sonant hæreticas.* Hos duces, et auctores sequuntur Quesnellus pr. 75, et in Memor., Auctor libri *Renversement de liberté*, Labordius Temoignage de la verité, Auctor epistolæ à M. l'Evêque d'Autun, Auctor operis Apologiæ *de Curcés de Paris*, Auctor operis *Nouveaux memoires sur l' appel*, Auctor libri *De la droit et canonicité de l' appel*, Febronius, aliique similes. Horum commenta egregie refutarunt plures viri docti, præsertim Melchior Canus *de Loc. Theol.* l. 4 c. 4 Concl. 4, Bossuetius *Histor. Variat.* l. 11 n. 14, et in Conference de M. Bossuet, Auctor libri *Reflexion sur un ecrit*, Niccolius *Les pretendus Reformés convaincus de schisme* l. 3 c. 9, et *de l' Unité de l' Eglise* l. 3 cap. 14, Scheffmacher lit. 6, Tournelius Tract. de Ecclesia par. 2 art. 9, Card. Gottus in *Vera Eccl. Christ.* t. 1 c. 15 et seq., et in *Colloq. adv. Picenin.* par. 3 Colloq. 4 n. 4 et seq., Fenelonius, Archiepiscopus Cameracensis, *Instruction Pastorale* an. 1728, Card. de Bissy *Instruction Pastorale* an. 1725, Languetus Episcopus Suessonensis *Instruction* 2 an. 1718 n. 27 et seq. Denique hæc doctrina tamquam hæretica in M. Antonio de Dominis à Sorbona damnata est. Revera plura sunt, ut ostendi in Prolegomenis c. 2 §. 18 p. 12 et 13 t. 1, sacrarum Scripturarum loca, in quibus omnis docendi, pascendi, regendi potestas non plebi, sed tantum Apostolis, omnibus, aut nominatim Petro data est, atque absurdum esset ea, quæ Apostolis, hoc est, Præfectis dicta sunt, ad plebem detorquere. Hujus vero ab Apostolis, eorumque successoribus exercitæ

potestatis pleni sunt Sacrarum Scripturarum, et ecclesiasticæ historiæ libri, eamque testatissimam faciunt Patres universi, præsertim Ignatius M. Ep. ad Trallian. n. 70 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 2 p. 63 ed. Amsteledami 1724, Cyprianus de Unit. Eccles. p. 78 ed. Amsteledami 1700, Gregorius Nazianzenus Orat. 9 p. 154 ed. Coloniæ 1690, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Hilarius, Gregorius, ceteri Patres, quos laudat Niccolius de l' Unité de l' Eglise liv. 3 Chap. 14, ubi omnes dilluuntur Appellantium objectiones, quæ eædem ac Protestantium sunt. Ac non modo sacris literis, et traditioni adversantur, qui populi consensum, et suffragium necessarium putant, ut Ecclesiæ judicium existat, sed etiam prorsus ridicule certum, ac falli nescium judicium expectant à multitudine imperita, levi, inconstanti, cujus, ut plurimum, diversæ sunt sententiæ, quæ partium studiis rapitur, quæ facile in errorem inducitur. Omnia hæc enucleate, copioseque persequitur doctissimus Mamachius Orig. et antiquit. Christian. l. 4 par. 2 c. 1 §. 4 t. 5 p. 256 seq. Quod vero dicitur de subjiciendis uniuscujusque examini definitionibus, id, ut recte observat Cl. Bolgenius in opere, cui titulus Risposta al quesito Cosa è un appellante? n. 328 seq. p. 516 seq., recidit in examen, et spiritum privatum Protestantium, quem errorem late refutarunt Bellarminus Controv. l. 3 de Verb. Dei c. 3 t. 1 opp. p. 68 ed. Ven. 1721, Bossuetius Histor. Variat. l. 10 c. 15 seq. et Instruct. sur l' Eglise et Conference avec le Ministre, Arnaldus Perpetuité de la foi t. 1 Chap. 3, Niccolius Prejugés legit. Chap. 14, et Pretendu reformè convaincu de schisme liv. 2 Chap. 7, Scheffmacher lit. 2, aliique, quos longum est recensere. Principio, quomodo hoc examen in tanta hominum multitudine fieri potest, et quem demum exitum consequetur? Deinde si rem uniuscujusque examini permittimus, ecquod jam erit judicium omnibus unum, certum, fixum, stabile, errori non subjectum; quis jam erit hæreticus, qui cum privato examine errorem suum tueri, et probare non possit? Denique qui consensum secundi ordinis Presbyterorum requirunt, ut Ecclesiæ judicium ratum firmum sit, ii revocant errorem Aetii, de quo loquitur S. Epiphanius Hær. 73 n. 3 t. 1 p. 906 et seq. ed. Coloniæ 1682, quem antea revocarunt Valdenses, Wiclefitæ, Calviniani, Angli Presbyteriani, Richerius, quemque inter ceteros late refutarunt Bellarminus de Eccles. milit. l. 3 c. 16 p. 75 opp. t. 2 ed. Ven. 1721, Petavius de Hierar. Eccl. l. 4 c. 2 n. 5 t. 6 p. 178 edit. Ven. 1757, N. Alexander histor. eccles. ad sæc. 4 dissert. 44 t. 4 p. 618 ed. Ven. 1776, Niccolius Pretend. reform. convainc. de schism. liv. 3 Chap. 10, Veith Richerii system. confut. sect. 2 §. 54 n. 46 et seq. p. 299 et seq., Bolgenius « Esame della vera idea della S. Sede » n. 1 et seq. p. 8 et seq., et in cit. libr. « Risposta al quesito Cosa è un appellante » n. 279 p. 457. Sane docendi, pascendi, regendi potestas non Presbyteris, sed Apostolis, eorumque successoribus à Christo data est, semper Ecclesiarum regimini, et administrationi Episcopi sunt præpositi, non Presbyteri; in conciliis œcumenicis ab Episcopis editum est judicium, quod Christianis omnibus veritatis loco esse deberet. Atque id adeo verum est, ut semper Ecclesia generalia Concilia designaverit tantum expresso numero Episcoporum, qui iis interfuerant. Ita cum memorat Episcopos 318, aut Episcopos 600, intelligit Concilium Nicænum, aut Chalcedonense, quoniam à totidem Episcopis duo illa Concilia constituuntur. Quod si aliquibus conciliis etiam Presbyteros interfuisse constat, id factum est, vel ex consensu Episcoporum, quibus certos Presbyteros vocare placuit, qui sapientia præstarent, vel ut absentium Episcoporum vices agerent, ut ostendi in Prolegom. c. 3 §. 40 p. 28 t. 1. Hinc Episcopi subscribebant hac formula: N. *Episcopus, judicans subscripsi*; sed à subscrip-

tionibus Presbyterorum aberat to *judicans*, ut pateret, in Conciliis Episcopos proprie judices esse; et in Concilio Chalcedonensi Act. 1 col. 886 t. 4. Collect. Labbæi habentur hæc *foras mittite superfluos, concilium Episcoporum est.* Rem concludam egregiis verbis Cleri Gallicani, Harangue faite au Roy à Versailles le 17 Sept. 1730 pour la cloture de l' Asamblée Generale du Clergé de France, t. 12 Actor. Eccl. Gallic. p. 1760 ed. Paris. an. 1740, quæ verba sunt hæc: « Le calme apres lequel nous soupirons, ne seauroit se trouver, que dans la soumission aux Decrets de la Foi, et dans l' obeissance à ceux, qui en sont les juges. Ce sont les Evêques, et les Evêques seuls. C' est à eux qu' il appartient d' en decider les dogmes, de les enseigner, de les expliquer, de les garantir, d' en établir egalement la certitude, et l' écumenicité, et d' y soumettre les peuples, » et p. 1674, ubi extat *la Lettre écrite au Roy par l' Assemblée Generale du Clergé de France tenue à Paris en l' année* 1731, « Nous le disons, inquiunt, avec douleur, la subordination s' affoiblit. Le simple Prêtre se met au rang des premiers Pasteurs, et prend la place des juges de la Foi. Des Curés de la Capitale de vôtre Royaume osent, dans un Memoire imprimé, attaquer ouvertement une Ordonnance, et une Instruction Pastorale de leur Archevêque; qui sont hors de toute atteinte etc. » Paucis ab hinc annis Bergomi prodiit egregius liber Marii Lupi *de Parochiis ante annum Christi millesimum*; quo in libro evidenter ostenditur, quam sero Parochi instituti in Ecclesia fuerint, ut proinde audiri nequeant, qui divinam eorum institutionem jactant.

3. Sed hoc judicium certum, et falli nescium, extare semper in Ecclesia debet, ut semper integra sit fides, et cum novus erumpit error, statim condemnari possit, ne reliquos inficiat. Si illud ab Episcopis expectamus aut in toto orbe dispersis (1), aut in concilio congregatis, quam longum erit, ac sæpe etiam difficile hoc omnium Episcoporum judicium, quæ sententiarum divortia esse poterunt, quod tempus requiretur, ut expressus, quod item, et id quidem multo longius, ut tacitus omnium Episcoporum consensus habeatur! Interim Christiani homines in summo errore, et in maximarum rerum ignoratione versarentur, ac sæpe malum, quod illico erat avertendum, serperet, et manaret in dies latius, nisi esset in promptu judex certus, et falli nescius, qui omnem errorem sua sententia depelleret.

(1) Congregatam in œcumenico Concilio, non item per orbem diffusam, et dispersam Ecclesiam, erroris expertem esse, contendit Jurius, quem Bossuetius, *Histor. Variat.* t. 21. 15 n. 99, solide accuratque refutavit. In eodem luto hæsitavit Theophilus Besgnin de la Cuillettiere, Auctor operis *Temoignage de l' Univers. de Paris*. t. 1 p. 28, itemque Auctor alterius operis *De la necessité de l' appel*, p. 665. Errorem hunc Sacra Facultas Parisiensis an. 1644, apud Languetum Episcopum Suessonensem, Avertis. 2 an. 1718 n. 22, damnavit his verbis: *Hæ propositiones, in quantum infallibilitati Ecclesiæ universalis in nullo alio statu, quam in solo Concilio Œcumenico congregatæ tribuunt, temerariæ sunt, ipsi Ecclesiæ injuriosæ, et hæreticæ.* Nihilo tamen minus multi ex appellantibus hunc errorem revocare ausi sunt; inepte sane, et ridicule. Christus enim se Ecclesiæ adfuturum pollicitus est, *omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*, eamque semper esse voluit columnam, et firmamentum veritatis, ne fideles *fluctuantes sint, sicul parvuli, et circunferantur omni vento doctrinæ.* Si eam tantum in Concilio congregatam erroris expertem dicimus, ei non semper presto erit Christus, neque semper damnare errores poterit, et proponere veritatem, quam omnes tuto, certoque sequantur. Ergo, ut recte observat Cl. Mamachius l. 1 de Animab. Justo *in sinu Abrahæ ante Christi mortem expertibus Evatæ visionis Dei* ed. Rom. an. 1766. C. 2 § 1 p. 114 seq., et §. 2 p. 139 et 190 seq., et § 3 p. 203 seq., usque ad annum 325, quo primum œcumenicum concilium habitum est, omnia incerta, et erroris plena esse debuerunt; eademque erit ratio ceterorum temporum, quibus Ecclesia carnit œcumenicis conciliis, quæ raro habentur. Quo quid magis falsum, et magis absurdum dici, fingique potest? Non utar exemplis, Pauli Samosateni, Montani, Novatiani, Pelagii, et aliorum, qui extra œcumenicum Concilium dispersæ Ecclesiæ consensu damnati sunt; neque item afferam, quæ sunt prope innumera, Patrum testimonia. Sunt hæc nota omnibus. Illud non omittam, quod ex Augustino observat Bossuetius, cujus fidem Appellantes repudiare non possunt. Inquit autem ipse l. Instruct. sur l' Eglise n. 21: « S. Augustin donne toujours le sentiment (*consensum*) de l' Eglise pour une entiere conviction de la verité. » Alli vero sunt ex Appellantibus, qui dispersæ Ecclesiæ auctoritatem in discrimen non revocant, sed tamen, ut ea rata firma sit, omnium consensum postulant unanimem, et eum quidem non moralem, sed physicum, et absolutum, adeout certum Ecclesiæ judicium haberi non possit, cui aliquis Episcopus, aut aliqua insignis Ecclesia adversetur; quin absolutam hanc unanimitatem etiam ad œcumenicum concilium transferunt. Hi nimirum faciunt, ut unius Episcopi sententia plus valeat, quam universæ Ecclesiæ consensus, quoniam illi Ecclesiæ decretis intercedendi facultatem attribuunt; ut unus aliquis Episcopus errare numquam possit; ut vix unquam haberi queat certum Ecclesiæ judicium, quoniam dificile est, in magno numero Episcoporum, qui in Ecclesia sunt, non aliquem reperiri, qui à ceteris dissentiat. Quid si Episcopus aliquis hæreticus fiat, cujus quidem rei non pauca in historiis exempla sunt? Eum Ecclesia damnare non posset; et interim Christianis incerta esset fides, atque in errorem versari liceret, quoniam unius Episcopi sententia impedimento esset, quominus certum ea de re judicium ab Ecclesia emitteretur. Imo quis unquam hæreticus condemnaretur? Ipse quidem decipere non posset universam Ecclesiam, sed facile posset in suam partem transferre unum, aut alterum Episcopum, quod sane pluries evenisse constat; id vero satis esset, ut ipse impune sequi, docereque errorem posset. Quot Arius erroris socios habuit Episcopos, quot Donatistæ, quot ceteri hæretici! An, quod de iis latum est ab Ecclesia, judicium catholicus homo in discrimen revocabit? Quam illustris erat Anglicana Ecclesia, antequam in schisma, et hæresim delaberetur? An ab ea procul esse debuit schisma, et hæresis, quod tot Episcopi contra sententiam Catholicæ Ecclesiæ utrumque tuebantur? Mitto reliquas Ecclesias, quæ initio catholicæ erant, et nunc schismaticæ, aut hæreticæ sunt. Certe Christus *surreturos* prævidit *lupos rapaces ex vobis ipsis* (sacerdotibus) *non parcentes gregi, et loquentes prava*, sed Christianos procul ab iis esse, et firme in Ecclesiæ fide stare voluit, seque adfuturum promisit, ut recte observat Bossuetius, II. Instruction sur l' Eglise n. 28, corpori totius Ecclesiæ, non cuivis membro, ipsamque Ecclesiam semper erroris expertem futuram, non singulos Episco-

pos pollicitus est. Confer, inter ceteros, Cl. Bolgenium in laudato libro Risposta al quesito Cosa è un' Apellante n. 240 et seq. p. 393 et seq., et n. 283, et seq. p. 441 et seq.

4. Hic autem judex, quem in promptu habere debet Ecclesia, ut semper sit expers erroris, non alius esse potest, quam Summus Pontifex, quem Christus Ecclesiæ caput, et omnium magistrum, et unitatis centrum constituit. Qui tantum Ecclesiæ accedente consensu, eum errare non posse affirmant, sine hoc consensu negant, ii tollunt certum illud judicium, quod semper extare in Ecclesia debet, ut statim error depellatur. Nam antequam compertum, exploratumque sit judicium omnium Episcoporum, quibus Pontificia decreta probanda esse putant, incerta erant omnia, et malum radices aget altiores, atque impune dominabitur (1).

(1) « L' Eglise (inquit S. Franciscus Salesius in ms. opere, quod extat in Bibliotheca Chisiana c. 19 plut. A. n. 71 p. 42) à toujurs bésoin d' un confirmateur infaillible, au quel on puisse s'adresser, d' un fondement, que les portes d' enfer, et principalement l' erreur ne puisse renverser, et que son Pasteur ne puisse conduire á l' erreur ses enfans. Les successeurs donc de S. Pierre ont tous ces mêmes privileges, qui ne suivent pas la personne, mais la dignitè, et la charge publique. » Late hoc argumentum persequitur auctor libelli, qui nuper ex Gallico in Italicum sermonem conversus, editus est Firmi, et cui titulus: « L' Infallibilità del Papa probata coll' esame del quarto articolo della dichiarazione del clero di Francia radunato nel 1682. » Confer etiam Veith, Richer sistem. confut. sect. 2 §. 42 n. 16 p. 245.

5. Quin etiam, ne cognita quidem Episcoporum sententia, iisque inter se consentientibus, sed tamen à Summo Pontifice dissentientibus, omnis erroris causa removebitur. Nam si Episcopi à Summo Pontifice dissentiant (quod illi quidem evenire posse existimant, nos autem negamus), ecquod erit judicium, quod omnes tuto sequi possint? Episcopi sine capite, centroque unitatis, à quo cuncti copulentur, Ecclesiam repræsentare nequeunt (1). Ergo eorum judicium esse non poterit exploratæ veritatis loco. Ergo non habebit Ecclesia judicium illud certum, ac falli nescium, quod in ea Christus semper esse voluit.

(1) Confer quæ dixi in Prolegomenis c. 2 §. 21 et seq. t. 1 p. 14 et seq. quæque item collegi l. 1 tit. 3 sect. 1 §. 13 p. 141 et seq., et quæ l. 3 tit. 15 §. 18 not. 2 p. 159 et seq. animadverti contra Appellantes, quorum huc redit sententia.

6. Sed Primatus indoles, et ratio in primis efficit, ut judi-

cium Summi Pontificis in fidei, morumque regulis definiendis, certum omnibus esse debeat; adeout qui ab eo damnatos errores sequitur, hæreticus habeatur. Nam Christus Primatum instituit ad unitatem Ecclesiæ conservandam, et Pontifex omnes ad eamdem secum, præsertim in fide, unitatem jure Primatus cogit. Si ejus judicium in rebus fidei errori subesset, Ecclesia, quæ ratione Primatus ad eamdem fidem cogitur, ad assentiendum errori cogeretur, quod certe, fieri non potest. Quare aut verum non est, quod nemo catholicus inficiari potest, totius Ecclesiæ præsertim in fide unitatem cum Petri successoribus Primatus instituendi causam fuisse, aut erroris expers ese debet quidquid à Summo Pontifice propter unitatis bonum definitur, et quidquid ab Ecclesia universa, quæ ad hanc unitatem cogitur, tenendum ab Ecclesia universa, quæ ad hanc unitatem cogitur, tenendum est (1). Atque ita sane perpetua Ecclesiæ disciplina, et Patrum consensus docet (2).

(1) Præclare S. Thomas, Sum. Eccles. l. 2 c. 109, 111, 112, « Una fides, inquit, debet esse totius Ecclesiæ, secundum illud 1. Corint. 1: *id ipsum dicatis omnes, ut non sint in vobis schismata*: quod servari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur; et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut et omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare synodum generalem, et alia hujusmodi. » Consule Mamachium *Antiquit. Christian.* t. 5 par. 1 p. 93 seq. et 134 seq., et Epist. 1 ad Auctor. oper. *Quid est Papa?* §. 14 t. 1 p. 57; Card. Orsium *de Irreformab. Rom. Pontifi in defin fid. controv. judic.*; Auctorem operis Avenione editi an. 1747, *De Suprema Romani Pontificis auctoritatæ hodierna Ecclesiæ Gallicanæ doctrina*; Ballerinium *de Vi ac ration. Primat. Roman. Pontific.* C. 15 p. 260 seq. ed. Augus. Vindelic. an. 1770; Zaccariam Anti-Febron vindic. par. 2 Dissert. 5 c. 3 seq.; Bolgenium *Esame della Vera Idea della S. Sede*, n. 38 et seq. p. 55 et seq ed. Maceratæ 1788.

(2) Nota est ea Christi promissio, apud Matthæum XXI. 16 et seq., qua postquam ipse affirmavit, se ædificaturum Ecclesiam supra S. Petri confessionem, seu fidem, quam *petræ* nomine designavit, spepondit: *et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ipsum *petræ* vocabulum firmitatem, ac nunquam defuturam soliditatem ejusdem fidei designat; ex quo plures Patres eamdem soliditatem, quæ in Petri fide fuit, ad ejus successores transiisse affirmarunt. Hinc S. Leo M. Serm. 3 al. 2. c. 2 t. 1 col. 12 ed. Ballerin. « Soliditas illius fidei, inquit, quæ in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est; et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit. » Et serm. 5 c. 3 t. cod. col. 12, recitato Evangelii loco *super hanc petram etc.*, concludit: « manet ergo dispositio veritatis, et B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit. » Et serm. 5 c. 4 t. eodem col. 22, « Soliditas enim, inquit, illa, quam de petra Christo etiam ipse (Petrus) petra factus accepit, in suos quoque se transtulit hæredes. » Sane quomodo errori obnoxius esse potest ille, super quem Ecclesia fundata est? Locum hunc Evangelii solide ex-

pendunt Ballerinius l. c cap. 12 §. 2 p. 66 et seq., et Cl. Bolgenius in cit. libro Risposta al quesito etc. n. 129 et seq. p. 207 et seq., Confer S. Irenæum de Hæres. l. 3 c. 3 n. 2 opp. t. 1 p. 175 ed. Ven. 1734, Tertullianum cap. 23 de Præscript. p. 210 ed. Paris. 1675, Optatum Milevitanum Contr. Donat. l. 2 cap. 5 p. 55 ed. Antuerp. 1702, S Cyprianum Ep. 55 ad Antonian. p. 243 ed. cit. 1700, S. Hilarium de Trin. l. 6 c. 37 opp. t. 2 p. 160 ed. Veronæ 1730. S. Ambrosium de Incarnat. c. 5 n. 34 opp. t. 6 p. 494 ed. Maurin. Ven. 1781, S. Augustinum in Psalm. Contr. part. Donat. opp. t. 9 col. 4 ed. Maurin. Ven 1755, et l. 2 Oper. imperf. contr. Julian. n. 103 t. 10. col 995, S. Leonem M. Ep. 10 ad Episc. Gallican. provinc. Vienn. c. 1 opp. t. 1 col. 655 ed. Ballerin. Ven., et Serm. 83 c. 2 t. 1 col. 331, Simplicium P. Ep. 4 ad Zenon. August. apud Labbæum t. 5. Conc. col. 93 ed. Ven., S. Gelasium in Commonit. ad Faust. eod. loc. col. 297, S. Theodorum Studitam l. 2 Ep. 129 p. 462 t. 5 oper Sirmondi ed. Ven. an. 1728, S. Innocentium I. Ep. ad Synod. Carthag. n. 1 apud Coustantium Ep. Roman. Pontific. col. 883, cetera Patrum, et Conciliorum loca, quæ collegerunt Mamachius, Ballerinius, Bolgenius, l. c. Vulgatus est etiam alter Evangelii locus apud Lucam XXV, 32, quo Christus ita Petrum alloquitur: «Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum; ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.» Quo ex loco patet, à Petro, ejusque successoribus fratres in fide esse confirmandos; quod sane ipsi recte præstare non possent, si in fidei definitionibus errori subessent. «Commune erat omnibus Apostolis, inquit S. Leo M. Serm. 4 al 3 c. 3 t. 1 col. 18 ed. cit. illum explicans Evangelii locum, periculum de tentatione formidinis, et divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: et tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit.» Quæ ratio, petita ex ratione Primatus, ut indicat vox illa *Principis*, cum etiam Petri successoribus sit communis, dubitari non potest, quin ad eos quoque transierit vis orationis Christi, qui pro Petri fide nunquam defectura Patrem exoravit. Consentit etiam Bossuetius, qui *in Meditation. super Evangel., die* 70, ita ea Christi verba explicat: «Satanas expetivit, ut cribraret vos: ego autem, Petre, oravi pro te speciatim, pro te distincte; non quod alios neglexerit, sed, ut, explicant SS. Patres, quia firmato capite, impedire volebat, ne membra nutarent.» Quem in finem paulo post declarat, «S. Petrum ob rationem Christi recepisse fidem constantem, invincibilem, inconcussam, et ita abundantem, ut ipsa apta fuerit ad confirmandum non solum alios fideles, sed etiam fratres suos Apostolos, et pastores gregis.» Atque hæc quidem ad Primatum pertinere, qui ad Petri successores transivit, et exinde Apostolicæ Sedis fidem vinci, et errare non posse, ostendit in Meditation. diei 72. Confer Gelasium P. Ep. 14 apud Labbæum t. 5 Concil. col. 341 ed. Ven., Pelagium II. Ep. 5 ad Eliam t. 6 Conc. col. 426, S. Bernardum Ep. 190 c. 1 seu Tract. contra Abailard. ad Innoc. II. opp. t. 2 p. 283 ed. Ven. 1765, S. Thomam in cap. 6. Matthæi, et in 2, 2 q. 1 art. 10, ceteros à Ballerinio collectos l. c. §. 3 p. 270 et seq. Mitto reliqua, quæ ab eodem, Ballerinio, Mamachio, Orsio, Bolgenio exposita graviter, accurateque sunt.

7. Jam vero hæreticus est habendus non tantum, qui pervicax in errore perseverat, quem Ecclesia, aut Summus Pontifex tamquam hæreticum condemnavit, sed etiam qui sciens prudens

in fide dubitat (1). Nam quisquis dubius est in fide Ecclesiæ catholicæ, hoc ipso in fidem obstinate peccat; quoniam dubium, et incertum esse non potest, quod à catholica Ecclesia veluti fide divina credendum proponitur. Dubius autem in fide censetur non tantum qui de universa dubitat Ecclesiæ doctrina, verum etiam qui aliquem fidei articulum obfirmate in discrimen revocat.

(1) Cap. 1 de Hæret.

8. Præter hæreticos, sunt etiam de hæresi suspecti, qui nimirum ex indiciis, et conjecturis errare in fide cum sententiæ obstinatione censentur. Est autem suspicio de hæresi levis, vehemens, et violenta. Levis suspicio est, quæ oritur ex signis externis operum, vel verborum, quæ minus tuta, certaque sunt, et quæ raro admodum hæresis præsumptionem afferunt; ut si quis semel hæreticorum conventibus interfuerit. Vehemens educitur ex argumentis, quæ sæpe certa firmaque sunt, et ideo juris afferunt præsumptionem, quæ contraria probatione tollenda. evertendaque est; ut si quis in rebus fidei errores fuderit, aut die vetito carnes manducaverit. Denique violenta suspicio inducit præsumptionem juris et de jure, quæ nulla contraria probatione labefactari potest, quæque satis est, ut quis tamquam hæreticus condemnetur; veluti si quis frequens hæreticorum cœtibus interfuerit, vel de hæresi suspectus, sacramento se purgare noluerit, vel hæresim ejurare, et inde excommunicatus, per annum in excommunicatione perseveret (1).

(1) Cap. 13 §. 2 de Hæret., c. 7 eod. in 6, Concilium Tridentinum sess. 25 de Reform. cap. 3.

(N. S. Si quis per jocum, aut levitatem animi, verba adversus Ecclesiam, vel ejus dogmata proferat, secundum personæ qualitatem puniendus decernitur in Collect. Tarrac. lib. 5 tit. 6 cap. 1. Synod. Brac. I. cap. 14 alias can. 31, excommunicandos voluit Clericos, qui olera cocta cum carnibus vel esse Priscillianæ hæresis errore involutos. Unde etiam Syn. Trid. Sess. 25 Ref. cap. 3, sanxit, ut «excommunicatus quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta, et communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur; sed si obdurato animo, censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de hæresi suspectum, procedi possit.» Quæ quidem doctrina desumpta videtur ex Synod. Hispal. an. 1512 cap. 8).

9. Multæ in hæreticos pœnæ, tum ecclesiasticis, tum civilibus legibus constitutæ sunt. Et Ecclesia quidem eos plectit ex-

communicationis pœna, atque ecclesiastica communione privat (1); quoniam in Ecclesia retinendi non sunt, qui ab ea divortium fecerunt, neque cum fidelibus sunt commiscendi, qui alios depravare opinionum monstris, et exemplo possunt (2). Eidem pœnæ subjiciuntur etiam, qui scientes in loco sacro hæreticos sepeliverint, eorumque fautores, hospites, defensores, præterea qui cum iis in sacris communicaverint (3).

(1) Can. 13 caus. 24 qu. 3, c. 8, 9, 15 de Hæret. Confer etiam Bullam *in Cœna Domini*.

(Syn Brac. I præf. in fine, et Emerit.—N. S.)

(2) »Secandæ, inquit Hieronymus *Comment. in Ep. ad Galatas*, c. 5 vers. 8 opp. t. 7 col. 489 ed. Vallarsii Veronæ, putridæ carnes, et scabiosum animal à caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, et pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius in Alexandria, una scintilla fuit; sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est.«

(3) Canon Apostolorum 57 al. 45 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 448 ed. Amstelædami 1727, Concilium Laodicenum can. 9 apud Labbæum Conc. t. 1 colun. 1551 ed. Ven. cit.

10. Præterea, si clerici sint hæretici, omnibus ecclesiasticis officiis privantur, ac perpetuo deponuntur (1), et generatim hæretici irregulares sunt, sive in hæresi baptizati fuerint, sive in eam inciderint post acceptum in catholica fide baptismum; nam reversi ad Ecclesiam catholicam, tamquam laici recipiuntur; ac perpetuo à sacro ministerio repelluntur (2). Eadem hæc pœna pertinet etiam ad eos, qui hæreticos recipiunt, iisve favent, aut eos defendunt, item ad eorum liberos ex paterna linea ad primum, et alterum gradum, ex materna usque ad primum tantum, si eorum parentes in hæresi decesserint (3); denique in hæresi perseverantes cum pertinacia, sæculari Curiæ traduntur, ut meritis plectantur pœnis (4), atque in errore morientes, ecclesiastica sepultura privantur (5).

(1) C. 9 de Hæret. Vide etiam Cyprianum Ep. 59 ad Magnum p. 296 ed. Amstelædami 1700.

(Syn. Cæsaraug. II can. 1; conc. Tolet. I (*sent. definit. ejusd.*—N. S.)

(2) Can. 21 caus. 1 qu. 7 can. 17 caus. 6 qu. 1, c. 2 §. 2 de Hæretic. in 6.

(N. S. De hæreticorum *irregularitate* V. Syn. Tolet. IV, can. 19 alias 18: Syn. Illiber. can. 51).

(3) C. 15 de Hæret. in 6.

(4) C. 9 de Hæret.

(5) C. 8 eod.

11. Civilibus quoque legibus multæ in hæreticos pœnæ indictæ sunt, quæ tamen in cujusvis sectæ hæreticos non omnes

cadunt. Cuncti generatim infamia notantur, et in quemvis hominem sibi criminis societate conjunctum, testamentum condere, aut donationem conferre, atque ipsi aliquid ex alieno testamento, aut donatione capere prohibentur. Præterea eorum bona publicantur (1), ipsique pecuniariæ (2), aliisque similibus pœnis subsunt; quin etiam jus Romanum hæreticos nonnullos ultimo supplicio afficit, quales sunt Encratitæ, Saccophori, et Hydroparastatæ, qui omnes Manichæorum erroribus inquinati erant (3); item qui aliquem rebaptizaverit, et qui rebaptizatus fuerit, modo per ætatem criminis capax sit, morte mulctantur (4). Denique à Friderico II aliæ quoque contra hæreticos pœnæ statutæ sunt (5).

(1) Confer Codicem Theodosianum tit. *de Hæret.*, ubi omnes fere habes pœnas, quæ à Jure civili in hæreticos sunt constitutæ.

(2) Ipse Augustinus, qui initio æquum non putaverat, contra Donatistas ob errorem vim adhiberi, deinceps experiundo novit, utiles esse contra hæreticos pœnas pecuniarias. Augustinus Ep. 185 ad Bonifac. c. 7 opp. t. 2 col. 851 ed. Maur. Ven. 1759. Nimirum ipsi pœnarum metu perterriti, in rem diligentius inquirunt, ac doctiores facti, ad catholicam Ecclesiam revertuntur. Sane multos hæreticos, inter angustias, et afflictiones, in bonam mentem rediisse constat, quoniam his malis veluti excitati, de rebus suis diligentius cogitare cœperunt, atque ita noverunt, et abiecerunt errorem, in quo pridem hæsitabant.

(3) L. 9 cod. Theod. *de Hæretic.*

(4) L. 2 cod. *Ne sanct. baptism. iter.*

(5) Ejus constitutionis fragmenta extant in Auth. *Si vero*, et *Auth. Credentes* cod. *de Hæret.*

(N. S. Infamiæ nota habendos esse hæreticos, declaravit Reccesvinthus leg. 2 tit. 2 lib. 12 *Fori Judic.* Unde etiam Alphonsus Sap. leg. 4 tit. 26 *Partit. VII.* et Catholici Reges leg. 3 tit. 3 lib. 13 *Novis. Compil.*, ineptos ad quodcumque publicum munus obtinendum decreverunt reconciliatos, et eorum filios, qui ob hæresim à S. Inquisitione damnati sunt, usque ad secundam generationem paternam, et primam maternam; immo et ad Chirurgiæ, et Pharmacopeæ exercitia obeunda. Tum idem Alphonsus leg. 8 tit. 16 *Partit. III.* ad testimonium dicendum admittendos non esse, constituit.

Jure quoque Hispano hæreticis denegata est testamenti factio activa, nisi in favorem filiorum Catholicorum; et passiva, ut in paternam hæreditatem succedere haud possint filii hæretici: leg. 7 tit. 7 *Partit. VI*, et leg. 3 tit. 26 *Partit. VII.*

Hispaniarum etiam legibus, hæretici publicatione bonorum damnantur: leg. 2 tit. 2 lib. 12 *Fori Judic.*, et leg. 1 tit. 3 lib. 12 *Novis. Compil*; quam pœnam non evadunt fautores, receptatores, et occultatores hæreticorum: leg. 2 *ejusd.* tit. 3.

Insigne habemus exemplum in Priscilliano, qui ab Hispanis Patribus non semel damnatus, neque ab exteris in communionem receptus, sententia tamen Enodii Præfecti, capite damnatus est, uti refert Sulpitius Severus lib. 2 *Histor.* Quocirca in Conc. Tarrac. an. 1242, sæculari Curiæ, ut vivi exuran-

tur, tradi jubentur Waldenses in errore persistentes, juxta leg. 2 tit. 26 *Partit. VII.*

Hodie in Hispania hæretici, qui errorem abjurant, post reconciliationem, et congruam peractam pœnitentiam, in exilium mittuntur; à quo si pro lubito redierint, capite plectendi sunt, ex leg. 2 tit. 3 lib. 12 *Novis. Compil.*)

12. Hæretici, qui pœnitentia ducti, redire ad catholicam Ecclesiam velint, recipiuntur, sed primum errorem detestari, atque ejurare, fidemque catholicam profiteri debent. Atque hi quidem ab asperioribus liberantur pœnis, sed sæpe, cum ita rerum ratio postulat, perpetuo carceri addicuntur (1). At eorum, quos *relapsos* vocamus, qui scilicet plus semel in hæresim lapsi sunt, tamquam ficta habetur pœnitentia, ideoque ipsi sæculari judici traduntur, ut debitis pœnis afficiantur (2). Iis tamen Pœnitentiæ, et Eucharistiæ sacramenta non denegantur, si manifesta dederint pœnitentiæ argumenta.

(1) Cap. 15 de Hæret. Confer etiam Benedictum XIV, const. Eo quamvis 129 §. 11 t. 1 ejus Bullar. p. 515 edit. Rom. seu Ven. 1754.
(2) Cap. 4 eod. in 6.

13. Vetus disciplina hæreticos, qui ad Catholicam Ecclesiam veniebant, cum in hæresi nati, baptizatique fuissent, ab illis distinguebat, qui ad eam redibant, cum baptizati, et educati in fide catholica fuissent, ac postea descivissent (1). Illi enim non per pœnitentiam solum, sed per manuum etiam impositionem, ac si in hæresi uncti non fuisset, etiam per sacri chrismatis unctionem recipiebantur (2). Quamquam enim baptismus valide collatus haberetur, tamen suspensa videbatur manere charitas, quæ in sola Ecclesiæ unitate habetur, donec ad catholicæ Matris sinum accederent. Contra qui primum catholici, deinceps hæretici fuerant, excipiebantur per pœnitentiam, quæ brevior, longiorve erat, pro ratione rerum, ac temporum disciplina (3).

(1) Confer S. Augustinum Ep. 93 ad Vincent. Episc. c. 13 opp. t. 2 col. 255 ed. Maurin. Ven. 1729, et l. 2 contra Crescon. Donat. c. 16 t. 9 col. 419 cit. ed.
(2) Vide Petrum de Marca in can. 28 Concil. Claromont.
(3) Concilium Eliberitanum can. 12 apud Labbæum Conc. t. 1 col. 995, hos hæreticos decem annos agere pœnitentiam voluit; Concilium Agathense can. 60 t. 5 col. 530, tempus hoc contraxit ad annos tres; Concilium Epaonense can. 29 t. 5 col. 718, etiam tertio anno pœnitentiam mitigavit. Plura ea de re habet Binghamus Orig. eccles. l. 16 cap. 6 §. 16 et 17 t. 7 p. 302 et seq. edit. Halæ Magdeburg, 1761.

TITULUS V.

DE SCHISMATE.

1. SCHISMA QUID?—2. AN SCHISMATICI SINT HÆRETICI?—3. QUOTUPLEX SCHISMA?—4. SCHISMATICORUM PŒNÆ.

1.

Schisma etiam Græcum nomen est, quod latine *scissuram*, ac *divisionem* significat. Schismatici sunt, qui se ab unitate separant Ecclesiæ Catholicæ, quæ in eo est posita, ut plures Ecclesiæ particulares, tamquam plura membra, sub uno omnium Capite, unum corpus efficiant. Cum autem hujus unitatis centrum sit Summus Pontifex, nec sine hoc centro, in quo omnes particulares Ecclesiæ copulantur, una ex cunctis Ecclesia effici possit, facile intelligitur, Ecclesiæ unitatem abrumpere, ideoque esse schismaticos, qui à Romano Pontifice discessionem faciunt (1). Nam qui discedunt à centro, in quo unitas existit, ii profecto ab unitate discedunt; nec cum Ecclesia conjuncti esse possunt, qui ab ejus capite disjuncti, ac dissociati sunt. Itaque schismatici sunt Græci, qui sub Patriarcha Constantinopolitano in Turcarum imperio vitam agunt (2); Ultrajectenses (3), ceteri, qui divisi sunt à Sede Romana, et à capite Ecclesiæ, centroque unitatis.

(1) « Diserte Cyprianus de Unit. eccl. p. 397 ed. Baluzii Ven. 1728 (qui locus corruptus est in textu Felli p. 78 ed. Amstelæd. 1700), « Qui cathedram Petri, inquit, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? » Hieronymus Ep. 15 n. 2 ad Damas. P. de Hypost. opp. t. 1 col. 2 ed. Vallarsii Veron., « Beatitudini tuæ, inquit, idest cathedræ Petri communione consocior. . . . quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. » Ambrosius Orat. de Obit. Satyr. fr. n. 47 p. 527 t. 6 edit. Ven. 1781, « percunctatusque ex eo est, inquit, utrumnam cum Episcopis catholicis, h. e. cum Romana Ecclesia conveniret. » Eadem est sententia Irenæi contr. hæres. l. 3 c. 3 opp. t. 1 p. 175 ed. Massueti Ven. 1734, qui de Ecclesia Romana dicit hæc: « Ad hanc enim Ecclesiam, propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles. » Quem clarissimum Irenæi locum frustra convellere, ac detorquere conantur Protestantes, præsertim Fellus, Grabbius, Salmasius, quos solide refellunt Massuetus dissert. 3 in Irenæum art. 4 n. 31 et seq. t. 2 p. 108 et seq. cit. ed. Ven., Valsecchius La verita della Chiesa Cattholica Romana c. 6, et Mamachius Ep. 4 ad Febron. p. 322 seq. et p. 419 seq. Possem et alia afferre Patrum, et conciliorum quoque testimonia, quæ prope innumera sunt, nisi Institutionum brevitas impedimento esset. Nolo tamen omittere præclara

tur, tradi jubentur Waldenses in errore persistentes, juxta leg. 2 tit. 26 *Partit. VII.*

Hodie in Hispania hæretici, qui errorem abjurant, post reconciliationem, et congruam peractam pœnitentiam, in exilium mittuntur; à quo si pro lubito redierint, capite plectendi sunt, ex leg. 2 tit. 3 lib. 12 *Novis. Compil.*)

12. Hæretici, qui pœnitentia ducti, redire ad catholicam Ecclesiam velint, recipiuntur, sed primum errorem detestari, atque ejurare, fidemque catholicam profiteri debent. Atque hi quidem ab asperioribus liberantur pœnis, sed sæpe, cum ita rerum ratio postulat, perpetuo carceri addicuntur (1). At eorum, quos *relapsos* vocamus, qui scilicet plus semel in hæresim lapsi sunt, tamquam ficta habetur pœnitentia, ideoque ipsi sæculari judici traduntur, ut debitis pœnis afficiantur (2). Iis tamen Pœnitentiæ, et Eucharistiæ sacramenta non denegantur, si manifesta dederint pœnitentiæ argumenta.

(1) Cap. 15 de Hæret. Confer etiam Benedictum XIV, const. Eo quamvis 129 §. 11 t. 1 ejus Bullar. p. 515 edit. Rom. seu Ven. 1754.
(2) Cap. 4 eod. in 6.

13. Vetus disciplina hæreticos, qui ad Catholicam Ecclesiam veniebant, cum in hæresi nati, baptizatique fuissent, ab illis distinguebat, qui ad eam redibant, cum baptizati, et educati in fide catholica fuissent, ac postea descivissent (1). Illi enim non per pœnitentiam solum, sed per manuum etiam impositionem, ac si in hæresi uncti non fuisset, etiam per sacri chrismatis unctionem recipiebantur (2). Quamquam enim baptismus valide collatus haberetur, tamen suspensa videbatur manere charitas, quæ in sola Ecclesiæ unitate habetur, donec ad catholicæ Matris sinum accederent. Contra qui primum catholici, deinceps hæretici fuerant, excipiebantur per pœnitentiam, quæ brevior, longiorve erat, pro ratione rerum, ac temporum disciplina (3).

(1) Confer S. Augustinum Ep. 93 ad Vincent. Episc. c. 13 opp. t. 2 col. 255 ed. Maurin. Ven. 1729, et l. 2 contra Crescon. Donat. c. 16 t. 9 col. 419 cit. ed.
(2) Vide Petrum de Marca in can. 28 Concil. Claromont.
(3) Concilium Eliberitanum can. 12 apud Labbæum Conc. t. 1 col. 995, hos hæreticos decem annos agere pœnitentiam voluit; Concilium Agathense can. 60 t. 5 col. 530, tempus hoc contraxit ad annos tres; Concilium Epaonense can. 29 t. 5 col. 718, etiam tertio anno pœnitentiam mitigavit. Plura ea de re habet Binghamus Orig. eccles. l. 16 cap. 6 §. 16 et 17 t. 7 p. 302 et seq. edit. Halæ Magdeburg, 1761.

TITULUS V.

DE SCHISMATE.

1. SCHISMA QUID?—2. AN SCHISMATICI SINT HÆRETICI?—3. QUOTUPLEX SCHISMA?—4. SCHISMATICORUM PŒNÆ.

1.

Schisma etiam Græcum nomen est, quod latine *scissuram*, ac *divisionem* significat. Schismatici sunt, qui se ab unitate separant Ecclesiæ Catholicæ, quæ in eo est posita, ut plures Ecclesiæ particulares, tamquam plura membra, sub uno omnium Capite, unum corpus efficiant. Cum autem hujus unitatis centrum sit Summus Pontifex, nec sine hoc centro, in quo omnes particulares Ecclesiæ copulantur, una ex cunctis Ecclesia effici possit, facile intelligitur, Ecclesiæ unitatem abrumpere, ideoque esse schismaticos, qui à Romano Pontifice discessionem faciunt (1). Nam qui discedunt à centro, in quo unitas existit, ii profecto ab unitate discedunt; nec cum Ecclesia conjuncti esse possunt, qui ab ejus capite disjuncti, ac dissociati sunt. Itaque schismatici sunt Græci, qui sub Patriarcha Constantinopolitano in Turcarum imperio vitam agunt (2); Ultrajectenses (3), ceteri, qui divisi sunt à Sede Romana, et à capite Ecclesiæ, centroque unitatis.

(1) « Diserte Cyprianus de Unit. eccl. p. 397 ed. Baluzii Ven. 1728 (qui locus corruptus est in textu Felli p. 78 ed. Amstelæd. 1700), « Qui cathedram Petri, inquit, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? » Hieronymus Ep. 15 n. 2 ad Damas. P. de Hypost. opp. t. 1 col. 2 ed. Vallarsii Veron., « Beatitudini tuæ, inquit, idest cathedræ Petri communione consocior. . . . quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. » Ambrosius Orat. de Obit. Satyr. fr. n. 47 p. 527 t. 6 edit. Ven. 1781, « percunctatusque ex eo est, inquit, utrumnam cum Episcopis catholicis, h. e. cum Romana Ecclesia conveniret. » Eadem est sententia Irenæi contr. hæres. l. 3 c. 3 opp. t. 1 p. 175 ed. Massueti Ven. 1734, qui de Ecclesia Romana dicit hæc: « Ad hanc enim Ecclesiam, propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles. » Quem clarissimum Irenæi locum frustra convellere, ac detorquere conantur Protestantes, præsertim Fellus, Grabbius, Salmasius, quos solide refellunt Massuetus dissert. 3 in Irenæum art. 4 n. 31 et seq. t. 2 p. 108 et seq. cit. ed. Ven., Valsecchius La verita della Chiesa Cattholica Romana c. 6, et Mamachius Ep. 4 ad Febron. p. 322 seq. et p. 419 seq. Possem et alia afferre Patrum, et conciliorum quoque testimonia, quæ prope innumera sunt, nisi Institutionum brevitas impedimento esset. Nolo tamen omittere præclara

quædam ea de re Gallicanæ Ecclesiæ testimonia. «Il ne faut, inquit Bossuetius Instruct. sur les promesses faites à l' Eglise p. 96 Paris. 1700, que un peu de bon sens, et de bonne foi, pour avouer, que l' Eglise Chretienne à eu dès son origine, pour une marque de son unité, la communion avec la Chaire de S. Pierre, dans la quelle tous les autres Sièges ont gardé l' unité, *in qua sola unitas ab omnibus servaretur:* en sorte qu' en y demeurant, comme nous faisons, nous sommes le corps, qui a vu tomber à droit, et a gauche ceux, qui se sont separès eux mémes.» Episcopus Bononiensis Docum. pastor. 1724. «Il ne me reste, inquit, mes très cheres freres, qu' à vous exhorter de ne vous ecarter jamais de la foi de l' Eglise de Rome C' est par l' union au Sainte Siège Apostolique, que l' Eglise est une.» Et Cardinalis de Bissy in Docum. pastor. 14 Juin 1728, «L' eglise de Rome, inquit, que Jesus Christ a établie la tête d' un corps, qui doit toujours etre un, et qui ne peut toutefois conserver son unité, qu' en demeurant uni avec elle...» Alia bene multa ea de re Gallicanæ Ecclesiæ testimonia collegit Auctor operis, cui titulus *de Romani Pontificis auctoritate Ecclesiæ Gallicanæ doctrina* l. 1 c. 3 §. 2 et 3. Egregiè totum hoc argumentum persequitur Auctor tractatus *de schismate* qui primum Gallice editus est, deinde Italice redditus, prodiit anno 1718 sine loco. Illud postremo animadvertam, adeo necessariam semper habitam fuisse omnium Ecclesiarum cum Romana Ecclesia communionem, et conjunctionem, ut cuncti Episcopi eam præseferre, atque omnibus testatam facere voluerint. Ea de causa in Concilio Nicæno statutum est, ut in literis formatis, quæ catholicam communionem ostendebant, non solum describeretur prima litera nominis trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis, sed etiam prima litera nominis Petri, ut ita communio cum unitatis centro Romana Ecclesia designaretur, uti ostendit Baronius ad an. 325 p. 143 t. 4 ed Lucæ. Hinc etiam, ut recte est observatum à Cl. Zaccaria de Reb. ad histor. atque antiq. eccles. pert. diss. 12 c. 3 §. 5 p. 251 ed. Fulgin. 1781, sæculo XI. catholici Episcopi, ut à schismaticis distinguerentur, sese *Apostolicæ Sedis gratia* Episcopos appellabant. Hæc quidem formula his concepta verbis, qua nunc etiam Catholici Episcopi utuntur, haud usurpari primum cœpit sæculo XIII., ut Thomassinus Vet. et nov. eccles. discipl. par. 1 l. 1 c. 60 n. 9, Patres Maurini, de arte diplomatica t. 4 p. 591 not. 1, aliique existimant; sed etiam sæculis XI, et XII. in usu erat, quod certissimis allatis monumentis ostendit Zaccaria l. c. c. 2 p. 235 et seq. Quin etiam multo ante hoc tempus S. Leo M. Anatolium sua, hoc est, *Apostolicæ Sedis gratia*, Constantinopolitanum Episcopum constitutum affirmat, uti sapienter est animadversum à Cl. Mamachio ad auctor. oper. *Quid est Papa?* Ep. 5 §. 1 t. 1 p. 251 ad 256, quo loco graviter, nervoseque ostenditur, quam merito ab Episcopis, præsertim occidentis, ea formula adhibenda sit.

(2) Adversus schisma Græcorum late scripserunt Emmanuel Coleca l. 4 contr. Græcos; Jos. Stegmannus: *Refutatio errorum Photianorum;* Michael Nau: *Ecclesiæ Romanæ Græcæque vera effigies etc.* Paris. 1680; Stephanus de Altimura, quo nomine latet P. Le Quientus, *Panoplia contra schisma Græc.* Paris. 1718.

(3) Confer *Historiam de Rebus Ecclesiæ Ultrajectensis, à tempore mutatæ religionis in Fæd. Belgio, monumentis authenticis roboratam, variisque dissertationibus illustratam: Coloniæ Agrippinæ* 1725; Cornelium Paulum Hoynck van Papendreeth *Historia Ecclesiæ Ultrajectinæ, à tempore mutatæ Religionis in Fœderato Belgio, in qua ostenditur, ordinaria Sedis Archiepiscopalis, et Capituli jura intercidisse, Mechliniæ* 1725; et Aloysium Mozzium *Storia della rivoluzioni della Chiesa di Utreth*, Venezia 1787. Hoc quoque argumentum pari cum laude tractavit Laurentius Veith in libro *de Gemina delectatione*, edito Augustæ Vind. 1785 sect. 2 art. 2 p. 100 seq. Videndæ autem in primis sunt literæ tres, plenæ gravitatis, veritatis, auctoritatis, dignitatis, quas Optimus, Sapientissimusque Pontifex PIUS VI. an. 1778 et 1779 dedit ad Fœderati Belgii Catholicos, adversus schismaticos Episcopos Ultrajectenses, quasque describit Mozzius cit. hist. p. 203 et seq. t. 5.

2. Schismatici proprie hæretici non sunt, quoniam integram relinquunt Ecclesiæ doctrinam (1); at nullum schisma est, si diu stet, quod in hæresim non recidat, quoniam qui in illo pervicaci animo perseverat, Ecclesiæ auctoritatem contemnit, ipsaque pertinacia schismatici profitentur, quod catholicæ Ecclesiæ doctrina non patitur, extra Ecclesiæ unitatem salutem dari (2). Quin omnes schismatici sibi aliquod dogma confingere solent, ut justas suæ discessionis causas habere videantur (3).

(1) Can. 43 de Caus. 23 qu. 5.

(2) Nostro hoc sæculo Tillotsonus, Saurinus, Bolingbrokius, Jurieus, Marchio de Argens, ceteri similes ausi sunt defendere, quod hæretici, et schismatici extra Ecclesiæ unitatem non sint, atque æternam salutem consequi possint. Institutionum brevitas haud patitur, me longo sermone immorari in eorum commentis refutandis, quod post Bossuetium, aliosque complures catholicos, scriptores, egregie præstitit Valsecchius *La verita della Chiesa Cattolica Romana*, c. 8. Vide etiam Lupolum Prælect. jur. Eccles. c. 6 §. 3 et seq.

(3) S. Hieronymus in c. 3. Ep. ad Titum opp. t. 7 col. 758 ed. Vallarsii Veronæ.

3. Est autem schisma vel internum, vel externum. Interni schismatis reus est, qui à propria Ecclesia injuste discedit, in eaque turbas excitat, et cœtus conflat, qui in diversa studia rapiantur. Externum schisma est, ubi particulares Ecclesiæ, quæ mutuis fœderibus nexæ, et jugatæ sunt, exortis dissidiis dissociantur, neque amplius unam majorem Ecclesiam conficiunt, sed tot existunt particulares cœtus, quot sunt ecclesiæ inter se dissidentes. Atque hoc quidem schisma particulare est, cum particulares Ecclesiæ inter se tantum dissociatæ sunt, sed tamen cum universali Ecclesia communionem, ac societatem retinent. Nam universale schisma est, cum aliqua Ecclesia, vel aliqui Christiani à catholicæ Ecclesiæ universitate discedunt.

4. Schismatici, qui ab universali Ecclesia discessionem faciunt, iisdem prope pœnis, quibus hæretici, afficiuntur. Quamquam enim schisma sine hæresi esse possit, tamen eam plerumque conjunctam habet, autin eamdem erumpit. At qui à sua Ec-

clesia, suoque Episcopo injuste separantur, si clerici sint, deponuntur, si laïci, extra Ecclesiam projiciuntur (1). Quod si Episcopus in pietate peccet, atque hæresis, apostasiæ, schismatis reus sit, recte se Christiani à peccatore præposito separabunt (2).

(1) Canon Apostolorum 32 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1. p. 440 ed. cit. Clericus schismatis reus, etiam pœna excommunicationis plectitur in can. 45 caus 23 qu. 5.

(2) Plebs, inquit Cyprianus Ep. 67 al 68 p. 288 ed. Amstelæd. 1700, *obsequens Prælatis Dominicis, et Deum metuens, à peccatore Præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere.*

TITULUS VI.

DE VETITA TOLERANTIA HOSTIUM RELIGIONIS.

1. OMNES A CATHOLICA VERITATE DISSENTIENTES, INTER CATHOLICOS NON TOLERANDI.—2. AD 4. QUOD ECCLESIA, QUID PRINCEPS SÆCULARIS IN HOC GENUS HOMINUM AGERE DEBEAT?—5. NE RECTA QUIDEM RATIO SINIT, INTER CATHOLICOS VERSARI HOS HOMINES, QUI A VERITATE ABHORRENT.—6. NULLA HIS HOMINIBUS JUSTA ERRORIS EXCUSATIO EST.—7. QUANDO, ET QUOMODO HI HOMINES TOLERARI POSSINT?

1.

Ne catholicorum animi inficiantur erroribus, pravisque opinionibus, et factis eorum, quibus aliena à veritate sententia, et religio est, recte, et sapienter Ecclesia constituit, ut hi homines procul à catholicorum societate, et consortio expellantur (1). Horum autem multiplex genus est. Nam alii sunt, qui Deum prorsus tollunt, aut qui ociosum fingunt, et nihil solicitum rerum humanarum Deum; alii, qui rerum omnium effectorem faciunt, quod creatum est; sunt denique apostatæ, hæretici, schismatici. Hi ut inter catholicos maneant, ferendum non est.

(1) Vetus est error Apellis, ut testatur Eusebius *Histor.* l. 5. c. 13. p. 226 ed. Valesii Cantabrig. 1720, ajentis, fidei rationem non esse quærendam, quia si omnes in Christum credunt, atque in eo spem suam ponunt, ad eamdem Ecclesiam pertinent, etiamsi fortasse in aliis rebus dissentiant; quem errorem et Georgius Cassander Bellarmini ætate, ut ipse testatur de Laicis L. 3. c. 19. opp. t. 2. p. 272 ed. Ven. 1721, excitavit. Donatistæ, Augustini ætate, adversus catholicos contendebant, hæreticos esse tolerandos, non autem coercendos pœnis, sive temporalibus, sive spiritualibus; quod ipse Augustinus ostendit contr. ep. Parmenian. l. 1. c. 8. opp. t. 9. col. 19. et contr. ep. Petilian. l. 2 c. 10 t. 9 col. 225 ed. Ven. 1733. Errorem hunc integrarunt Joannes Wicleffus, Joannes Hussius, Lutherus, Raymundus Lullus, Lælius Soccinus, Gerardus Titius, Zimmermannus, Claudius, Jurieus, et omnes fere Protestantes. In eodem luto hæsitarunt Auctor literarum Judaicarum, Persarum, Turcicarum, Peruvianarum, Auctor operis «Essai sur la liberté de produire ses sentimens,» Auctor de *Meurs*, Auctor de *l' Esprit*, Voltairius «Traité ser la tolerance,» Montesquieu *Esprit des loix* lib. 25 chap. 9 et 10, Alembertus «Defense de l' esprit des loix,» v. *tolerance*. Novissime hæreticos et theologice, et civiliter tolerandos esse, contendunt Bartholinus à S. Paulo Heremita Monachus, Leopoldus ab Hay, Episcopus Gradecii Reginæ, vulgo *Konisgratz*, quem solide Josephus M. Isotta opusculo Vercellis edito an. 1788, *Della tolleranza Christiana*, Tamburinius, quem Bartolomeus Cuccagnius peculiari opere refutavit. Ex ipsis Protestantibus, qui saniores sunt, ultro fatentur, atque ostendunt, nullo modo tolerandos esse, sed pœnis esse coercendos, atque expellendos illos, qui Deum negant, aut qui eum nullam omnino habere censent rerum humanarum procurationem, quæ monstra opinionum ipsi quoque civili reipublicæ maxime perniciosa esse, docet Cicero *de Natur. Deor.* l. 1 n. 2 et seq. opp. t. 2 p. 501 et seq. ed. Genevæ 1743. Ex eorum numero sunt Grotius de Jur. bel. et pac. l. 2 c. 20 §. 46, Puffendorfius de offic. homin. et civ. l. 1 c. 4 §. 2, et de Jur. natur. et gent. l. 3 c. 4 §. 4, Wolfius, Thomasius, Bohemerus, Schmidius, aliique complures, quos Jo. Albertus Fabricius laudat, et sequitur duobus operibus, quorum alteri titulus est: *Delectus argumentorum, et syllabus scriptorum, qui veritatem religionis Christianæ asseruerunt*, cap. 14; alteri vero *salutaris lux Evangelii*, cap. 26; item auctor Epistolæ *super tolerantia*, quæ Leckio tribuitur, quamque describit Clericus Bibliot. univers. t. 15. Nostris vero Catholicis certum, fixumque est, tolerandos non esse homines à catholica veritate alienos, eosque meritis quoque pœnis esse coercendos; atque id late demostrant Suarezius de Fide Sess. 3 disp. 20 per tot., Bellarminus de Laicis l. 3 c. 21 et 22 opp. t. 2 p. 276 ed. Ven. 1721, Roffensis art. 33 contr. Luther., de Castro de Just. hæret. punit. l. 2, Jacobus Pamelius de Relig. diversitatibus non admittendis, Valsecchius «Dei fondamenti della religione è dei fonti dell' empietà,» l. 3 p. 1 c. 16; et «La verità della Chiesa Cattolica Romana» c. 3 §. 11 seq., Papinus «Du tolerantisme,» Gouchatus Lettr. critiq. let. 126 ad 116, Nonnottus *L' ésprit de Voltaire dans ses ecrits*, chap. 10 Observ. sur la tollerance, Lupolus Prælect. jur. eccl. l. 3 c. 5. §. 19, Emmanuel de Itturriaga, *Lettera di M... al Vescovo di Konisgratz*, et in ejus apologia, cui titulus: *Il sistema della tolleranza*, Joannes Damianus, Vaccensis Archidiaconus, *justa religionis coactio*, Auctor operis Friburgi editi an. 1785, cui titulus: «La tolerance Chrêtienne opposée au tolerantisme philosophique, ou lettres d' un patriote ou soi disant curé sur son dialogue au sujet des protestans.» Videnda est etiam «Apologie de Louis XIV. et de son conseil sur la revocation de l' édit de Nantes, pour servir de reponse à la letre d' un patriote sur la tolerance civ. des protestans de France;» præterea videndum est *Diarium ecclesiasticum Rom.* t. 1 p. 131 et 147, et t. 2 p. 53, 57, 61, 65. Præclare Bossuetus, qui totum hoc argumentum late persequitur contra Jurieum, *Histoir. desvariat.*; ubi, avertissem. dernière part. t. 5 p. 155 seqq. ed. Par. 1770, inquit n. 115 p. 311: «On voit clairement, que ce qui rend cette Eglise si odieuse aux Protestans, c' est principalement, et plus que tous les autres dogmes, sa sainte, et inflexible incompatibilité, si on peut parler de cette sorte; c' est qu' elle veut être seule, parce qu' elle se croit l' épouse; titre, qui ne souffre point de partage... Car c' est en effet ce qui la rend si sévere, si insociable, et ensuite si odieuse à toutes les sectes séparées, qui la plupart au commen-

cement, ne demandoient autre chose, si non qu' elle voulût bien les tolérer, ou du moins ne le pas frapper de ses anathèmes. Mais sa sainte sévérité, et la sainte délicatesse de ses sentimens, ne lui permettoit pas cette indulgence, ou plutôt cette mollesse; et son inflexibilité, qui la fait haïr par les sectes schismatiques, la rend chere, et vénérable aux enfans de Dieu.»

2. Porro Ecclesiæ est curare diligenter, ut fidei depositum integrum conservetur, ut unitas fidei, et charitatis, ideoque et veritatis à nemine abrumpatur; ut procul sit omnis error, et cuncta removeantur, quæ veritati obesse, atque ab ea Christianos abstrahere possunt (1). Quare ejus omnino proprium est officium, atque munus, tum procul ejicere, tum pœnis coercere omnes (2), qui cum à catholica veritate dissentiant, alios corrumpere, fidemque infuscare possunt exemplo, impunitate, licentia, mali contagione, quæ ab uno profecta manat latius. Imo hæc agendi ratio non iis tantum prodest, qui integra fide sunt, à quibus omne removetur periculum depravationis, sed etiam iis, qui in errore versantur, quibus sæpe Ecclesiæ judicium, et justa coercitio salutem attulit (3).

(1) «Igitur scintilla statim ut apparuerit, inquit Hieronymus Comment. in Ep. ad Galatas c. 5 vers. 9 opp. t. 7 col. 499 ed. Vallarsii Veron., extinguenda est, et frumentum à massæ vicinia semovendum, secandæ putridæ carnes, et scabiosum animal à caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est.» S. Ambrosius de Fid. ad Gratian c. 6 opp. t. 5 p. 511 ed. Ven. 1781 dicit hæc: «Hæresis, velut quædam hydra fabularum, vulneribus suis crevit, et dum sæpe reciditur, pullulat, igni debita, incendioque peritura.»

(2) «Cur ergo non cogeret Ecclesia, inquit Augustinus Ep. 185 ad Bonifac. c. 6 opp. t. 2 col. 652 ed. Ven. cit., perditos filios, ut redirent, si perditi filii cogerunt alios, ut perirent?» Hieronymus ad Ripar. contr. Vigilant. Ep. 109 n. 3 col. 721 t. 1 ed. Veron. cit., «Non est crudelitas, inquit, crimina pro Deo punire; sed pietas.»

(3) Confer Augustinum cit. Ep. ad. Bonifac., ubi late hæreticos repellendos, coercendosque esse demonstrat; et si aliud ali quando senserat, sic scribit in *Retract.* l. 2 c. 5 opp. t. 1. col. 43 ed. cit.: «Sunt duo libri mei contra partem Donati, in quorum primo dixi, non mihi placere, ullius sæcularis potestatis impetu schismaticos ad communionem violenter arctari. Et vere tunc mihi non placebat, quia nondum expertus fueram, vel quantum mali auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre potest diligentia disciplinæ.».

3. Atque ita semper Ecclesia, Patresque omnes (1) devitari voluerunt, et cum catholicis conjunctos et consociatos esse vetuerunt omnes, qui à fidei veritate aberrarent; exemplo scilicet, et auctoritate eorum, quæ sacris libris continentur (2), quæque

ab Apostolis gesta sunt (3). Neque vero alicui vim infert Ecclesia, aut aliquem ad fidem violenter adducit, cum eos homines procul à catholicorum consociatione esse jubet, et pœnis etiam coercet. Tantum ea curat, ut erroribus non inficiantur, qui fide integra sunt, atque ut pœnis moniti, errorem noscant, et ad fidem redeant, qui ab ea discesserunt.

(1) Confer Polycarpum Ep. ad Philippen. n. 6 et 7, et Ignatium M. Ep. ad Smyrnen. n. 4 et 7, utrumque apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 2 p. 118 et 84 et 86 ed. Amstelædami 1724, Justinum M. Dialog. cum Tryphon. Jud. n. 35 p. 152 ed. Paris. 1742, Irenæum Contr. hæres. l. 4 c. 26 n. 4 opp. t. 1 p. 262 ed. Ven. 1734, Cyprianum Ep. 59 ad popul. Chartag. p. 226 et 227 ed. Amstelædami 1700, Optatum Milevitanum contr. Parmenian l. 3 c. 7 p. 64 ed. Antuerp. 1702, Hieronymum in Ep. ad Galat. c. 5 ver. 9 opp. t. 7 col. 738 ed. Vallarsii Veron., Augustinum Ep. 93 ad Vincent. et Ep. 185 opp. t. 2 col. 250 et 643 Tract. 11 sup. Joan. n. 14 t. 3 par. 2 col. 582, et contr. Ep. Parmen. l. 3 c. 6 t. 9 col. 75 ed. Ven. 1730, Ambrosium paulo ante laudatum, Leonem M. Ep. 15 ad Turib. in princ. opp. t. 1 col. 696, et Serm. 69 de Passion. Dominic. c. 5 col. 271 t. 1 opp. ed. Ballerin. Ven., Gregorium M. l. 1 Ep. 74 ad Gennadium Patrit. et Exarch. Afric. opp. t. 2 col. 558 ed. Paris. 1705., Isidorum Hispal. Sent. l. 3 c. 13 p. 670 ed. Paris. 1601, Pelagium I. Ep. 2, 3, et 4, ad Narset. apud Labbæum conc. t. 6 col. 468 ed. Ven., Bernardum Serm. 66 in cantic. n. 12 opp. t. 4 p. 341 ed. Ven. 1765, Thomam Aquin. 2. 2 qu. 10 art. 8, et qu. 11 art. 3. Vide etiam quæ de Samosatensi, deque Alexandrina Ecclesia adversus Arianos gesta memorant Theodoretus Histor. l. 4 c. 15 p. 165 ed. Valesii Cantabrig. 1720, quæque Athanasius in Vita n. 68 p. 677 opp t. 2 ed. Patav., tradit de Antonio, qui scilicet «neque cum Meletianis schismaticis quidquam habuit commercii. . . neque cum Manichæis, aliisque hæreticis amice contulit unquam. . . Existimabat enim, adserebat, amicitiam horum, et consuetudinem, animæ perniciem, atque interitum esse;» quæ denique ab omnibus generatim Episcopis contra hæreticos fieri consuevisse testatur Eusebius Hist. l. 4 c. 24 p. 160 ed. Taurin. 1746. Similia pene sunt, quæ de Paphnutio memoriæ prodidit Sozomenus Hist. l. 2 c. 25 p. 81 ed. Cantabrig. 1720.

(2) Joannes Ep. 2 vers. 10 et 11, «Si quis venit ad vos, inquit, et hanc doctrinam (Christi) non habet, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis; qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.» Paulus ad Titum III. 10: «Hæreticum hominem post unam, vel secundam correptionem devita, sciens quia perversus est;» et ad Romanos XIV, 17: «Rogo vos, fratres, ait, ut observetis eos, qui dissensiones, et offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis; per dulces enim sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium.» Idem habet ipse Paulus II. ad Timot. II. 17, et seq., II. ad Thessalonic. III. 6 et 14, et Matthæus VII. 15.

(3) Joannes Evangelista Cerinthum videns sese in balneo lavantem, statim fugit; sicuti narrat Irenæus contr. hæres. l. 3 c. 3 t 1 p. 177 ed. Ven. cit., qui et hæc addit momentosa verba: «tantum Apostoli, et eorum discipuli habuerunt timorem, ut ne verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem.» Quod etiam scriptum reliquit Eusebius Histor. l. 4 c. 14 p 161 ed. Cantabrig. 1720. Confer etiam quæ de Policarpo, Joan-

nis discipulo, scribit Hieronymus *de Vir. illustr.* c. 17 opp. t. 2 col. 845 cit. ed. Veron.

4. Sed et Princeps civili reipublicæ præpositus, catholicæ religionis hostes expellere, pœnisque coercere debet (1). Nam ejus est tueri veritatem, curare diligenter, ut ea semper integra sit, removere omnia, quæ alios abstrahere ab hac veritate possunt, quæque hominum erga Deum officiis adversantur. Quare cum quis ab Ecclesia veræ religionis inimicus judicatus est, debet omnino Princeps omni ope, et opera enili, ut arceatur contagio sceleris, quo tota respublica corrumpi, et contaminari potest (2). Accedunt dissidia, seditiones, confusio, et perturbatio rerum, cetera mala, quæ, ut plurimum, existunt propter consociationem eorum, quibus in odio veritas est (3); horum vero malorum vel ipse metus, atque periculum ad omnem eorum causam removendam solicitat eum, cui publica salus, atque tranquillitas commissa est.

(1) Duplex distinguitur tolerantia, altera, quæ ecclesiastica, altera, quæ civilis dicitur. Ecclesiastica tolerantia est, cum quis omnes hæreticos vera Ecclesiæ membra, et veros filios agnoscit, civilis autem, cum omnibus sectis libere suæ religionis cultus, impunitasque conceditur. Recte autem est animadversum à Bossueto Histoire des Variat. avertissem. sixiem. sur les let. de M. Jurieu dern. part. n. 11 t. 5 p. 165 ed. Paris. 1770, quod eorum, qui civilem tolerantiam defendunt, hoc consilium, hoc propositum est, ut ecclesiasticam quoque tolerantiam confirment, interque catholicam, ceterasque religiones nullum discrimen faciant. «Si on se déclaroit, inquit ille, ouvertement pour la tolerance ecclesiastique, c'est-a-dire, qu'on reconnût tous les hérétiques por vrais membres, et vrais enfans de l'Eglise, on marqueroit trop évidemment l' indifférence des Religions. On fait donc semblant de se renfermer dans la tolérance civile... Leur dessein véritable est de cacher l' indifference des religions sous l' apparence miséricordieuse de la tolerance civile.

(2) Egregie S. Augustinus Tract. 11 in Joan. ad n. 14 opp. t. 3 par. 2 col. 582 cit. ed. Ven., «Mirantur autem, inquit, quia commoventur Potestates Christianæ adversus detestandos dissipatores Ecclesiæ. Si non ergo moverentur, quomodo redderent rationem de imperio suo Deo? Intendat charitas vestra, quid dicam; quia hoc pertinet ad Reges sæculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam habere, unde spiritualiter nati sunt... Talia facere volunt (hæretici) et saltem talia pati nolunt. Nam videte, qualia faciunt, et qualia patiuntur; occidant animas, affligantur in corpore; sempiternas mortes faciunt, et temporales se perpeti conqueruntur.» S. Leo M. ad Turib. Ep. 15 in princ. t. 1 col. 696 ed. Ballerin. dicit hæc: «Merito Patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit per totum mundum, instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur, quando etiam Principes mundi hanc sacrilegam amentiam ita detestati sunt, ut auctorem ejus, et plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent, et profuit diu ista districtio ecclesiasticæ lenitatis, quæ, etsi sacerdotali contenta judicio, cruentas refugit ultiones,

severis tamen Christianorum Principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium.» Idem habet S. Isidorus Hispalensis de Summo bono seu Sentent. l. 3 c. 51 p. 686 ed. Paris. 1601, cujus hæc verba sunt: «Sæpe per regnum terrenum cæleste regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem, et disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, et ut venerationem mereatur, virtutem potestatis impertiat.» S. Gregorius M. l. 1 Ep. 74 opp. t. 2 col. 553 ed. Paris. 1705, vehemementer laudat Gennadium Patritium, et Exarcham Africæ, quod magno studio hæreticos armis persequeretur: «Cognovimus, inquit, eos contra catholicam Ecclesiam, Domino eis adversante, colla subrigere, et fidem velle Christiani nominis inclinare, sed Eminentia vestra conatus eorum comprimat, et superbas eorum cervices jugo rectitudinis premat.» Mitto cetera Patrum testimonia, quæ multa sunt; tantum seligam quædam ex iis, quæ à civili potestate adversus hæreticos gesta sunt. Constantinus M. in exilium pepulit Arium à Nicæno Concilio damnatum, teste Sozomeno Histor. l. 1 c. 20 p. 38 ed. Cantabrig. 1720, idem Donatistas in campum educi, ac trucidari mandavit, ut testatur Augustinus contr. Ep. Parmen. l. 1 c. 8 opp. t. 9 col. 19 ed. cit., qui recte id factum affirmat, eumdemque adversus hæreticos severissimas tulisse leges, scribit Eusebius In ejus vit. l. 3 c. 64 p. 620 ed. Cantabrig. 1720. Justinianus omnes hæreticos procul ab imperio expelli voluit, ut tradit Auctor Hist. Miscell. l. 16 apud Muratorium Rer. Ital. Script. t. 1 p. 104 Mediolan. 1723 Priscillianus hæreticus cum sociis ab Evodio Præfecto, jussu Maximi Imperatoris; interfectus est, probante Hieronymo ad Ctesiphont. Ep. 133 c. 3 opp. t. 1 col. 1025 ed. Vallarsii Veron., et Leone M. Ep. 15 ad Turrib. opp. t. 1 col. 696 ed. Ballerin Michaelem Imperatorem hæreticos capite mulctatos voluisse, scribit laudatus Auctor Hist. Misc. l. 24 p. 176. Basilium magnum, et hæreticum Romæ à catholico populo combustum fuisse, testatur Gregorius M. Dialog. l. 1 c. 4 t. 2 col. 165 ed. cit. Confer etiam L. 4, 5, 8, cod. de Hæret., L. 1 et 2 de Sum. Trinit., L. 1 et seq. de Apostat; item constitutionem Friderici II. Imp., quæ integr. adscribitur ab Innocentio Cironio in V. Comp. decretal., et cujus fragmenta extant in Auth. Si vero et Auth. Credentes c. eod., præterea quæ de Alexio Comneno Imp. memoriæ prodidit Zonaras in ejus vita n. 23 in Byzantina Hist. collect. ed. Paris. 1687 p. 301, de sui vero temporis disciplina S. Bernardus in cantic. serm. 66 opp. t. 4 ed. Ven. 1765 p. 341.

(2) Quantum mali civili reipublicæ attulerint Ariani, Donatistæ, Manichæi, Wiclephitæ, Hussitæ, Anabaptistæ, Lutherani, Calviniani, generatim omnes hæretici, satis ex historiis compertum est. Quod etiam ostendit Auctor libri editi an. 1787, cui titulus: «Discours à lire au Conseil en presence du Roi par un ministre patriote, sur le projet d' accorder l' etat civil aux Protestants.» Ipse Petrus Bayleus multa dat argumenta in Commentar. Philos. ad illa verba, *Compelle intrare*, ut conficiat, puniendos esse atheos, et hæreticos, qui morum regulas corrumpunt, qui turbas in republica excitant, qui ministris injuriam irrogant, qui malæ fidei sunt, qui societati inferunt detrimentum. Ex quibus omnes pœnas à catholicis contra hæreticos constitutas vindicari, late, ac nervose ostendit Gauchatus loc. cit. let. 141. Confer etiam Bossuetium *Hist. Variat.* l. 10 c. 36.

* Stabilitam hic à Cl. Auctore doctrinam quam sapienter propugnat celeberrimus præsentis ætatis Scriptor, J. Balmes, alibi laudato eximio opere:

« El Protestantismo comparado con el Catolicismo, en sus relaciones con la civilizacion europea; » capp. 24 et 25, et respondenti not. 9 secundi voluminis, ubi ista de re ex professo tractat.

Quid, ac quo jure, de proposito in Hispania à Gotthorum tempore ad XVI usque sæculum actum fuerit, exponit G. Cardillus Villalpandeus *Commentario* de Tolet. Conciliis, cap. 37.

Consul. *Fori Judicum* lib. 12; tit. 1 et 2 *Fori Reg.*; leg. 3 tit. 3 *Partitæ I*, tit. 24, 25, 26 *Partitæ VII*; *Novissimæ Compilationis* leg. 1 tit. 1 lib. 1 (1 nempe ejusd. tit. ac lib. *Ordinam. Reg.*); necnon ipsius recentissimi cod. tit. 1, 2, 3 lib. 12; Constit. polit. Hisp. an. 1812 art. 12; Concordat. 1851 art. 1 et 3 (t. 1 pagg. 5, 6).»

5. Quin etiam recta ratio non sinit, nobiscum versari homines, qui abhorrentes à veritate sententias sequuntur. Nam ex ea cognitum, comprehensumque animis habemus, esse dominatorem, et effectorem omnium, cuncta nutu regentem, præsentem, immortalem, ac præpotentem Deum, quem eo, quo decet, cultu prosequi debemus, et à quo quidquid credendum accepimus, veritatis habendum loco est. Non enim ipse falli, aut fallere quemquam potest. Quisquis igitur ab iis dissidet, quæ à Deo tradita, patefacta hominibus sunt, impius est, et veritati resistit; nec recta ratio errorem cum veritate confundi sinit, et cum iis, qui veritati adhærent, turmatim, atque commixtim vivere, qui alios deducere à veritate possunt (1).

(1) Pulchre Victorius Maria Costa de Arignano, Cardinalis, et Archiepiscopus Taurinensis, in egregia Synodo Diœcesana, quam nuper evulgavit, c. 2 p. 33, «Neque enim hominum societati, inquit, bene esse potest, nisi homines secundum rectam rationem vivant. Quid autem est rectam rationem sequi, nisi Dei voluntati, qui æterna, et summa ratio est, obtemperare, et juxta eam vivere?»

6. Neque alicui justa erroris excusatio est, aut quod in veritate hæret, aut quod eam non satis exploratam habet. Nam Deus, qui homines veritatem agnoscere, et sequi voluit, certa dedit signa, quibus eadem innotesceret. Quisquis hæc signa despicit, neque sedulo in veritatem inquirit, culpa non vacat; cum iis vero, qui prave sentiunt voluntate, et pervicacia sua, quæ potest esse recte sentientibus consuetudo, societas, similitudo religionis, morum, sententiarum, ex qua conjunctio societatis existit?

7. Quod si interdum mali gravioris metus, atque periculum expelli non sinit è civitate hæreticos, ceterosque similes, licet exlegi necessitati morem gerere, et obtemperare. Tunc autem hi homines in civitate retinentur; sed ita tamen retinendi sunt, ut

eorum error latius manare non possit, neque ceteri ex eorum societate detrimenti aliquid accipiant.

TITULUS VII.

DE LIBRIS IMPROBATÆ LECTIONIS.

1. QUAM GRAVE EX PRAVORUM LIBRORUM LECTIONE MALUM.—2. HORUM LIBRORUM LECTIO MERITO AB ECCLESIA VETITA.—3. CAUTIO IN EA RE HEBRÆORUM, ETHNICORUM, SECTARUM OMNIUM.—4. PRAVORUM LECTIO LIBRORUM AB ECCLESIA VETANDA EST.—5. AB ECCLESIA SPECIATIM NOTANDI SUNT LIBRI QUI LEGI NEQUEUNT. —6. DOCTRINA IN ALIQUO LIBRO AB ECCLESIA DAMNATA AB OMNIBUS DAMNANDA EST. —7. QUOMODO SUMMUS PONTIFEX PRAVOS LIBROS CONDEMNET?

1.

Non societas tantum, et consuetudo hæreticorum, eorumque omnium qui male de religione sentiunt, atque à veritate discrepant, sed etiam pravorum lectio librorum nobis vehementer obest, moresque vitiat, et à rectis vivendi, atque credendi regulis abducit. Itaque ut à perniciosa refugimus societate, ita nobis abstinendum est à pravis libris, quorum præceptis imbui legendo possumus, atque ad eorum mores consuetudinemque deduci (1). Imo gravius est, quod ex pravis libris, quam quod ex pravo sermone accipimus, detrimentum. Nam quæ legimus altius quam quæ loquendo audivimus, hærent impressa animo, et difficilius è memoria elabuntur.

(1) Adversus vetitam pravorum librorum lectionem multa scripsere Protestantes, aliique complures, quibus nulla religio est, quique ægre ferunt, eripi ex manibus hominum libros, à quibus ipsi in errorem deducantur, eorumque mores depraventur. Jacobus Laurentius an. 1719. Amstelædami dissertationem edidit *de Libris Gentilium, Judæorum, Turcarum, Patrum, Pontificiorum tolerandis, Protestantium vero prohibendis.* Daniel Francus sub disciplina Jacobi Thomasii an. 1666 exercitationem evulgavit *de Indicibus Papistarum expurgatoriis*, quam valde auctam an. 1684 iterum edidit Lipsiæ cum titulo: *Disquisitio academica de Papistarum indicibus librorum prohibitorum, et expurgatoriorum, in qua de numero, auctoribus, occasione, contentis, fine, et jure indicum illorum disseritur.* In eodem argumenti genere versati sunt Bernardus Von Sanden, cujus est *Exercitatio Theologica de indicibus librorum prohibitoriis, et expurgatoriis apud Pontificios*, Jonas Conradus Schramm, à quo edita est disputatio *de Librorum prohibitorum indicibus, horumque utilitate, et abusu*, Justus Henningius Bohemerus, cujus dissertatio *de Jure circa libros improbatæ lectionis* ad L. 4 §. 1 ff. Famil. ercisc. prodiit an. 1724. Halæ Magdeburgicæ, quam deinceps ipse Bohemerus inseruit *Juri Ecclesiastico* t. 4 l. 5 t. 7 de

« El Protestantismo comparado con el Catolicismo, en sus relaciones con la civilizacion europea; » capp. 24 et 25, et respondenti not. 9 secundi voluminis, ubi ista de re ex professo tractat.

Quid, ac quo jure, de proposito in Hispania à Gotthorum tempore ad XVI usque sæculum actum fuerit, exponit G. Cardillus Villalpandeus *Commentario* de Tolet. Conciliis, cap. 37.

Consul. *Fori Judicum* lib. 12; tit. 1 et 2 *Fori Reg.*; leg. 3 tit. 3 *Partitæ I*, tit. 24, 25, 26 *Partitæ VII*; *Novissimæ Compilationis* leg. 1 tit. 1 lib. 1 (1 nempe ejusd. tit. ac lib. *Ordinam. Reg.*); necnon ipsius recentissimi cod. tit. 1, 2, 3 lib. 12; Constit. polit. Hisp. an. 1812 art. 12; Concordat. 1851 art. 1 et 3 (t. 1 pagg. 5, 6).»

5. Quin etiam recta ratio non sinit, nobiscum versari homines, qui abhorrentes à veritate sententias sequuntur. Nam ex ea cognitum, comprehensumque animis habemus, esse dominatorem, et effectorem omnium, cuncta nutu regentem, præsentem, immortalem, ac præpotentem Deum, quem eo, quo decet, cultu prosequi debemus, et à quo quidquid credendum accepimus, veritatis habendum loco est. Non enim ipse falli, aut fallere quemquam potest. Quisquis igitur ab iis dissidet, quæ à Deo tradita, patefacta hominibus sunt, impius est, et veritati resistit; nec recta ratio errorem cum veritate confundi sinit, et cum iis, qui veritati adhærent, turmatim, atque commixtim vivere, qui alios deducere à veritate possunt (1).

(1) Pulchre Victorius Maria Costa de Arignano, Cardinalis, et Archiepiscopus Taurinensis, in egregia Synodo Diœcesana, quam nuper evulgavit, c. 2 p. 33, «Neque enim hominum societati, inquit, bene esse potest, nisi homines secundum rectam rationem vivant. Quid autem est rectam rationem sequi, nisi Dei voluntati, qui æterna, et summa ratio est, obtemperare, et juxta eam vivere?»

6. Neque alicui justa erroris excusatio est, aut quod in veritate hæret, aut quod eam non satis exploratam habet. Nam Deus, qui homines veritatem agnoscere, et sequi voluit, certa dedit signa, quibus eadem innotesceret. Quisquis hæc signa despicit, neque sedulo in veritatem inquirit, culpa non vacat; cum iis vero, qui prave sentiunt voluntate, et pervicacia sua, quæ potest esse recte sentientibus consuetudo, societas, similitudo religionis, morum, sententiarum, ex qua conjunctio societatis existit?

7. Quod si interdum mali gravioris metus, atque periculum expelli non sinit è civitate hæreticos, ceterosque similes, licet exlegi necessitati morem gerere, et obtemperare. Tunc autem hi homines in civitate retinentur; sed ita tamen retinendi sunt, ut

eorum error latius manare non possit, neque ceteri ex eorum societate detrimenti aliquid accipiant.

TITULUS VII.

DE LIBRIS IMPROBATÆ LECTIONIS.

1. QUAM GRAVE EX PRAVORUM LIBRORUM LECTIONE MALUM.—2. HORUM LIBRORUM LECTIO MERITO AB ECCLESIA VETITA.—3. CAUTIO IN EA RE HEBRÆORUM, ETHNICORUM, SECTARUM OMNIUM.—4. PRAVORUM LECTIO LIBRORUM AB ECCLESIA VETANDA EST.—5. AB ECCLESIA SPECIATIM NOTANDI SUNT LIBRI QUI LEGI NEQUEUNT. —6. DOCTRINA IN ALIQUO LIBRO AB ECCLESIA DAMNATA AB OMNIBUS DAMNANDA EST. —7. QUOMODO SUMMUS PONTIFEX PRAVOS LIBROS CONDEMNET?

1.

Non societas tantum, et consuetudo hæreticorum, eorumque omnium qui male de religione sentiunt, atque à veritate discrepant, sed etiam pravorum lectio librorum nobis vehementer obest, moresque vitiat, et à rectis vivendi, atque credendi regulis abducit. Itaque ut à perniciosa refugimus societate, ita nobis abstinendum est à pravis libris, quorum præceptis imbui legendo possumus, atque ad eorum mores consuetudinemque deduci (1). Imo gravius est, quod ex pravis libris, quam quod ex pravo sermone accipimus, detrimentum. Nam quæ legimus altius quam quæ loquendo audivimus, hærent impressa animo, et difficilius è memoria elabuntur.

(1) Adversus vetitam pravorum librorum lectionem multa scripsere Protestantes, aliique complures, quibus nulla religio est, quique ægre ferunt, eripi ex manibus hominum libros, à quibus ipsi in errorem deducantur, eorumque mores depraventur. Jacobus Laurentius an. 1719. Amstelædami dissertationem edidit *de Libris Gentilium, Judæorum, Turcarum, Patrum, Pontificiorum tolerandis, Protestantium vero prohibendis.* Daniel Francus sub disciplina Jacobi Thomasii an. 1666 exercitationem evulgavit *de Indicibus Papistarum expurgatoriis*, quam valde auctam an. 1684 iterum edidit Lipsiæ cum titulo: *Disquisitio academica de Papistarum indicibus librorum prohibitorum, et expurgatoriorum, in qua de numero, auctoribus, occasione, contentis, fine, et jure indicum illorum disseritur.* In eodem argumenti genere versati sunt Bernardus Von Sanden, cujus est *Exercitatio Theologica de indicibus librorum prohibitoriis, et expurgatoriis apud Pontificios*, Jonas Conradus Schramm, à quo edita est disputatio *de Librorum prohibitorum indicibus, horumque utilitate, et abusu*, Justus Henningius Bohemerus, cujus dissertatio *de Jure circa libros improbatæ lectionis* ad L. 4 §. 1 ff. Famil. ercisc. prodiit an. 1724. Halæ Magdeburgicæ, quam deinceps ipse Bohemerus inseruit *Juri Ecclesiastico* t. 4 l. 5 t. 7 de

Hæret. §. 67 ad 121, Christophorus Schoettgenius, qui Dresdæ evulgavit commentarios quinque, quorum tres sunt *de Indicibus librorum prohibitorum, et expurgandorum*, quartus *de Nævis literariis*, quintus *de Nævis politicis Indicum prohibitorum, et expurgatoriorum*, præterea tractatum *de Expurgatione Pontificia librorum prohibitorum* Est etiam Arnaldi opus, quod anno 1771 in Italicum sermonem conversum Venetiis prodiit, *delle Proibizioni de' libri*. In eodem luto hæsitant Voltairius, Auctor literarum Judaicarum, itemque Auctor libelli, cui titulus «Essai sur la liberté de produire ses sentimens,» aliique similes, qui bellum religioni, bonisque moribus indixerunt. Ecclesiæ potestatem vetandi lectionem pravorum librorum, præter duos Protestantes Danielem Colberum, et Andræam Kunadium, in discrimen revocare ausi sunt Paulus Sarpius, Febronius, et paucis ab hinc annis Camillus Manettus Antecessor Patavinus, cujus anno 1767 Venetiis editi «Avvertimenti politici istorici canonico-legali ai Principi Cristiani intorno all' uso della loro potestà sulle cose ecclesiastiche, è sacre;» item auctor operis *La Chiesa è la repubblica dentro i loro limiti*. Sed de pravorum librorum merito vetita lectione, deque Ecclesiæ, et Romani Pontificis in eo negotio potestate solide, graviterque disseruerunt Gabriel Putherbeus *Theotimum sive libri tres de Expurgandis malis libris*, Jacobus Gretserus *de Jure, et modo prohibendi, expurgandi, et abolendi libros hæreticos, et noxios*, qui deinceps scripsit etiam hujus operis *Supplementum*, ac denique *Epimetum seu Auctarium ad opus, et supplementum de Jure, et modo*, quæ omnia extant tom. 13 operum ipsius Gretseri, quæ anno 1734 edita sunt Ratisbonæ; Theophilus Rainaudus *Erotemata de malis ac bonis libris, deque justa, aut injusta eorumdem confixione*, quod opus descriptum est inter cetera Raynaudi opera Lugduni edita an. 1665 tom. 11. Multa etiam, et præclara eadem de re collegit Joannes Baptista Branchius in egregio opere *de Libertate Ecclesiæ* t. 3 c. 26; multa item in medium allata sunt à Mariano Ruelio Carmelita, qui Arcadico nomine Gilasci Eutelidensis edidit Saggio dell' Istoria dell' Indice Romano de' libri proibiti, atque ab Alphonso de Liguoro Episcopo *de Justa prohibitione, et abolitione librorum nocuæ lectionis*. Sed omnium copiosissime, accuratissimeque totum hoc argumentum pertractavit Cl. Zaccaria, qui primum edidit dissertationem, quæ extat t. 3 Annal. literar. Ital. l. 1 c. 13, deinceps vero anno 1777 peculiare opus, cui titulus Storia polemica delle proibizioni de' libri. Habes hoc opere uno in conspectu positum quidquid ad justam nocuorum librorum prohibitionem, Ecclesiæque, et Romani Pontificis in ea re potestatem ostendendam, atque ad hæreticorum, aliorumque similium commenta refutanda pertinet. Videndi sunt etiam Gauchatus Let. crit. t. 4 let. 41, Valsechius dei Fondamenti della Religione e dei fonti dell' empietà l. 3 par. 3 c. 3 et 4, et Cl. Mamachius ad auctor. opp. *Quid est Papa?* §. 22 t. 1 p. 304 et seq., à quibus eo de re multa sunt præclare ac solide animadversa.

2. Recte igitur, et sapienter Ecclesia, cujus est curare, ut cunctis sana religio, moresque integri sint, et omnis mali, atque erroris auferatur occasio, lectionem vetat librorum, quos rectis moribus, ac fidei integritati noxios esse animadvertit. Quin etiam ut omnis in re tam gravi damni suspicio et periculum arceatur, ne retineri quidem sinit eos libros, quos aliquis legere curiosus, atque imprudens, et à quibus infici errore potest. Qua in re

Ecclesia non tantum prospicit, et consulit saluti, atque utilitati Christianorum, sed etiam ab impetu, et furore perditorum hominum virtutes vindicat, et veritatem sanctisimæ religionis, quam si Dei filii esse volumus, venerari, diligere, vereri debemus. An non Ecclesiæ testimonio, et auctoritate tueri oportet sanctitatem, ac veritatem Religionis; an non merito censura notantur, qui eam odio habent, comtemnunt, irrident (1)?

(1) Utrumque hoc argumentum late, et egregie persequitur Zaccaria l. c. 2 Dissert. 1 c. 1, 2, 3, ubi etiam recensentur libri, quorum lectio merito improbatur.

3. Atque hic sane mos fuit Hebræorum (1), Ethnicorum (2), sectarum omnium (3), è medio tollere, atque etiam comburere libros, qui eorum religioni, bonisve moribus adversarentur. Nimirum recte omnes intelligebant, quantum religio, quantum mores, atque ipsa respublica caperet detrimenti ex lectione librorum, qui in omnium manibus impune, ac sine delectu versarentur. An non catholicis adhibenda erit cautio tam salutaris, tam necessaria, probata consensu Patrum (4), et Ecclesiæ disciplina (5), ne quis eorum abstrahatur à veritate, quæ tantum in Catholica Ecclesia est?

(1) Narrat Michael Glica 2 p. ann. p. 132 ed. Paris. 1660 in Byzant. histor. collect., qui Eusebium laudat, quod Ezechias rex libros aliquot, qui Salomoni tribuebantur, comburi jussit, ne forte populus ex eorum lectione in idolatriam raperetur. Sed quanta in librorum lectione cautio esset, et provisio Hebræorum, ostendit in primis agendi ratio, quæ in ipsis sacris Bibliis adhibebatur Nimirum adolescentes, qui nondum trigesimum ætatis annum attigerant, uti scribit Hieronymus Proœm. in commen. ad Ezech. opp. t. 5 col. 3 ed. cit., aut potius ex vigesimo anno non excesserant, uti tradit Gregorius Nazianzenus Apolog. opp. t. 1 p. 21 ed. fol. 1690, legere non sinebant Genesim, quædam Ezechielis capita, et librum Cantic., quod etiam memoriæ prodidit Origenes Prologo in Cant. opp. t. 3 p. 26 ed. Paris. 1740; *ne forte*, ut inquit Auctor librorum *de Vit. contemplativ.*, qui olim Prospero tribuebantur, nunc Juliano Pomerio adscribuntur, l. 3 c. 6 n. 6 in Append. opp. 5 Prosperi p. 55 ed. Paris. 1711, *hæc spiritualia, secundum carnem adhuc carnales acciperent, nec virtutes cogitarent, quas mulieres illæ* (quarum scilicet in iis libris mentio est) *significant, sed ipsas cogitando carnaliter deperirent*; propterea *consulto juniores legere sunt illa prohibili, quæ sicut spiritualiter accepta vivificant, ita carnaliter intelligentibus ipsa carnalis intelligentia occasiones carnalis concupiscentiæ subministrat.*

(2) Abderitem Protagoram, quod in principio libri sui sic posuerat, *de Diis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere*, Atheniensium jussu urbe, atque agro exterminatum fuisse, librosque ejus in concione combustos, scribunt Cicero de Natur. Deor. l. 1 num. 23 opp. t. 2 p. 525 ed. Olive-

ti Genevæ 1743, et Lactantius de Ira c. 9 p. 142 t. 2 ed. Paris. 1748. Sed Romanorum in primis magna fuit cura, et sollicitudo removendi, tollendique libros, et cetera, quæ mores hominum depravare, eosque à religione avocare possent. Multa ejus rei monumenta sunt apud Livium lib. 25 c. 1 t. 3 p. 959 l. 39 c. 16 l. 40 c. 29 t. 5 pag. 330. et 490 ed. Drakenborchii Lugd. Batav. 143, Valerium Maximum l. 1 c. 1 t. 1 p. 23 ed. Torrenii Leidæ 1726, Suetonium in Agust. c. 31 n. 1 p. 225 t. 1 ed. Leovardiæ 1714, Senecam Controv. proœm. l. 5 t. 3 opp. p. 348 ed. Amst. 1682, Tacitum Anal. l. 4 n. 35 et l. 14 n. 50 p. 597 t. 1 et p. 735 t. 2 ed. Ven. 1708.

(3) Catholicorum libros ab Arianis, ac præsertim Gregorio Cappadoce Patriarcha Alexandrino, Genserico, et Unnerico Vandalorum Rege, ab Iconoclastis crematos fuisse, testantur Athanasius Encyclica ad Episcop. ab Ep. ad Ortodox. de perseq. excit. n. 3 opp. t. 1 p. 90 ed. Pat. 1777, Victor Vitensis de Perseq. Vandal. l. 2 n. 12 p. 16 et l. 4 n. 2 p. 66 ap. Ruinart. Hist. Pers. Vand. ed. Paris. 1694, Theodorus Studites Ep. ad Patriarch. Alex. apud Baronium ad an. 817 n. 27 t. 13 Annal. p. 599 ed. Lucæ. Notum est, Lutherum corpus Juris Canonici igni tradidisse: quid actum ab Anabaptistis fuerit, narrat Sleidanus lib. 10: quid à Calvinianis, patet ex eorum synodo apud Schultingium lib. 9 Anacris. pag. 51. Quin etiam Hæretici tollendos, removendosque curarunt libros aliorum hæreticorum, qui ex diversis sectis essent. Gaspar Radecherus Lutheranus ea de re libellum Vittembergæ edidit anno 1556, ut conficeret, à magistratu tollendos esse libros eorum omnium, qui Lutherani non essent, quem librum memorat Gretserus in Epimetr. seu Auctar. ad opus de Libr. nox. prohiben. c. 1. Revera Lutherani magnopere restiterunt Sacramentariorum libris, uti narrat Hospinianus Hist. sacram. p. 11, itemque libris Zuinglianorum, et Calvinianorum, qua de re cum Calviniani quererentur, responsum ab illis est in Refut. ortodox. consens. p. 14: *jam quod conqueruntur aliquibus in locis, libris Zuinglianorum, et Calvinistarum locum datum non esse; vel Theodosii, Valentiniani, et Marciani piissimorum Imperatorum exempla, qui ne quis Nestorii, Eutychetis, et Apollinistarum libros describeret, aut legeret, ediderunt. . . . nostrorum Principum pia mandata excusant.* Idem à Calvinianis adversus Lutheranorum libros factum est, quod multis collectis exemplis ostendit Zaccaria l. c. Dissert. 1 c. 7.

(4) Confer S. Dionysium Alexandrinum apud Eusebium Hist. l. 7 c. 7 p. 326 ed. Valesii Cantabrig. 1720 S. Hieronymum Ep. 84 et 107 col. 287 et 682 t. 1 ed. Vallarsii Veronæ, Theodorum Studit. lib. 11 Ep. 167 p. 658 ed. Paris. Sirmondi 1696.

(5) Cum Paulus divinum verbum Ephesi nunciaret, *multi ex eis*, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus, uti scriptum est in Act. Apostol. XIX. Insigne hoc monumentum esse monet Gretserus de Jur. et minor. prohib. l. 1 c. 5, moris Ecclesiæ pravos eripiendi libros ex manibus Christianorum. Canon Apostolorum 52, 59 et 60, apud Cotelerium PP. Apost. t. 1 p. 450 ed. Amstelædami 1724, divulgari vetat *falso inscriptos impiorum libros*, itemque libros schismaticorum à S. Cypriano vetitos fuisse, constat ex ejus Epist. 45 p. 231 ed. Amstelæd. 1700 p. 128. Arii Thaliam à Patribus Concilii Nicæni condemnatam fuisse, scribunt Socrates Hist. lib. 1 c. 21 p. 40 ed. Valessi Cantabrig. 1720, et Nicephorus lib. 8 c. 18 p. 569 t. 1 ed. Paris. 1630, quod Patrum decretum ab omnibus observari jussit Constantinus edicto, quod memorat Sozomenus loc. cit., describit autem Socrates similiter *laudato loco* Concilio Cartaginensi IV. apud Gratianum can. 1 dist. 37 cautum est, *ut Episcopus Gentilium libros non legat:*

hæreticorum autem pro necessitate, et tempore. Quid dicam de Origenis libris? Eos sane pluries damnatos, lectionemque eorum vetitam fuisse; testantur Sozomenus Histor. l. 3 c. 14 p. 343, Socrates lib. 6 c. 9 p. 324 ed. cit, et Hieronymus l. 2 Contr. Rufin. n. 12 t. 2 col. 415 ed. cit. Confer etiam Africæ Episcoporum literas contra Pelagii libros ad Inocentium I apud Coustantium Epist. Roman Pontific. col. 884, itemque literas PP. Concilii Ephesini contra libros Nestorii ad Theodosium, et Valentinianum Imperator. Act. l. t. 3 concil. col. 1102. Collect. Labbæi, præterea S. Leonem M. Ep. 15 ad Turibium c. 15 et 16 opp. t. 1 col. 706 ed. Ballerin. ubi in Hispaniis *in nullo lectionis usu haberi* jubet Priscillianistarum libros, atque apocryphas scripturas *non solum interdicendas* esse pronunciat, *sed etiam penitus auferendas atque ignibus concremandas*; quod idem ipse Romæ fecerat adversus Manichæorum libros, sicuti narrat Prosper in Chronic. col. 749 ed. Paris. 1711. Mitto cetera, ne nimius sim. Tantum indicabo celebre decretum Gelasii Pontificis, quod pertinet ad exitum sæculi V., et quod vel unum ostendit, quanta jam esset ea ætate cura, et sollicitudo Sedis Apostolicæ, ne in Christianorum manibus versarentur libri, ex quibus ipsi damni aliquid accipere possent. De hoc decreto copiose disserit Zaccaria l. c. l. 1. Ep. 2, ubi etiam plura habes monumenta, quæ ad rem nostram pertinent. Videndi sunt etiam Binghamus Orig. eccles. l. 16 c. 2 §. 14 p. 105 seq. t. 7 ed. Halæ Magdeburg. 1761, et Mamachius ad auctor. op. Quid est Papa? ep. 3 §. 22 t. 1 p. 304 seq.

4. Jamvero quemadmodum leges, quibus pravorum lectio librorum interdicitur, huc spectant, ut omnibus sancta, integra, inviolata religio sit, damnumque arceatur, et periculum animarum, ita totum hoc negotium pertinet ad ecclesiasticam potestatem, cujus curam, diligentiamque desiderant sanctitas religionis atque animarum salus. Et quoniam religioni infertur injuria, animi imbuuntur erroribus, sive publice, sive privatim hi libri legantur, imo privata lectio, quæ fieri diligentius solet, plus affert detrimenti; idcirco utraque lectio velanda est ab ea potestate, quæ homines deterreat ab iis, quæ in aperto, ac propatulo, quæque in occulto fiunt. Atqui tantum ecclesiastica potestas, quæ animis imperat, et eos pœna constringit, efficere potest, ut se homines ab iis abstineant, quæ non solum in luce, et conspectu omnium, sed etiam in abdito, atque in tenebris fugienda sunt.

5. Cunctos generatim libros, qui religioni, et moribus officiunt, procul à nobis esse oportere, omnes facile intelligunt, quibus cordi religio, et integritas morum est. Sed nisi Ecclesiæ judicio constaret, quos speciatim libros legere sine periculo liceat, quos contra fugere oporteat, cuncta essent incerta, et unius, alteriusve libidini commissa; ac sæpe quis imprudens, et ignarus libros legeret perniciosos, quos salutares putabat, errores-que combiberet, qui semel infixi animo, sæpe numquam deponuntur. Quare Ecclesia designat libros religioni, bonisque moribus inimicos, hos legi, atque etiam retineri vetat, et pœnas

etiam addit, quæ animum affligunt, ut timor non ex hominum judicio, quod facinoris occultatio fallit, sed ex peccati conscientia exoriatur (1).

(1) Atque ita sane omni ætate observatum est, scilicet pravorum lectio librorum semper ab Ecclesia vetita est, uti paulo ante demonstravi not. 5, et latius ostendit Zaccaria l. c. Epoca 1 ad 7 et Dissert. 2. Quæ dum disputo, haud equidem inficior, etiam laicos Principes cavere suis legibus posse, ne quis legat, retineatve libros, qui adversantur iis rebus, quæ eorum curæ, potestati, administrationi commissæ sunt. Verum hæ leges sunt ad instar reliquarum legum civilium, quæ tantum pœnis temporalibus repugnantes coercent, quæque vim exserunt suam in ea regione, in qua conditæ sunt. Ecclesiæ tantum est vetare libros, qui religioni, bonoque spirituali adversantur, ejusque leges pœnas quoque irrogant spirituales, et ubique Christianos obstringunt. Quod si interdum à laico Principe vetiti sunt Hæreticorum libri, id quidem factum est, postea quam illi Ecclesiæ judicio vetiti jam, damnatique fuerant. Arii libros jam igni tradiderant Nicæni Patres, antequam eos Constantinus edicto proscriberet. Theodosius Jun., et Valentinianus Nestorii libros improbarunt; sed hi Synodo Ephesina *anathematizante, fuerunt condemnati*, ut inquit Liberatus Diaconus in Breviar. c. 10 p. 44 ed. Garnerii Paris. 1675. Confer S. Cælestinum Ep. 13 ad Nestorium n. 2 seq. col 1115 seq. apud Constantium Epistolar. Roman. Pontific., et Epist. Joan. Antiocheni, quæ est 3 inter Cælestinianas n. 2 ibid. col. 1283. Similiter in Capitularibus Caroli M. l. 1 c. 73 apud Baluzium t. 1 col. 482 ed. Ven. 1772 quidam libri improbantur; sed antea simile à Zaccaria Pontifice decretum emissum fuerat, uti observat Pithœus Glossar. ad Capitular. verb. Tractatus catolici t. 2 col. 512. Ac ne omnia persequar, nonne Leo X. Lutheri libros condemnavit? Idem postea factum est à Carolo V., sed hic primum edicto monuit, ea *scripta* esse *à Summo Pontifice auctoritate sua Apostolica, ut præmittitur, damnata*. Theodosius primus cum seductus à Chrysaphio Monothelita fuisset (vide 3 P. Concil. Calced. c. 10 t. 4 Concil. Labbæi ed. Ven. col. 1807), Theodoreti scripta nondum ab Ecclesia improbata damnavit; verum Chalcedonense Concilium, uti constat ex Act. 8. t. 4 Concil. col. 1522. Collect. Labbæi, nulla Imperatoriæ legis habita ratione, Theodoretum absolvit, suæque Sedi restituit: deinceps que eumdem legem Valentinianus, et Marcianus abrogarunt, declarantes, *quod injusta sententia nihil obsit Eusebio quoque et Theodoreto, religiosis Episcopis, qui eadem lege continentur, quoniam non possunt sacerdotes constitutione damnari, quos synodicum ornat de conservata religione decretum*. Concilium Chalcedonense par. 3 c. 11 col. 1510 t. 4 c. collect. Quid? Enoticon Zenonis, Ecthesim Heraclii, ac Typum Constantis ¿nonne semper Ecclesia despexit, atque rejecit? Sæpe etiam laici Principes gravissimas contra hæreticos edidere leges, verum rogatu Ecclesiæ, quæ civilibus quoque pœnis in hæreticos animadverti curavit, ut facilius eorum audacia coerceretur. Ita *Imperatorum* (Arcadii, et Honorii) *scripta, quæ de Alexandria, et Egypto Origenistas pelli jubent*, Hieronymo, ut ipse inquit contra Rufin. l. 2 c. 2 opp. t. 2 col. 468 ed. Vallarsii Veronæ, *suggerente, dictata sunt*. Hieronymus autem sine dubio hoc mandatum acceperat ab Anastasio I P. qui illud Imperatorum edictum *responsa* tantum appellat Ep. 3 apud Labbæum t. 2. Concil. col. 1432. Ephesini Patres ad Theodosium, et Valentinianum Imperatores dedere literas, ut cunctos Nestorii libros comburi curaret. Concilium Ephesinum Act. 1 t. 3 cit. collect. col. 1102, atque Orientales

Episcopi Ortodoxi, et Archimandritæ Constantinopolitani, uti patet ex Concilio Constantinopolitano sub Menna habito ann. 536 t. 5 Conc. col. 1006 cit. collect., Agapitum P. rogarunt, ut à Justiniano contra Severi libros edictum impetraret.

6. Ecclesiastica autem potestas, à qua damnantur, improbanturque libri, ex quibus religio et mores detrimentum capiunt, est ipsa Ecclesia, et Summus Pontifex, Ecclesiæ caput (1). Alterutrius judicio, et auctoritate opus est, ut omnes per totum Christianum orbem lege obstringantur, quodque ab iis editum est judicium, neque falli, neque fallere quemquam potest. Quare sive aliquis damnatus error fuerit (2), sive definitum in libro errorem inesse (3), sive speciatim, sive generatim, atque, ut ajunt, *in globo* proscripti errores fuerint (4); quidquid à Summo Pontifice, aut ab Ecclesia, sive sparsa per terrarum orbem universum, sive in Synodum congregata pronunciatum, sancitumque est, apud omnes veritatis loco esse debet. Episcopus etiam, ac provinciale Concilium damnat, legique vetat libros, quos noxios esse animadvertit; sed ejus leges circumscribuntur terminis diœceseos, aut provinciæ, in qua latæ sunt, et errori subesse possunt.

(1) Ne omnia colligam monumenta pontificiæ potestatis in damnandis, vetandisque libris religioni, bonisque moribus inimicis, quod operæ esset, scriptionisque longioris, quodque egregie præstitit Cl. Zaccaria libro indic. Pauca tantum indicabo, quibus cognitis, facile erit de ceteris judicare. III. sæc. ad Pontianum Pontificem libri Origenis missi fuerunt, ut damnarentur. Confer Constantium in Pontian. §. unic. n. 1 col. 116, et in Fabian. §. 1 n. 1 col. 117. Confer etiam Anastasium l. Ep. ad Joan Hierosolimit. apud eumdem Constantium Ep. Rom. Pontific. col. 726. Ad Innocentium I. Summum Pontificem, præstantissimi quinque Africæ Episcopi dedere literas, ut Pelagii librum condemnaret. *Anathemet ergo* (inquiunt illi apud Constantium Epist. Rom. Pontific. col. 884), *Pelagius scripta sua..... Aut si sua esse negat, aut scriptis suis ab inimicis suis dicit immissa, quæ sua esse negat, anathemet ea tamen, et damnet paterna exhortatione, et auctoritate Sanctimoniæ tuæ..... Si enim cognoverint* (Pelagii socii) *eumdem librum, quem illius vel putant esse, vel norunt, Episcoporum catholicorum auctoritate, maxime Sanctitatis Tuæ, quam apud eum esse majoris ponderis non dubitamus etc.* Librum Innocentius legit, et eum à quovis *damnandum*, atque *calcandum* Africanis Episcopis respondit apud Constantium l. c. col. 905. Leo I Priscillianistarum libros non modo legi vetuit, sed etiam flammis tradi voluit Ep. 15 t. 2 opp. p. 694 ed. Ballerin. Ven. Plura quoque hæreticorum opera, jussu Gelasii I. apud Anastasium Bibliothect. in Gelas. t. 1 p. 167 n. 2 ed. Romæ 1724, et Symmachi apud eumdem in Symmach. n. 5 p. 175, incendio conflagrarunt. Similia habes apud Gregorium M. l. 6. Ep. 66 opp. t. 2 col. 842 ed. Paris. 1705, quem in locum Monachi è Congregatione S. Mauri rectissime adnotarunt, *agnoscendam esse scilicet in Romanis Pontificibus libros ali-*

quos prohibendi potestatem, et consuetudinem, cui parere tenebantur etiam Orientalis Ecclesiæ alumni, Constantinopolitano Patriarchæ, aut alteri alioqui subditi. Huc etiam spectat Concilium Turonense an. 567 can. 20 apud Labbæum t. 6 concil. col. 541, cujus hæc verba sunt: *Et quorum auctorum valere possit prædicatio, nisi quos Sedes Apostolica aut semper intromisit, aut apocryphos fecit? et Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit auctoritas.* Adde curam et solicitudinem, quam semper præstantissimi, sanctissimique viri habuerunt, ut eorum scripta Summi Pontificis judicio probarentur. Dionysius Alexandrinus ad Dionysium alterum Summum Pontificem libros quatuor misit, ut ipse judicaret, num ejus recta esset de Trinitate fides, de quo aliqui dubitaverant. Libros item quatuor contra duas Pelagianorum literas ad Bonifacium P. misit Augustinus, significans, sese ea scripta mittere, *non tam dicenda, quam examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda.* Augustinus opp. tom. 10 col. 443 ed. Venet. 1755. De Cæsario Arelatensi scribit Gennadius de Scrip. eccles. c. 86 in t. 2 opp. S. Hieron. ed. Veron. col. 984, quod ipse *de gratia quoque, et libero arbitrio edidit testimonia Divinarum Scripturarum, et Sanctorum Patrum judiciis munita..... Quod opus etiam Papa Felix per suam epistolam roboravit, et latius promulgavit.* Ipse Gennadius c. 99 et 100 ibid. col. 989 et 990 testatur, suum se de fide librum Gelasii P. judicio subjecisse, eumdemque Gelasium Honorati Massiliensis scripta approbasse. Sunt etiam Nicolai I. Pontificis celebres responsiones ab Consult. Bulgarorum, atque in his n. 105 apud Labbæum concil. t. 9 col. 1566 retineri vetantur, et cremari jubentur Saracenorum libri, quos Bulgari abstulerant. Quid adversus Photii libros, quibus homo schismaticus Summum Pontificem Sedemque Apostolicam audacissime insectabatur, ab Hadriano II. Pontifice actum fuerit, constat ex Concilio Romano an. 868 apud Labbæum t. 10 col. 447; atque hoc quidem factum VIII. Œcumenico Concilio probatum est Act. 7 apud. Labbæum t. 10 col. 847. Joannes Diaconus ad Joannem VIII. Pontificem sæculo eodem IX. scribens de S. Greg. Magni vita t. 4. Opera S. Greg. ed. Paris. col. 20, *Romano*, inquit, *Pontifici Deus omnipotens probandorum, seu expellendorum scriptorum omnium specialem dedit procul dubio potestatem.* Quid dicam de libro Joannis Scoti, à Leone IX. primum in Romana, deinceps autem in Varcellensi Synodo damnato apud Labbæum t. 11 col. 1431 ed. Ven. cit., de Petri Abaelardi scriptis, quæ Innocentius II. condemnavit, uti patet ex ejus Ep. ad Archiepiscopos Remens. et Senonen. et ad Bernard. Abbatem apud Labbæum t. 12 col. 1415 et 1420, quid de alio opere Joannis Scoti, quod Honorius III, uti ostendit Mabilonius Præfat. ad Sæc. 4 Benedictin. §. 8 n. 135 p. 66 ed. Paris. 1680, quid de libris Talmudicis Hebræorum, quos Innocentius IV. apud Raynaldum ad an. 1244 n. 42 t. 21 p. 322 ed. Lucæ ab omnibus improbari voluit, quid de libris Aristotelis, quos Gregorius IX, uti patet ex ejus constitutione apud Raynaldum An. t. 21 ad an. 1231 n. 48 p. 50 ed. Lucæ, in Parisiensi Universitate legi vetuit, *quousque examinati fuerint, et ab omni errorum suspicione purgati*, de Marsilii Patavini, et Joannis Janduni libris, quos exterminari jussit Joannes XXII. apud Raynaldum ad an. 1327 n. 28 seq. t. 24 Annal. p. 347 ed. Lucæ, de aliis hæreticorum, ac de Raymundi Lulli libris, quos Gregorius XI. apud Raynaldum ad an. 1374 n. 12 t. 26 p. 252 et ad an. 1372 n. 35 p. 229 ib., atque apud Natalem Alexandrum histor. eccles. sæc. 13 et 14 c. 5 art. 20 t. 8 p. 90 ed. Ven. 1776, de scriptis Wicleffi, quæ primum ipse Gregorius XI, deinde Alexander V. exterminari voluit apud Raynaldum ad an. 1409 n. 89 t. 27 p. 505, de erroribus, atque

operibus Lutheri, quæ à Leone X. damnata sunt const. Exurge Domine 44 p. 487 t. 3 par. 3 Bullar. Romani? Nimius essem, si cetera hujusmodi monumenta recensere scribendo vellem.

(2) Ecclesia, ejusque caput Romanus Pontifex, proponere potest modis omnino tribus alicujus falsi dogmatis, aut doctrinæ judicium. Aut enim propositionem generatim damnat, nullo habito respectu ad illum, qui eam protulit, ex. gr. Propos. Christus non habet animam, aut ut prolatam ab aliquo ex. gr Socino, aut ut aliquo libro comprehensam, ex eoque decerptam, vel simul cum eo damnatam. Primum illud Ecclesiæ judicium errori subesse non posse, inter catholicos omnes constat, quoniam hujusmodi quæstiones juris quæstiones dicuntur, in quibus definiendis Ecclesia errare non potest. Cetera judicia, quæ non ipsam in se doctrinam attingunt, sed ut prolatam ab homine, vel scriptis expressam, vocantur judicia circa quæstiones facti, in quibus non eadem omnium ratio est. Nam quæri potest, num Apollinaris ex. gr., aut alter aliquis certam illam propositionem docuerit, vel certum illud damnatum scriptum exaraverit. Atque hæc quidem facti quæstio dicitur *de facto mere personali*. Quæri etiam potest, num sensus propositionis, vel libri, quam certo moraliter prolatam, aut quem scriptum ab aliquo constat, ex. gr. Nestorio, Jansenio, quamque, aut quem Ecclesia tamquam hæreticam, hæreticumve damnavit, hæreticus revera sit, prout ab iis auctoribus explicatur, aut in eorum libris continetur, secundum communem intelligentiam, et verborum significationem. Atque hæc facti quæstio dicitur *de facto dogmatico*. De facto *mere personali* minime solicita est Ecclesia, quæ suum in eo negotio judicium minime interponit. Itaque si quis ex gr. diceret, auctorem libri *Augustinus*, qui Jansenii nomine circumfertur, non esse revera Cornelium Jansenium Iprensem Episcopum, is quidem pugnaret contra omnium fidem, ac testimonium, sed tamen Ecclesiæ, quæ ea de re minime laborat, decretis non adversaretur. De *facto dogmatico* magna ab Appellantibus, Jansenianis, Quesnellianis controversia excitatur. Nam qui Jansenii propositiones quinque, traditas in libro *Augustinus*, tamquam catholicas omni ope, et opera defenderant, antequam eæ damnarentur, uti ostendunt Du Mas, Hist. de 5 proposit. t. 2, et auctor libri Romæ editi an. 1745, cui titulus Breve Istoria delle variazioni del Giansenismo, postquam Jansenii doctrina quinque illis propositionibus comprehensa damnata est, stilum repente verterunt, ac negare cœperunt, errores illos Jansenii libro contineri, hæreticum esse sensum propositionum, uti eæ sunt in illo libro descriptæ, Romanum Pontificem, et Ecclesiam in hoc judicio librorum errare posse, eique silentio obsequi satis esse, licere autem cuivis animo fovere sententiam, quæ magis placeat. Id præsertim Antonius Arnaldus cœpit contendere; atque hæc celebris est juris, et facti distinctio. Hæc, ut verbis utar præclarissimi Fenelonii, Cameracensis Archiepiscopi, *Doctr. pastor. adv. lib. cas. conscient.* an. 1704 p. 7, « scriptorum infinito prope numero defenditur, Ecclesiam, nihil obstantibus Christi promissis, posse ope divina usque eo destitui, ut et fallatur ipsa, et ipsos fallat, si quando denunciet, eo, quem legit, textu sententiam hæreticam, hoc est, dogmati revelato adversam, proprie significari. Adeo doctrina hæc non offendit animos, ut contra, unusquisque sic statuere assuescat, eam adhibitæ jus inter, et factum distinctionis beneficio certam, et inexpugnabilem fieri » Defensores hujus tam falsæ, tamque ineptæ sententiæ gravissime exagitat ipse Fenelonius pluribus documentis Pastoralibus editis an. 1704 et 1705. Videantur etiam Jacobus Benignus Bossuetius Episcopus Meldensis, Lettre à la R. M. Abbesse, et religieuses de Port Royal n. 1 seq. t. 12 oper. p. 360 seq. ed. Lcod. an. 1767, Honoratus Tournelyus

in Theol. tract. de Eccl. par. 2 art. 3 q. 5 p. 544 ed. Ven. 1765, Simonet. Theol. tr. 9 de Reg. fid. disp. 9 art., Bertius de Theol. discipl. l. 17 c. 5 opp. t. 2 p. 100 ed Ven. 1765. Præ ceteris autem videndus est Cl. Bolgenius, qui egregio opere Brixiæ edito an. 1788, cui titulus Fatti dommatici ossia della infallibilità della Chiesa nel decidere sulla dottrina buona o cattiva de' libri, totum hoc argumentum copiose, accurateque explicavit. Ceterum distinctionem illam inter jus, et factum, quam in primis Arnaldum defendisse monui, non ipse primus reperit, sed ab Arianis arripuit. Nam Eusebius Nicomediensis, et Theognis Nicænus, ut testatur Socrates histor. l. 1 c. 14 p. 42 ed. Valesii Cantabrig. 1720, fidei subscripserunt, sed anathemati adversus Arium subscribere noluerunt, negantes eum hæreticum habendum esse. Similiter religiosi silentii in rebus dogmaticis vestigia sunt apud Nestorianos, qui per illud Alexandrum Episcopum tueri conabantur, quod damnationi Nestorii subscribere noluerat. Sic enim ipsum excusat Theodoretus Ep. ad Jo. Antiochenum, quæ est cap 172. Synodici adv. Tragœdiam Irenæi, extatque apud Baluzium Nov. collect. Conc. col. 871 ed. Paris. 1683, et apud Labbæum t. 4 Conc. col. 45 ed. Ven : *Primo quia, quæ docet, sunt orthodoxa, secundo, quoniam silentium servat, Ecclesiæ pacem in nullo contaminans.*

(3) Ecclesiam, ejusque caput Romanum Pontificem in definiendis factis dogmaticis, uti rem paulo ante explicavi, errare non posse, catholicis omnibus plane persuasum est. Nam Christus Ecclesiæ adest in munere docendi; atqui in facto dogmatico munus est docendi, per quod discimus *formam habere sanorum verborum, custodire depositum fidei, et simul devitare profanas vocum novitates*, ut inquit Apostolus II. ad Timot. I. 13 et 14, et I. ad Timot. VI. 20. Præterea quomodo Ecclesiæ pastores *pascere* gregem poterunt, *exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere*, nisi noxia pascua, quæ vitanda sunt, hoc est pravos libros indicent, deque iis comprehensa doctrina, bona ne, an mala sit, judicium ferant? Quomodo Ecclesia erit *templum Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis*, nisi certo judicet de doctrina, quam quis aut sermone, aut scripto proponit? Sane de veritate, aut errore alicujus propositionis separatim sumptæ, certum, ac falli nescium esse Ecclesiæ judicium, inter omnes constat. Atqui ut noscatur, vera ne, et catholica, an falsa, et hæretica sit aliqua propositio, videndum est, quo sensu usurpata fuerit, et hic porro sensus nonnisi ex toto sermonis, aut libri contextu educi potest. Ita ex. gr. ea propositio *filius Dei est consubstantialis Patri*, tamquam hæretica damnata est adversus Paulum Samosatenum, qui iis verbis utebatur, ut Patrem, ac filium unam solam personam cum Sabellio faceret; contra vero tamquam fidei dogma firmata est adversus Arium, qui filium secundum Divinitatem Patri æqualem esse negabat. Itaque si totus sermonis, aut libri contextus præsertim facit, ut aliqua propositio catholica, aut hæretica habeatur, consequens est, ut Ecclesia in expendenda, noscendaque doctrina, quæ aliquo libro comprehensa est, nimirum in definiendo facto dogmatico, errare non possit. Similiter de vero sensu Sacrarum Scripturarum Ecclesia judicat ex toto contextu, nixa testimoniis Patrum, hoc est sententiis, quæ ex toto eorum operum contextu educuntur. Adde quod ad factum dogmaticum pertinet decretum Concilii Tridentini sess. 4 decr. 2. quo Vulgata authentica declaratur; ad factum item dogmaticum traditio, quam Ecclesia ex Patrum scriptis educit. Quid dicam de Conciliis œcumenicis, quæ sæpe damnant hæreticorum sententias ex eorum operibus eductas, quæque num legitime congregata, et approbata fuerint, ex facto quærendum est? Iis accedit consensus Patrum, et constans, atque perpetua Ecclesiæ disciplina. S. Joannes Chrysostomus œcumenici Concilii auctoritatem appellat, ut sibi exploratum sit, num Origenis doctrina damnari debeat, sicuti scribit Socrates histor. l. 6 c. 14 p. 329 ed. Cantabrig. 1720. S. Augustinus de Catechiz. rud. c. 8 opp. t. 6 col. 270 ed. Ven. 1731, mittit ad Ecclesiæ judicium cupientem scire, qui libri hæretici sint, atque huic judicio obsistere quemquam posse negat de Util. creden. c 17 t. 8 col 69. S. Hieronymus Ep. ad Pammach. 84 opp. t. 1 col. 522 ed. Veron. cit., aut subscribendum facto dogmatico de Origenistis, aut *Ecclesia exeundum* clamat. S. Leo Ep. I. ad Aquilejen. Episc. c. 1 opp. t. 1 col. 591 ed. Ballerin. Pelagii discipulos *apertis professionibus* damnare jubet *superbi erroris auctores, nihilque sit in verbis eorum obscurum, nil inveniatur ambiguum*; et Ep. 93 ad Synod. Chalc. c. 3 col. 1073 t. 1 ed. cit., ait *pertinere ad puritatem fidei, atque doctrinæ, damnare hæreses cum suis auctoribus* Confer etiam Gregorium M. Ep. 25 ad Jo. Episc. Constantinop. l. 1 opp. t. 2 col. 515 ed. Paris. 1705, Librum diurnum Rom. Pontific. tit. 9 c. 2 pag. 29 ed. Garnerii Paris. 1680, Concilium Turonense II. can. 20 apud Labbæum t. 6 Conc. col. 541 ed. Ven., Lateranense an. 649 sub Martino I. can. 18 sect. 5 t. 7 col. 365, Constantiense sess. ult. t. 16 col. 760 ejusd. collect. Eadem Ecclesiæ disciplinæ ratio est. Porro Concilium Nicænum non tantum errorem Arii condemnavit, sed ejus quoque personam, et librum, quem Thaliam inscripserat, ut patet ex Ep. synod. PP. Concilii ad Eccles. Alexand. apud Labbæum Conc. t. 2 col. 259, omnesque compulit ad subscribendum damnationi. Theodoretus histor. l. 1 c. 8 p. 31 ed. Cantabrig. 1720, et Eusebius Nicomediensis, ac Theognis Nicænus, subscribere nolentes, à Concilio sunt depositi, neque restituti, nisi antea probassent omnia, quæ à Patribus decreta fuerant: Socrates histor. l. 1 c. 8 et 14 p. 22 et 42 ed. Cantabrig., quem in locum videndus est Valesius in Notis. In Concilio Ephesino tamquam Catholica probata est S. Cyrilli epistola ad Nestorium, ipsius autem Nestorii epistola ad Cyrillum tamquam hæretica ab omnibus damnata est, proscriptique sunt Nestorii errores desumpti ex libris, commentariisque ipsius t. 3 Concil. Act. 1 col. 1007 et 1078. In Concilio Chalcedonensi probata est epistola S. Leonis M. Act. 4 t. 4 colun. 1382 seq., *et qui non subscribit epistolæ, cui omnis sancta Synodus consentit, hæreticus est*, inquiunt Concilii Patres Act. 4 col. 1403. In Concilio œcumenico V. damnatus est Origenes, ejusque doctrina, et scripta, uti constat ex can. 11 ejusd. Conc. apud Labbæum t. 6 col. 211, et ejus discipuli aut damnationi subscribere, aut de Ecclesia exire coacti sunt, teste Hieronymo Ep. 81 ad Pammach. et Ocean. opp. t. 1 col. 522 cit. ed. Qua eadem synodo damnata quoque sunt tria capitula, hoc est, scripta Theodori Mopsuesteni, ac Theodoreti adversus S. Cyrillum, et epistola Ibæ Edesseni ad Marim Persam, de quibus magna animorum contentione quærebatur, num in iis Nestorii errores continerentur. Synodus hæc tria capitula damnavit, atque omnes, qui catholici haberi vellent, damnationi subscribere coegit, uti constat ex Facundo Hermianensi l. 3 c. 1 p. 35 ed. Paris. 1686, et S. Gregorio M. Ep. 2 et 39 l. 4 opp. t. 2 col. 682, et 719 cit. ed. Paris. Idem adversus Pelagium factum est, uti ostendunt Augustinus de Peccat. origin. c. 9 opp. t. 10 col. 256. et de Gest. Pelag. c. 6 t. 10 col. 200 ed. cit., Innocentius I Ep. 31 ad 5 Episc. apud Constantium Ep. Pontif. Romanor. 5 col. 903, Leo M. Ep. 1 ad Episc. Aquil., et Ep. 2 ad Septim. opp. t. 1 col. 591 et 594. Jure igitur, ac merito catholicis omnibus certum debet esse judicium, quod de Jansenii libro Augustinus, deque ejus propositionibus, ac *de Moralibus observationibus* Quesnelli latum est ab Innocentio X. const. *Cum occasione* 167. Bullar. Roman. t. 6 par. 3 p. 248, Alexandro VII. const.

Ad sanctam 156 t. 6. par. 4 p. 150, Clemente XI. const. *Vineam Domini* 16, et const. *Unigenitus* t. 10 p. 145 et 340. De qua quidem constitutione *Unigenitus* perlegendæ sunt egregiæ literæ, quas Summus Pontifex PIUS VI. die 13 Septembris an. 1781 dedit ad Episcopum Brixiensem, quibus sane literis Pontifex Sapientissimus, pro ea, qua præstat, singulari, exquisitaque doctrina, flagrantique studio, quo ardet, custodiendæ, propugnandæ, propagandæ catholicæ religionis, invicte, ac perspicue demonstravit, *constitutionem Unigenitus* irreformabile Sedis Apostolicæ judicium continere. Idque etiam antea definiverant Patres omnino centum in Concilio Romano Benedicto XIII. Pontifice congregati, qui in authentico decreto tit. 1 c. 2 constitutionem ipsam *fidei regulam* agnoscunt, atque *ab omnibus, cujuscunque conditionis, et gradus, omnimoda, ac debita obedientia, et executione* observari volunt. Judicium idem plus semel dedit Sac. Facultas Parisiensis, præsertim die 15 Decembris an. 1729, cum declaravit, eam se Constitutionem amplecti *tanquam dogmaticum Ecclesiæ universalis judicium*, et idem etiam à Parisiensibus Episcoporum comitiis an. 1755 latum est. Cum enim inter Episcopos orta esset controversia de Eucharistia illis denegando, qui Bullæ *Unigenitus* adversarentur, factum est inter eos divortium sententiarum; neque tamen ex Episcopis ullus fuit, qui Bullam *Unigenitus* tam quam dogmaticum universalis Ecclesiæ decretum non prædicaret. Nam qui sententiam unam sequebantur, ita inquiunt in 1 et 2 art.: *Cum igitur accesserit Ecclesiæ consensus, decretum illud merito vocatur tum judicium dogmaticum, et irreformabile Ecclesiæ universalis, tum judicium ejusdem ad doctrinam pertinens. Huic judicio debetur sincerum mentis et cordis obsequium. Qui contra illud obsequium peccant, peccant in materia gravi.* Qui vero in alteram sententiam descenderunt, in 1 artic. dicunt hæc: *Constitutio Clementis XI. quæ incipit Unigenitus Dei filius, dogmaticum est, et irreformabile Ecclesiæ judicium, cui sincerum mentis, et cordis obsequium sine peccato mortali denegari non potest.* Vide Lettre circulaire de l'Assemblée generale du Clergé aux Archevêques, et Evêques de France an. 1755 p. 2 et 4. Neque omittenda est recentior, eaque luculentissima Cleri Gallicani declaratio edita in Comitiis an 1765, quæ extat in Act. ejusd. an. p. 46, atque his est concepta verbis: *Eas ob causas agnoscunt, ut nos semper agnovimus, constitutionem Unigenitus tanquam judicium dogmaticum Universalis Ecclesiæ, aut (quod eodem recidit) tanquam judicium irreformabile hujus ipsius Ecclesiæ in materia doctrinæ*, cui judicio debemus, *quam illa exigit, sinceram cordis, et spiritus submissionem.* Confer VV. CCL. Zaccariam Anti-Febron. vind. par. 2 dissert. 5 cap. 6, et Laurentium Veith de Gemin. delect. sect. 2 art. 2 §. 20 n. 69 seq., à quibus et alia plura ejusdem rei monumenta describuntur.

(4) Cum Ecclesia propositiones aliquas, uti hæreticas, aut etiam erroneas, vel temerarias, scandalosas etc. sive speciatim, sive generatim, et *in globo* damnat, judicia hæc vere dogmatica sunt, atque omnibus certum esse debet, nullam esse ex iis notam, quæ non merito in illas propositiones cadat; præterea si agatur de censura generali, et *in globo*, nullam esse ex damnatis propositionibus, quæ non aliqua ex enumeratis notis digna sit. Secus neque dogmaticum esset decretum Concilii Constantiensis sess. 45 contra articulos Wicleffii, et Hussii, neque dogmatica Bulla Leonis X. contra articulos Lutheri, nec constitutio S. Pii contra Bajum, neque item dogmaticarum rerum loco habenda essent, quæ ab Innocentio XI. contra Michaelem Molinos, ab Innocentio XII, in propositiones 23 excerptas ex libro, cui titulus Les maximes des Saints etc. sancita sunt. Cuncta hæc decreta, et constitutiones, propositiones *in globo* damnant; et tamen cuncta catholicis omnibus dogmatica sunt. Ac Martinus V. in Bulla, qua Constantiense Concilium approbavit, expresse decrevit, ut *specialiter literatus* (si de hæresi sit suspectus) inter cetera *interrogetur, utrum credat, sententiam sacri Constantiensis Concilii supra quadraginta quinque Joannis Wiclef, et Joannis Hus triginta articulis superius descriptis latam, fore veram, et catholicam, scilicet, quod quadraginta quinque articuli Joannis Wiclef, et Joannis Hus triginta, non sunt catholici, sed quidam ex eis sunt notorie hæretici, quidam erronei, alii temerarii, et seditiosi, alii piarum aurium offensivi.* Atque hæc quidem plurium propositionum condemnatio *in globo* recte, et sapienter emittitur, ne qua illarum defendatur, aut animo retineatur, licet non singulæ eamdem censuram mereantur, eo fere modo, quo prudens medicus ægroto sapienter vetat, ne ulla utatur ex dapibus, quæ in opiparo convivio paratæ sunt, quoniam omnes ægroto sunt noxia, licet medicus non definiat, quomodo singulæ, aut quæ plus minusve noceant. Confer Pallavicinium histor. Conc. Trident. l. 1 c. 21, et Tournelyum Prælect. theol. de censur. art. 1 t. 3, ubi multa habes ea de re testimonia. Sunt qui has condemnationes generales, et *in globo* recentioris disciplinæ esse putant; at idipsum satis esse deberet homini Catholico, ut hanc Ecclesiæ disciplinam eo, quo decet, obsequio veneretur. Verum falsum est, quod illi ajunt. Sane cum in Concilio Nicæno damnata sunt Arii scripta, ac nominatim ejus Thalia, non eodem prorsus loco habita sunt omnia, quæ iisdem scriptis continebantur. Cum Origenis opera Alexandriæ à Theophilo damnata fuerunt, ac vetita eorum lectio à S. Epiphanio Cypri, à S. Anastasio P. Romæ, an quidquid Origenes scripserat pari modo improbatum est? Cum in Concilio V. œcumenico tria capitula damnata fuerunt, an omnia, quæ epistola Ibæ Edesseni ad Marim Persam, atque scripta Theodori Mopsuesteni, ac Theodoreti adversus S. Cyrillum comprehendebant, similibus infecta erroribus, et pari digna nota judicata sunt? In eodem Concilio damnatæ fuerunt literæ Honorii ad Sergium, et Pirri Constantinopolitani ad Joannem VI. P., quis credat, damnatum, proscriptumque similiter fuisse quidquid duabus illis literis scriptum fuerat?

7 Summus Pontifex libros damnat, quos noxios esse deprehendit, aut per Breve, Bullamve suam, aut per Congregationes Indicis (1), Sacræve Inquisitionis; olim etiam per S. P. Apostolici Magistrum interdum pravi libri damnabantur. Ab his quoque Congregationibus vetitorum lectio librorum iis permittitur (2), qui nihil ex ea detrimenti capere possunt. Improbantur autem libri, postquam à doctis viris cogniti, expensique diligentissime sunt, neque eadem est omnium improbandorum ratio. Sunt enim qui plus religioni, bonisve moribus adversantur, atque horum magis fugienda lectio est; alii sunt, qui ita scatent erroribus, ut non modo legi, sed ne castigari quidem possint, et alii, quorum est improbata lectio, donec corrigantur (3).

(1) Primus Paulus IV. Sac. Inquisitionis Congregationi negotium commisit, ut vetitorum librorum indicem conficiendum curaret. Re perfecta, adhuc Tridentini Patres ea de re in Concilio agendum putarunt, cum inventa

arte typographica, facile ubique divulgarentur hæreticorum libri, qui ne ad fidelium manus pervenirent, diligentissime cavendum erat. Sed ne Concilii Patres sua auctoritate opus susciperent, quod jam Sedes Apostolica absolvendum curaverat, impetratæ sunt literæ à Summo Pontifice, qui eos ad hoc opus hortaretur. Re quæsita, et expensa diligenter, uti narrat Cardinalis Pallavicinus histor. Conc. Trident. l. 15 c. 19; denique à doctis viris quos Tridentina Synodus elegerat, absolutus est index, missusque ad Pium IV. Pontificem, qui eum ipse expendit, atque à peritis viris expendi jussit, ac denique indicem ipsum edidit, eumque speciali Bulla die 24 Martii anni 1564 confirmavit. Mortuo Pio IV, Summus Pontifex renunciatus est S. Pius V., qui Sac. Indicis Congregationem instituit, cujus esse voluit vetitorum librorum indicem conficere, et curare, atque ita fungi munere, quod pridem Tridentini Concilii Patribus commissum fuerat. Errant enim, qui Indicis Congregationem primum à Sixto V. institutam putant, uti ostendit Ruellius Saggio dell' istoria dell' Indice Romano de' Libri proibiti. Atque hujus quidem Congregationis, quæ constat ex Cardinalibus, pluribusque viris doctis, est curare indicem librorum vetitorum, qui ejus jussu in lucem emittitur, quique post annos, cum ei novis interdictis plures factæ sunt accessiones, renovari solet. Anno superiori nova Indicis librorum prohibitorum editio perfecta est jussu optimi sapientissimique Pontificis PII VI., cujus in Religionis, morumque integritatem singulare studium, ac magnæ, præclaræque in omni genere virtutes sunt, quas nulla unquam obscurabit oblivio.

(2) Hodie Sac. Inquisitionis Congregatio libros permittit, quorum lectio difficilius conceditur, quales sunt hæreticorum de religione agentium libri. Sac. Indicis Congregatio veniam tribuit legendi libros, in quibus levius inest periculum. Certi quidam libri pro Urbe Roma etiam à P. Magistro S. P. Apostolici permittuntur.

(3) S. Eusebius Vercellensis, uti testatur S. Hieronymus Ep. 61 opp. t. 1 col. 546 ed. cit., *omnium psalmorum commentarios hæretici hominis vertit in nostrum eloquium, licet hæretica prætermittens, optima quæque transtulerit.* Ipse Hieronymus eamdem hanc methodum in quibusdam Origenis libris adhibuit, uti ipse testatur contr. Ruffinum l. 2 n. 12 col. 542 opp. t. 2. Quantos in hoc eodem opere labores exantlarit Cassiodorus, ignorat nemo, idque Cassiodorus ipse confirmat *de Instit. divin.* liter. l. unic. c. 1 p. 540 edit. Rotomag. 1679. Præclara hæc exempla sunt, quæ os obturare deberent maledicis vituperatoribus Sedis Apostolicæ, quæ similiter emendari jubet li' ros, in quibus mali aliquid inesse deprehendit; et qui hos libros ita emendatos legent, merito in Romanos Correctores usurpare poterunt ea Hieronymi verba Ep. 34 t. 1 col. 525. ed. cit: *cum hæc rejeceritis, et quasi censoria virgula separaveritis à fide Ecclesiæ, tuto legam cetera, nec venena jam timebo, cum anthidotum præbibero.* Late in hoc toto argumento versatur Zaccaria cit. libro Storia polemica delle prohibizioni de' libri, ubi etiam dissert. 3. ab hæreticorum calumniis solide vindicat Sedem Apostolicam, cujus in vetandis libris plena sapientiæ, prudentiæ, æquitatis ratio est.

* Quod pravorum librorum damnationem ab Ecclesia spectat, summis extollenda laudibus Greg. XVI Encyclia *Mirari Vos*, 15 Aug. 1832. Consul. quoque Presb. André *Diction. Jur. Can.*, sepe citatæ Matrit. edit., verbo libros *censurados y prohibidos*; *Novis. Compilat* lib. 8 tit. 18, legg. 1, 14, 16; ac Concordati 1851 art. 3 (tom. 1 pag. 5).

De librorum fidem moresque attingentium editione, V. notam, quam tom. 1 pag. 109 inseruimus.*

TITULUS VIII.

DE HÆRETICÆ PRAVITATIS INQUISITORIBUS.

1. FIDEI, MORUMQUE INTEGRITAS CUSTODIENDA DILIGENTER EST.—2. EJUS REI CURANDÆ CAUSA TRIBUNAL INQUISITIONIS INSTITUTUM EST.—3. HUJUS ORIGO.—4. CONGREGATIO INQUISITIONIS ROMÆ, CUI PRÆEST SUMMUS PONTIFEX.—5. AD EAM GRAVIORA EX TOTO CHRISTIANO ORBE NEGOTIA REFERENDA.—6. INQUISITORIS MUNUS NIHIL DETRAHIT EPISCOPI OFFICIO, ET POTESTATI.—7. 10. VINDICATUR TRIBUNAL INQUISITIONIS.—11. OMNES HÆRESES DEFERRE, ET HÆRETICOS ACCUSARE DEBENT.—12. ETIAM INFAMES TESTIMONIUM DICERE, ATQUE ACCUSARE POSSUNT.—13. JURAMENTUM DE OBSERVANDO SECRETO.—14. SUMMA ÆQUITAS, AC DILIGENTIA JUDICII.—15 ET 16. CONTRA QUOS JUDICET TRIBUNAL INQUISITIONIS.

1.

Non satis fidei, morumque integritati consultum videretur, si tantum esset exclusa societas illorum, qui à catholica veritate discrepant, amotique illorum libri à manibus catholicorum; nisi etiam essent magistratus, qui in fidei corruptores inquirerent, pœnisque coercerent, et ea statim removerent mala, quæ universæ societati detrimentum inferre possunt. In omni bene constituta republica suprema lex est ejus salus, et incolumitas, eaque curare maximum est officium ejus, qui reipublicæ præest. An non etiam incolumitas, salusque ecclesiasticæ reipublicæ, quæ præsertim in fidei, morumque integritate posita est, custodienda erit diligenter, eaque cura, et solicitudo ad eum pertinebit, qui huic reipublicæ præpositus est?

2. Ergo Summus Pontifex, cui tota commissa est Catholica Ecclesia, curare in primis debet, ut integra sit fides, ut errores removeantur, ut inquiratur in eos, qui fidem corrumpunt, statumque ecclesiasticæ reipublicæ pervertunt. Hæc causa fuit instituendi tribunal, quod Inquisitionis vocatur, quoniam ejus est inquirere in errores, qui contaminare animos catholicorum possunt, eosque à salutaribus doctrinæ pascuis abducere. Initio unusquisque Episcopus in diœcesi sua, vel plures Episcopi in provinciali Concilio congregati, in eos, qui in diœcesi, aut provincia orirentur, errores inquirebant (1); semper tamen graviora negotia ad Sedem Apostolicam referebantur, atque ita Episcopus, vel Concilium provinciale ad exitum perducendum curabat, quod à Sede Apostolica decretum fuerat (2).

arte typographica, facile ubique divulgarentur hæreticorum libri, qui ne ad fidelium manus pervenirent, diligentissime cavendum erat. Sed ne Concilii Patres sua auctoritate opus susciperent, quod jam Sedes Apostolica absolvendum curaverat, impetratæ sunt literæ à Summo Pontifice, qui eos ad hoc opus hortaretur. Re quæsita, et expensa diligenter, uti narrat Cardinalis Pallavicinus histor. Conc. Trident. l. 15 c. 19; denique à doctis viris quos Tridentina Synodus elegerat, absolutus est index, missusque ad Pium IV. Pontificem, qui eum ipse expendit, atque à peritis viris expendi jussit, ac denique indicem ipsum edidit, eumque speciali Bulla die 24 Martii anni 1564 confirmavit. Mortuo Pio IV, Summus Pontifex renunciatus est S. Pius V., qui Sac. Indicis Congregationem instituit, cujus esse voluit vetitorum librorum indicem conficere, et curare, atque ita fungi munere, quod pridem Tridentini Concilii Patribus commissum fuerat. Errant enim, qui Indicis Congregationem primum à Sixto V. institutam putant, uti ostendit Ruellius Saggio dell' istoria dell' Indice Romano de' Libri proibiti. Atque hujus quidem Congregationis, quæ constat ex Cardinalibus, pluribusque viris doctis, est curare indicem librorum vetitorum, qui ejus jussu in lucem emittitur, quique post annos, cum ei novis interdictis plures factæ sunt accessiones, renovari solet. Anno superiori nova Indicis librorum prohibitorum editio perfecta est jussu optimi sapientissimique Pontificis PII VI., cujus in Religionis, morumque integritatem singulare studium, ac magnæ, præclaræque in omni genere virtutes sunt, quas nulla unquam obscurabit oblivio.

(2) Hodie Sac. Inquisitionis Congregatio libros permittit, quorum lectio difficilius conceditur, quales sunt hæreticorum de religione agentium libri. Sac. Indicis Congregatio veniam tribuit legendi libros, in quibus levius inest periculum. Certi quidam libri pro Urbe Roma etiam à P. Magistro S. P. Apostolici permittuntur.

(3) S. Eusebius Vercellensis, uti testatur S. Hieronymus Ep. 61 opp. t. 1 col. 546 ed. cit., *omnium psalmorum commentarios hæretici hominis vertit in nostrum eloquium, licet hæretica prætermittens, optima quæque transtulerit.* Ipse Hieronymus eamdem hanc methodum in quibusdam Origenis libris adhibuit, uti ipse testatur contr. Ruffinum l. 2 n. 12 col. 542 opp. t. 2. Quantos in hoc eodem opere labores exantlarit Cassiodorus, ignorat nemo, idque Cassiodorus ipse confirmat *de Instit. divin.* liter. l. unic. c. 1 p. 540 edit. Rotomag. 1679. Præclara hæc exempla sunt, quæ os obturare deberent maledicis vituperatoribus Sedis Apostolicæ, quæ similiter emendari jubet li' ros, in quibus mali aliquid inesse deprehendit; et qui hos libros ita emendatos legent, merito in Romanos Correctores usurpare poterunt ea Hieronymi verba Ep. 34 t. 1 col. 525. ed. cit: *cum hæc rejeceritis, et quasi censoria virgula separaveritis à fide Ecclesiæ, tuto legam cetera, nec venena jam timebo, cum anthidotum præbibero.* Late in hoc toto argumento versatur Zaccaria cit. libro Storia polemica delle prohibizioni de' libri, ubi etiam dissert. 3. ab hæreticorum calumniis solide vindicat Sedem Apostolicam, cujus in vetandis libris plena sapientiæ, prudentiæ, æquitatis ratio est.

* Quod pravorum librorum damnationem ab Ecclesia spectat, summis extollenda laudibus Greg. XVI Encyclia *Mirari Vos*, 15 Aug. 1832. Consul. quoque Presb. André *Diction. Jur. Can.*, sepe citatæ Matrit. edit., verbo libros *censurados y prohibidos*; *Novis. Compilat* lib. 8 tit. 18, legg. 1, 14, 16; ac Concordati 1851 art. 3 (tom. 1 pag. 5).

De librorum fidem moresque attingentium editione, V. notam, quam tom. 1 pag. 109 inseruimus.*

TITULUS VIII.

DE HÆRETICÆ PRAVITATIS INQUISITORIBUS.

1. FIDEI, MORUMQUE INTEGRITAS CUSTODIENDA DILIGENTER EST.—2. EJUS REI CURANDÆ CAUSA TRIBUNAL INQUISITIONIS INSTITUTUM EST.—3. HUJUS ORIGO.—4. CONGREGATIO INQUISITIONIS ROMÆ, CUI PRÆEST SUMMUS PONTIFEX.—5. AD EAM GRAVIORA EX TOTO CHRISTIANO ORBE NEGOTIA REFERENDA.—6. INQUISITORIS MUNUS NIHIL DETRAHIT EPISCOPI OFFICIO, ET POTESTATI.—7. 10. VINDICATUR TRIBUNAL INQUISITIONIS.—11. OMNES HÆRESES DEFERRE, ET HÆRETICOS ACCUSARE DEBENT.—12. ETIAM INFAMES TESTIMONIUM DICERE, ATQUE ACCUSARE POSSUNT.—13. JURAMENTUM DE OBSERVANDO SECRETO.—14. SUMMA ÆQUITAS, AC DILIGENTIA JUDICII.—15 ET 16. CONTRA QUOS JUDICET TRIBUNAL INQUISITIONIS.

1.

Non satis fidei, morumque integritati consultum videretur, si tantum esset exclusa societas illorum, qui à catholica veritate discrepant, amotique illorum libri à manibus catholicorum; nisi etiam essent magistratus, qui in fidei corruptores inquirerent, pœnisque coercerent, et ea statim removerent mala, quæ universæ societati detrimentum inferre possunt. In omni bene constituta republica suprema lex est ejus salus, et incolumitas, eaque curare maximum est officium ejus, qui reipublicæ præest. An non etiam incolumitas, salusque ecclesiasticæ reipublicæ, quæ præsertim in fidei, morumque integritate posita est, custodienda erit diligenter, eaque cura, et solicitudo ad eum pertinebit, qui huic reipublicæ præpositus est?

2. Ergo Summus Pontifex, cui tota commissa est Catholica Ecclesia, curare in primis debet, ut integra sit fides, ut errores removeantur, ut inquiratur in eos, qui fidem corrumpunt, statumque ecclesiasticæ reipublicæ pervertunt. Hæc causa fuit instituendi tribunal, quod Inquisitionis vocatur, quoniam ejus est inquirere in errores, qui contaminare animos catholicorum possunt, eosque à salutaribus doctrinæ pascuis abducere. Initio unusquisque Episcopus in diœcesi sua, vel plures Episcopi in provinciali Concilio congregati, in eos, qui in diœcesi, aut provincia orirentur, errores inquirebant (1); semper tamen graviora negotia ad Sedem Apostolicam referebantur, atque ita Episcopus, vel Concilium provinciale ad exitum perducendum curabat, quod à Sede Apostolica decretum fuerat (2).

(1) Vide Dadinum Alteserra de Jurisd. Eccl. l. 4 c. 3, et Bianchium Dell esterior polizia della Chiesa t. 3 cap. 3 §. 10 n. 2 et 3.

(2) Confer quæ dixi in Prolegomenis §. 35, et in not. t. 1 p. 20 et seq., et l. 3 tit. 4 §. 8. et in not. 1 p. 50 seq.

3. Lapsu temporum, cum gravius malum urgere videretur, oportuit Summos Pontifices in eas regiones, in quibus hæresis longe, lateque serpebat, Legatos mittere, qui suam Episcopis opem adjungerent, ut ita facilius perditorum hominum audacia coerceri, et Christiani deterreri à peregrinis, pravisque doctrinis possent (1). Sed cum novi quotidie errores erumperent, et numerus augeretur hæreticorum, Legati autem neque semper præsentes essent, neque semper satis aptum malo remedium adhiberent, visum est perpetuos instituere magistratus, qui semper præsentes essent, ac semper in unaquaque regione ad fidei integritatem animum intenderent, erroresque omnes vix natos comprimerent, et repellerent (2) Ita instituti sunt Inquisitores; nimirum probatæ pietatis, et doctrinæ viri, præsertim ex Dominicanorum (3), aut Franciscanorum familia, qui vicaria funguntur opera Sedis Apostolicæ in avertendis, tollendisque erroribus, atque in fide integra, et incolumi conservanda.

(1) Innocentium III. ante exitum sæculi XII., hoc est anno 1198. Raynerium, et Guidonem in Narbonensem provinciam ad retundendos hæreticos Legatos misisse, constat ex ejus Ep. 122 et 123 l. 2 t. 2 ed. Baluzii p. 402. Quam autem ob causam hujusmodi homines cum delegata auctoritate in regiones mitteret Sedes Apostolica, ut socii accederent Episcopis, qui ordinaria auctoritate potiebantur, ostendunt Innocentii III. literæ ad Cistercienses apud Manriquesium Annal. Cisterciens. t. 3 p. 420 et seq.; quibus quidem consonant historiarum monumenta.

(2) Quantum boni attulerit, et mali averterit institutio quæsitorum fidei, compertum omnibus est. Nam eorum cura, et diligentia factum est, ut sensim post annum 1300 decreverit in Italia cumprimis sectarum pestilentia, neque ulla amplius aut nova, aut vetusta hæresis apud Italos radices egerit, uti observat Muratorius Antiquit. Italic. dissert. 60. Mirum hinc videri non debet, quod hoc Tribunal adeo sit invisum hæreticis, quorum errores, et audaciam comprimit. Vide Ricchinium in Ven. Monetam diss. 1 c. 7 §. 5 seq. p. 31. ed. Romæ 1743.

(3) Quis primus Inquisitor fuerit à Summo Pontifice constitutus, incertum, controversumque est. Alii, cum Manriquesio *Cisterciensium Annalium* Scriptore, munus hoc commissum fuisse primum existimant monachis quibusdam ejus Ordinis, præsertim vero Arnaldo, B. Petro de Castronovo, et Rodulpho an. 1204. Innocenti III. auctoritate. Contra alii sunt, qui cum Jacobo Echardo de Script. Ord. Præd. t. 1 p. 88 ed. Paris. 1719, tantum à Gregorio IX. an. 1231 munus, et nomen Inquisitoris institutum, ac primum ad Fratres Ord. Præd. delatum fuisse arbitrantur. Bollandiani litem hoc modo dirimere voluerunt, ajentes nimirum, veriorem esse Echardi sententiam, si de nomine ipso Inquisitoris quæratur, contra vero si quæstio sit de potestate inquirendi in hæreticos, in qua totum est positum officium, ac dignitas Inquisitoris, dubitari non posse, quin primum Cistercienses, posteaque S. Dominicus eo munere functi sint. Verum eruditi Annalium Ord. Præd. Scriptores ad ann. 1207 n 19 seq., certamen integrarunt, defendentes, primum Inquisitorem fuisse S Dominicum, laudantque testimonium Petri Cali nobilis, ac vetusti scriptoris, graviterque, et copiose contraria argumenta refutanda susceperunt. Meum non est in hac tanta, quæ inter doctissimos viros agitur, controversia judicium interponere. Hoc tantum dicam, non satis exploratum videri, quod propter hæresim Albigensium Inquisitionis Tribunal primum constitutum, quale nunc est, ac plane firmatum fuerit. Res fere, ut in ceteris evenire solet, à quibusdam veluti rudimentis profecta, denique omnino stabilita, absolutaque est. Itaque jam ab anno 1227. Conrado Marpurgensi ex Ord. Præd. à Gregorio IX. munus Inquisitoris ad capiendos, condemnandos, ac postremo judici sæculari tradendos hæreticos commisum fuit, uti patet ex Bullario Ord. Præd. t. 1 p. 20 const. 7. Eodem anno Joanni Salernitano ex Ord. Præd. officium inquirendi in hæreticos datum est, uti patet ex Bulla Gregorii IX. apud Anal. Ord. Præd. p. 203 in Not., deinceps-que annis consequentibus in plurimis regionibus Inquisitio constituta est, qua de re videndi sunt laudati Annales Ord. Præd. p. 20, 57, 38, 45, 47, Spondanus ad an. 1228 n. 11 t. 1 p. 101 et ann. 1254 n. 3 p. 116 et ann. 1256 n. 17 p. 209 ed. Lugdun. 1678, Paramus de Orig. Inquisit. l. 2 tit 2 c. 2 n. 7 et seq. et c. 51 n. 10, Albitius Risposta all' istoria dell' Inquisizione pluribus locis. Qui his Tribunalibus per totum orbem diffusis præpositi erant, in gravioribus quibusque negotiis aut literas dabant ad Summum Pontificem, aut ad eum veniebant, ut ejus consilio, et auctoritate rem omnem expedirent. Licet enim initio nondum ea, quæ nunc est, Supremæ Inquisitionis Congregatio instituta esset, tamen aut ipse Pontifex rebus præerat auctoritate, et judicio suo, aut Cardinalem aliquem eligebat, qui rerum omnium curam gereret. Ita Urbanus IV. an. 1263. Cardinalem S. Nicolai in carcere Tulliano generalem Inquisitorem constituit, ut ex vetusto Bononiensi authographo deprehendit Pegna in Direct. inquis. par. 3 comm. 11; similiter Nicolaus III Cardinalem Latinum Ursinium consanguineum suum, Clemens IV. Cardinalem Guillelmum Tholosanum Inquisitorem creavit, ut testatur Paramus Decret inquisit. tit. 2 c. 2 n. 11, atque id quidem à ceteris quoque Summis Pontificibus factum fuisse, credibile est. Decessorum suorum consuetudinem sequutus Paulus III, et Inquisitionis utilitati consulens an. 1542 edita constitutione *Licet ab initio* 41 in Bullar. Rom. t. 4 par. 1 p. 211, sex Cardinales elegit, qui in universa christiana Republica super negotiis fidei Commisarii essent, ac generales Inquisitores, atque hunc Cardinalium cœtum, seu Congregationem præesse voluit ceteris Tribunalibus ea de re institutis, ad eamque ardua quæque referri, ut ita singula membra cum suo unitatis centro copulentur. Quam Pauli constitutionem PIUS IV et V. confirmarunt, quorum alter duos addidit Cardinales, idque deinceps SIXTO V. probatum est in Const. *Immensa* 113 Bullar. Roman. t. 4 par. 4 p. 392 Atque hi sunt octo Cardinales, qui præside ipso Romano Pontifice, ac pluribus spectatæ fidei, et doctrinæ ministris stipati, Congregationem conficiunt, quam S. Officii, aut Supremæ Inquisitionis vocamus, et cujus munera, partesque describit Cardinalis de Luca in Relat. Cur. Roman.

4. Sed ut his Inquisitoribus in re tam gravi, qualis est integritas fidei, ea sit copulatio, conjunctioque animorum, ac sen-

tentiarum, quæ cum Sede Apostolica, centroque unitatis esse debet, Romæ à Summis Pontificibus institutus est cœtus, seu Congregatio Cardinalium, cui ipse Pontifex præest, et quæ præter ministros, plures habet consultores spectatæ integritatis, atque doctrinæ, quorum opera, atque consilio utuntur Cardinales, ut enucleatius, et diligentius difficiliora quæque expediantur. Hæc Congregatio præest omnibus Inquisitoribus, qui per totum orbem diffusi sunt, atque ad eam cuncti deferunt difficiliora quæque negotia, ut ejus auctoritate, et judicio finiantur. Quod recte, atque sapienter constitutum est, cohæretque muneri, et potestati Summi Pontificis.

5. Nam cum esse unitatis centrum, et caput Ecclesiæ, eique à Christo Domino datam fuisse Christianos omnes pascendi, docendi, regendi, gubernandi plenam potestatem (1); et ad Romanam Ecclesiam *propter potiorem principalitatem* Ecclesias omnes convenire oportere (2), inter catholicos constat. Quare in unum commune centrum convenire debent ii, ad quos in singulis regionibus fidei custodia pertinet, et quorum est errores in fidem avertere.

(1) Joannes XXV. 15. Synodus Florentina in Definit. t. 18 Concil. col. 526 Collect. Labbæi.
(2) S. Irenæus l. 3 Contra Hæres. c. 3 t. 1 ed. Ven. p. 175.

6. Haud tamen Inquisitoris munus quidquam detrahit Episcopi officio, et potestati. Nam ejus in primis est curam gerere particularis Ecclesiæ, quam regendam accepit. Ergo et ipse fidei integritati consulere debet, atque in errores inquirere, et dare operam diligenter, ne quis è populo sibi commisso à vera, et catholicæ Ecclesiæ probata doctrina abducatur. Officium hoc, et hæc potestas Episcopo non adimitur per Inquisitores (1), sed hi instituti sunt, ut ei opem ferant, ut quas ipse neglexit, partes expleant, ut pluribus subjecta oculis tutior sit integritas fidei, ut qui unam particularem, et qui totam universalem Ecclesiam regit, simul collatis consiliis, et opibus, custodiant Religionem, qua nihil Christiano homini antiquius esse debet.

(1) Illud in primis Episcopi est curare diligenter, ne qui contra orthodoxam doctrinam in diœcesim irrepat error; quod diserte scripsit Apostolus l. ad Timoth. c. 3 et ad Titum c. 1. Itaque nemo dubitat, quin præsertim ad Episcopum pertineat in hæreticos inquirere, atque in eos, qui obfirmato animo in errore perseverant, meritis pœnis animadvertere. Hoc Episcopi officium expressit Auctor epistolæ ad Episc. Gall. atque Hispan. apud

Labbæum Concil. tom. 1 col. 745 ed. Ven., quæ Lucii P. nomen præserfert, revera tamen alium habet auctorem, uti ostendit Berardus *Gratiani canones genuini etc.* par. 2 c. 20. Idem statuit Concilium Remense an. 625, vel 630, can. 4 apud Labbæum tom. 6 concil. col. 1433; ac ne multis utar in re satis nota, Concilium Lateranense IV, c. 3 apud eumdem Labbæum t. 15 col. 938 decrevit, ut Episcopi singulis annis vel per se, vel per Archidiaconos diœcesim lustrent, quærantque diligenter, num in ea latitet aliquis hæretica contagione infectus; qui vero hoc officium neglexerint, tamquam gravioris flagitii rei, ac minus digni Episcopatu è gradu dejiciuntur. Lapsu temporum à Sede Apostolica institutum est Tribunal Inquisitionis, sed non ideo Episcopi soluti sunt onere, aut iis ademto facultas est in hæreticos inquirendi, sicuti declaravit Bonifacius VIII. in c. 17 de Hæret. in 6. Nam quivis Episcopus omni ope, et opera eniti debet, ut pestis hæreseos à sua diœcesi arceatur, idque unum cavere, ut ubi sunt fidei Quæsitores ab Apostolica Sede constituti, nullum ipsis impedimentum inferat, quominus suum munus exercere possint, sed pari studio, et animorum consensione uterque debet in tam salutare opus incumbere, servata lege, quæ datur in cit. c. 17, et in Clement. 1 cod. tit., et in Extravag. 1 de Hæret. int commun. Porro tam Inquisitor, quam Episcopus potest resipiscenti hæretico aut ad se sponte venienti, aut ad suum forum adducto veniam attribuere, et pro utroque foro laxare censuram, in quam propter hæresim incidit; et potest etiam eumdem hæreticum, postquam suos ejuravit errores, mittere ad simplicem Confessarium, à quo in foro pœnitentiæ absolvatur, quæ absolutio etiam in foro externo prodest. Id ostendit Benedictus XIV. de Synod. diœces. l. 9 c. 4 n. 3, qui deinceps num. 5 seq. illam expendit controversiam, num Episcopus in foro pœnitentiæ absolvere possit reum hæreseos externæ occultæ, quæ nondum ad ejus forum delata est.

7. Fuere semper, et nunc sunt, qui Tribunal Inquisitionis ægre ferant. Nam iis, quibus nulla, aut erroribus infuscata religio est, qui libere genio indulgere cupiunt, vitæque licentia delectantur, nonnisi grave, et molestum esse potest tribunal, quod religionem, ejusque sanctitatem, integritatemque custodit, quod errores avertit, quod improbam licentiam coercet (1). Atque hi crudelitatis accusant Inquisitionem, quasi plures ejus jussu dirum in modum necati fuerint. Verum ab judicibus sæculi ex legibus Principum, non à ministris sacrorum reis hæreseos supplicium fuit constitutum (2). Quod quidem merito factum est, tum ut Principes tueantur religionem, quam imperio potiorem habere debent, tum ut comprimant audaciam eorum, qui in civili republica turbas excitant, ejusque statum pervertunt.

(1) Mitto generatim hæreticos omnes, quorum in tribunal Inquisitionis magnæ sunt, semperque erunt querelæ, atque calumniæ, et his quidem non parcunt etiam aliqui, qui se catholicos profitentur. Præsertim vero ægre ferunt, atque reprehendunt Tribunal Inquisitionis Voltairius, Rousseus, Bulangerus, Sarpius, Giannonius, Montesquieus Esprit de loix liv. 25 chap. 13, et liv. 26 chap. 11, Auctor libelli, cui titulus Le manuel des Inquisiteurs,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Scriptores Enciclopediæ verb. Inquisit., Cavallarius Inst. Canonic. par. 3 c. 15, Eybelius libello *Quid est Papa?* quem postremum contra tribunal Inquisitionis imprudenter garrientem, gravissime exagitat Cl. Mamachius ep. 3 §. 22 t. 1 p. 304 et seq.

(2) Concilium Lateranense IV. can. 3 t. 13 concil. col. 926. Collect. Labbæi, « Damnati, inquit, hæretici sæcularibus potestatibus, aut eorum balivis relinquantur, animadversione debita puniendi. » Eodemque recidit, quod à Gregorio IX. contra Patatenos constitutum est t. 7 concil. p. 163. Collect. Harduini. Leges autem Imperatorum, quibus contra hæreticos capitales pœnæ indicuntur, multæ sunt, et huc porro spectant leges Constantini M. apud Socratem Histor. l. 1 c. 9 p. 31, et Sozomenum l. 1 c. 21 p. 40 cit. ed Cantabrig., Theodosii M. quæ est L. 9 Cod. Teod. de Hæret., Arcadii, quæ est L. 54 Cod. eod. Theodossi Jun. p. 3 Actor. Synod. Ephesinæ t. 3 concil col. 1605 collec. Labbæi, Marciani par. 3 Act. Synod. Chalced. c. 6 t. 4 col. 1786. Istis quidem legibus contra hæreticos, eorumque fautores capitales pœnæ constituuntur. Erunt igitur crudelitatis accusandi Imperatores, qui leges illas tulerunt, et quorum omnium historiæ monumentis celebrata pietas, mansuetudoque est; sed nulla hujusmodi accusatio cadere potest in Inquisitores, qui nunquam tale aliquid commiserunt. Quod de ceteris pœnis, nimirum de gravissimis jejuniis, de flagellationibus, de aliquot precum formulis ad recitandum propositis jactant Limborchius, homo de Remonstrantium secta, Hist. Inquisit. l. 1 c. 10 p. 40 ed. Amstelæd 1692, aliique similes, id certe nihil immanitatis habet. Sunt enim omnia multo leviora iis, quæ prioribus Ecclesiæ sæculis ob multo minora crimina pœnitentibus imponi consueverunt; neque aliquis qui recte sentiat, immanes, dirosque prædicet antiquos Patres, qui eas pœnas constituerunt Quod si etiam interdum alicui videatur paulo severius actum ab Inquisitoribus, id quidem pietati, curandæque communis salutis sollicitudini, non crudelitati tribuendum est. S. Augustinus Ep. 91 ad Sixtum E. R. Presbyterum in fine opp. t. 2 col. 709 ed. Ven. 1729 » Profuit diu ista districtio, inquit S. Leo M Ep. 15 ad Turibium Asturicen. præf col. 696 t. 1 opp. ed. Ballerin. Ven. 1755, Ecclesiasticæ lenitati, quæ etsi sacerdotali contenta judicio, cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum Principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spirituale nonnumquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Ex quo autem inter Sacerdotes Dei difficiles commeatus, et rari cœperunt esse conventus, invenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem, et ad multarum mentium subversionem his malis est incitata, quibus debuit esse correcta.» Ac Synodus incerti loci in Gallia habita anno circiter 860 t. 5 concil. p. 672 Collect. Harduini, « Lege, inquit, l. 16, Legis Romanæ, lege decreta Damasi; percurre Leonis epistolas, et ceterorum Pontificum de diversis conciliis ad Imperatores transmissas; revolve Augustorum edicta de hæreticis ad petitionem Pontificum promulgata; scrutare Cæsarum nostrorum capitula, et invenies, quantum profuerit, atque prosit legum severitas non solum ecclesiasticæ lenitati, verum totius christianitatis optandæ paci, et colendæ tranquillitati. » Quod si in eos, qui monetam adulterant, aut aliorum graviorum criminum rei sunt, licet Principi capitis pœnam constituere, cur non eadem pœna constitui poterit adversus eos, qui adulterant, atque corrumpunt sanctissimam religionem, extra quam nemo æternam salutem consequi potest?

8. Ministri sacrorum tantum quærunt integritatem fidei, et salutem animarum; et ideo suis pœnis hoc tantum propositum

habent, ut pravæ unius, alteriusve hominis opiniones aliis minime noceant, atque ut ii, qui in errorem delapsi sunt, eum agnoscant, ac detestentur. Qua in re quis reprehendat Inquisitores, quod omni ope, et opera enituntur, ut arceatur error ab iis, qui integra fide sunt? Qui vero in errore sunt, non vi coguntur amplecti religionem, sed potius metu pœnæ ab errore deterrentur, ut divino præsidio adducantur ad colendam amore veritatem, quam in discrimen revocaverant (1).

(1) Vetus hæc est conquestio Donatianorum, ajentium, pœnas in hæreticos non esse constituendas, quoniam amore, non vi colenda religio est. Sed horum ineptiis satisfecit Augustinus Ep. 89 ad Festum et Ep 185 ad Bonifac. opp. t. 2 col. 219 et seq. et col. 643 et seq. ed. Ven. 1729. Valdensium quoque, præterea Catharorum, Beguardorum, Wicleffitarum, Hussitarum opinio erat, quod Deus non vult pseudo apostolos, et hæresiarchas extingui, sed tolerari, si forte resipiscant, et è zizaniis vertantur in triticum Quod si non resipiscant, serventur suo judici, cui pœnas dabunt aliquando. » Quem errorem damnavit Synodus Senonensis an. 1528 t. 19 conc col. 1178 cit. coll. extatque hic error n. 35 in eo, quem Synodus ipsa exhibet *ibidem*, indiculo. Confer etiam ejusdem Synodi *exhortationem ad Principes Christianos de elaborando pro hæreticis exterminandis* col. 1180 ibid.

9. Quod si aliqui Inquisitores fuerunt aliquando, qui aut decepti, aut auctoritate sua abusi sunt, id quidem unius, alteriusve hominis, non Tribunalis vitium est. Fuere pluries ex Magistratibus, qui in civium perniciem converterunt potestatem, quam in eorum utilitatem acceperant; an ideo Magistratus omnes abrogandos putabis? Munus Inquisitoris semper committitur viris, quorum spectata habetur integritas, atque doctrina; si quis forte eorum, qui tam gravi funguntur munere, huic deest, superior extat, cujus imperio, et auctoritate omnis mali causa removetur, et qui pares noxæ pœnas repetit ab Inquisitoribus, qui suo muneri defuerunt (1). Alicubi cum auctoritate Sedis Apostolicæ Assessores etiam adstant è numero laicorum, per quos eorum quoque, quæ ad civilem rempublicam pertinent, ratio habetur.

(1) Vide Eymericum Direct. par. 2 c. 1 p. 112 edit. Rom. 1587 et pluribus aliis locis, ibique Pegnam, et Albitium in cit. *Risposta all' Istoria dell' Inquis.* di F. Paolo p. 77 seq.

10. Est etiam reprehensionis causa injusta, et inanis, quod Inquisitores sunt Regulares, qui forte partium studiis abripi posse videntur. Principio, quid vetat Summum Pontificem, qui omnium Ecclesiarum curam, et solicitudinem gerit, ex Regularibus familiis, quæ optime de re Christiana meritæ sunt, ac

sæpe functæ, cum magna laude sua, et aliorum utilitate, amplissimis, difficillimisque legationibus, eligere viros doctos, et probos, quorum consilio, auctoritate, sapientia ubique integra Religio conservetur? Deinde ab Hispanica Inquisitione Regulares absunt; ubi autem hi sunt, haud ipsis quidlibet audere licet, cum subsint Supremæ Inquisitioni, cui Pontifex ipse præest, pœnisque gravissimis provisum sit, ne quis eorum à recta judiciorum methodo, à legibus, à veritate, et æquitate discedat.

11. Jam ad tribunal Inquisitionis, omnes, quibus nota res est, hæreses, atque hæreticos, aut suspectos hæreseos deferre, atque accusare debent. Quod quidem consentaneum est Apostoli præcepto, et legibus, cum quibus omnis bene constituta respublica administratur. Nam Apostoli præceptum est (1), ut omnes *attendant iis, qui dissensiones faciunt, et depositum fidei pervertunt*, et hinc merito in causa Religionis unumquemque Christianum militem esse oportet, ut in reos Majestatis, et publicos hostes omnis homo miles est (2). Leges autem cujusque reipublicæ bene constitutæ sunt, ut omnis civis Magistratui significare debeat, si quis studeat rebus novis, si in republica turbas excitet, si quid in publicam salutem, tranquilitatemque moliatur, si qui patriæ proditor sit. An quod in civili republica sapientissimis legibus sancitum est, non etiam faciendum erit in republica ecclesiastica, quam suis erroribus hæretici perturbant, et in extremum pene discrimen adducunt?

(1) Epist. ad Rom. XVI, 17 seq.
(2) Tertullianus Apologetici c. 2 p. 3 ed. Ven. 1744.

12. Admittuntur ad accusandum, atque ad ferendum testimonium etiam infames; quoniam omni ope enitendum est, ut tam grave crimen, quod Deum ipsum, ejusque religionem oppugnat, coerceatur. Ob læsam majestatem humanam infames quoque accusant, dicuntque testimonium; an non idem adversus reos læsæ majestatis divinæ jus recte constituetur? Nihil vero metuendum est ex vitio accusatoris, aut testium; primum quia pœnarum severitate provisum est, ne quis falso accuset, aut testimonium ferat (1); deinde quia nemo accusatoris, ac testium minus idoneorum fide condemnatur. Hæc testimonia, et accusatio faciunt, ut Inquisitores in denunciatum intentos habeant oculos, atque ut quærant diligenter, qui ejus mores, quæ vita, doctrinaque sit, et cum re diu multumque quæsita, ex certis monumentis evidenter constat, aliquem talem revera esse, qua-

lis accusatus est, tum demum contra eum, non propter vitiosos testes, aut accusatorem, sed propter certissimas probationes judicium emittitur.

(1) Adversus falsos accusatores, aut testes, præter spirituales, temporales etiam, eæque gravissimæ pœnæ sunt constitutæ. Celebris in primis ea de re est constitutio *Intellexímus* 32, Leonis X. data ad Hispaniæ Quæsitores anno 1518 in Bullar. Roman t. 3 par. 3 p. 465. Neque vero has pœnas declinare potest quisquis falsam detulit accusationem aut falsum testimonium dixit. Nam quævis accusatio, et quodvis testimonium Inquisitoris excitat diligentiam, ut magno studio, atque cura veritatem quærat. Necessario autem invenienda veritas quærendo est. Unum autem de duobus effici debet, aut ut verum constet esse crimen, et tunc vera accusatio, itemque vera testimonia sunt: aut contra crimen est falsum, et tunc de falso accusatore, falsisque testibus pœna sumitur. Si ad hæc advertisset Cavallarius Inst. Canon. par. 3 c. 15 §. 8, haud certe exagitasset Tribunal Inquisitionis, quod omnes ad accusandum, atque ad dicendum testimonium admittat. Nemo enim propter hanc accusationem, aut testimonium condemnatur, et sunt inanitatis plenissima illa ejus verba: « Quæ enim æquitas, quæ justitia esse potest, ubi indiscriminatim omnes ad accusandum, ubi omnes ad dicendum testimonium admittuntur? »

13. Accusatoris autem, ac testium nomina non divulgantur, atque omnibus arcani sacramentum impositum est. Id vero sapienter est constitutum, ut omnis accusatorum, ac testium invidia, metusque arceatur, ut procul absit gratia, favor, seductio, ut liberius judices sententiam ferant, et magis tutum judicium sit. Accedit, quod rerum bene gerendarum anima arcanum est; et ideo in civilibus quoque negotiis, quæ graviora, et difficiliora sunt, arcani lex observatur.

14. In expendendis causis, judicandisque personis nihil est, quod non plane consonum æquitati sit. Nam mentiuntur, qui etiam hominum cogitationes ab Inquisitione judicari inquiunt (1), qui reos per fraudem, et dolum adduci existimant ad confitendum crimen, quod nunquam admiserunt, qui eos habere negant defensiones, et beneficium appellationis, per quam editæ sententiæ error emendetur. Tantum qui exteriori actu religionem violarunt, pœnas luunt, nulla contra ipsos vis, fraus, dolus adhibetur, suas iidem habent defensiones, et eas sane accuratas, habentque beneficium appellationis ad Supremam Inquisitionem, per quam omne, si quod immerito illatum est, damnum removetur. Imo ea Inquisitionis mansuetudo, et lenitas est, ut qui sponte denunciat crimen suum, et qui illud ab alio accusatus confitetur, ac detestatur, non alias sufferat pœnas, quam quæ sunt ad salutem animæ comparatæ (2).

(1) Atque adeo falsum est, ab Inquisitoribus etiam hominum cogitationes judicari, ut quivis Confessarius facultatem habeat absolvendi ab hæresi tantum interna, ac sola mente concepta, quæ nullo exteriori signo patefacta est. Nam in hæresi Summo Pontifici reservatum est jus dandæ veniæ propter censuram, quæ hæresi adjuncta est. Verum Ecclesia sicuti non potest per se directe, et immediate præcipere, aut prohibere actum mere internum, quæ communis est Theologorum sententia, uti docet S. Thomas, 1, 2 qu. 91 art. 4 quæst. 100 art. 9, ita non potest censuram constituere in hæresim, quæ exteriori actu manifeste deprehensa non sit. Consule Benedictum XIV. de Synod. diœces. l. 9 c. 4 n. 4.

(2) Confer Pasqualonium *Prattica del S. Offizio*.

15. Inquiritur in omnes Catholicos, qui in religionem criminis rei facti sunt; exceptis Principibus, Cardinalibus, Episcopis, quorum ea de re crimina ad Summum Pontificem ab Inquisitoribus referuntur. Judæi, et omnes, qui in hæresi, aut in schismate nati, educatique sunt, et in ea regione tolerantur, dummodo contra catholicam religionem nihil agant, Inquisitorum judicio non subjiciuntur. Qui aliquid contra catholicam religionem moliuntur, ii tantum propter hoc crimen, non propter nativam hæresim, aut schisma meritis plectuntur pœnis. Non enim ferendi sunt, qui Principis beneficium, propter quod in ea regione vitam traducere possunt, convertunt in perniciem populi, et religionis, quæ in civitate dominatur (1).

(1) Confer S. Thomam 2, 2 qu. 10 art. 9 ad 2 ac vide etiam Cardinalem Albitium cit. Risposta p. 143 et seq., qui solide contra Sarpium tuetur, quæ à Gregorio XIII ea de re constituta sunt.

16. Sed non tantum contra hæreticos, et omnes, qui à fide defecerunt, judicium exercet Tribunal Inquisitionis, verum etiam contra illos, qui facinus aliquod, quod manifestam hæresim sapiat, admiserunt. Huc sane spectant divinationes, sortilegium, blasphemia hæreticalis, poligamia simultanea, abusus sacramentorum, sacrarum imaginum injuria; quæ crimina Deum oppugnant, et catholicam veritatem, gravemque afferunt hæreseos suspicionem. Similiter qui libros damnatos legunt, aut vendunt, qui contra Ecclesiæ præcepta vetitis vescuntur cibis, erroris, aut pravæ voluntatis suspicionem ingerunt; et ideo judicium Inquisitionis subeunt (1). Quo judicio tenentur etiam Sacerdotes, qui aliquem in Sacramentali confessione ad turpia sollicitant (2), quique à pœnitentibus exquirunt nomina eorum, quos criminis socios habuerunt (3); quoniam hi sacramenti dignitate, ac sanctitate abuntur.

(1) Consule Cardinalem Albitium l. cit p. 125 et seq. p. 131 et seq. p. 218 et seq. et p. 246, ubi de his omnibus præsertim contra Paulum Sarpium solide disputatur.

(2) Benedictus XIV. Const. *Sacramentum Pœnitentiæ* 20 t. 1 ejus Bullar. p. 30 ed. Ven. 1754.

(3) Benedictus XIV, Const. *Ubi primum* 8. p. 33; et Const. *Ad eradicandum* 20 p. 87 t. 2.

* Quod Hispanicam *Inquisitionem* spectat, ejus originem describunt notæ 1 et 2 tit. 7 lib. 2 *Novis. Compil.*, in quo speciatim de ipsius tribunalibus agitur. De ea etiam legendum laudatum Jac. Balmes opus: *El Protestantismo comparado con el Catolicismo*, capp. 36 et 37, ac not. 10 tom. 2.

Inquisitionis institutio, Reg. decreto 15 Julii 1834, quod ad Hispaniam attinet, suppressa fuit.*

TITULUS IX.

DE SIMONIA.

1. SIMONIA QUID?—2. EJUS DIVISIO.—3. QUOMODO COMMITTITUR?—4. AN ET SIT LOCUS SEMPER, CUM DATA PECUNIA EST?—5. RES SPIRITUALES, QUÆ PRÆTIO DARI NEQUEUNT.—6. SPONTE OBLATA SIMONIAM NON INDUCUNT.—7. CAUTIO IN HIS OBLATIONIBUS ADHIBENDA —8. SIMONIA PALLIATA.—9. REDEMPTIO VEXATIONIS.—10 AD 12. PŒNÆ IN SIMONIACOS.—13 ET 14. AN PROPTER INGRESSUM IN RELIGIONEM, ET PROFESSIONEM RELIGIOSAM QUIDQUAM DARI POSSIT?—15. PŒNÆ PROPTER SIMONIAM CONFIDENTIALEM.

1.

PROXIMUM hæresi crimen ecclesiasticum est simonia, quam passim canones *simoniacam hæresim* appellant (1). Nomen accepit à Simone Mago, qui primus in lege Evangelica hujus sceleris auctor fuit; eaque committitur, cum quis pecunia, vel re alia, quæ pretio æstimatur, dat, vel accipit rem spiritualem, aut spirituali annexam. Quin etiam animo contrahitur simonia, quæ *mentalis* dicitur, cum quis per simulationem officii aliquid offert collatori, spe beneficii ab eo impetrandi; sed hæc simonia cum intus lateat, non mortalem judicem, sed solum Deum habet ultorem (2).

(1) Can. 3, 11, 13, 20, 21, 28, 105, 117 c. 1 qu. 1 cap. 32 de Simon. Tertullianus Apolog. cap. 13 p. 13 edit. Ven. 1744. ethnicos deorum, quos se colere profitebantur, revera contemptores, et irrisores fuisse demonstrat, quia nimirum illos vendebant.

(2) Cap. 33 et 34 de Simonia.

2. Est igitur, quæ humanis punitur legibus, simonia vel conventionalis, vel realis, vel confidentialis. Conventionalis est,

(1) Atque adeo falsum est, ab Inquisitoribus etiam hominum cogitationes judicari, ut quivis Confessarius facultatem habeat absolvendi ab hæresi tantum interna, ac sola mente concepta, quæ nullo exteriori signo patefacta est. Nam in hæresi Summo Pontifici reservatum est jus dandæ veniæ propter censuram, quæ hæresi adjuncta est. Verum Ecclesia sicuti non potest per se directe, et immediate præcipere, aut prohibere actum mere internum, quæ communis est Theologorum sententia, uti docet S. Thomas, 1, 2 qu. 91 art. 4 quæst. 100 art. 9, ita non potest censuram constituere in hæresim, quæ exteriori actu manifeste deprehensa non sit. Consule Benedictum XIV. de Synod. diœces. l. 9 c. 4 n. 4.

(2) Confer Pasqualonium *Prattica del S. Offizio*.

15. Inquiritur in omnes Catholicos, qui in religionem criminis rei facti sunt; exceptis Principibus, Cardinalibus, Episcopis, quorum ea de re crimina ad Summum Pontificem ab Inquisitoribus referuntur. Judæi, et omnes, qui in hæresi, aut in schismate nati, educatique sunt, et in ea regione tolerantur, dummodo contra catholicam religionem nihil agant, Inquisitorum judicio non subjiciuntur. Qui aliquid contra catholicam religionem moliuntur, ii tantum propter hoc crimen, non propter nativam hæresim, aut schisma meritis plectuntur pœnis. Non enim ferendi sunt, qui Principis beneficium, propter quod in ea regione vitam traducere possunt, convertunt in perniciem populi, et religionis, quæ in civitate dominatur (1).

(1) Confer S. Thomam 2, 2 qu. 10 art. 9 ad 2 ac vide etiam Cardinalem Albitium cit. Risposta p. 143 et seq., qui solide contra Sarpium tuetur, quæ à Gregorio XIII ea de re constituta sunt.

16. Sed non tantum contra hæreticos, et omnes, qui à fide defecerunt, judicium exercet Tribunal Inquisitionis, verum etiam contra illos, qui facinus aliquod, quod manifestam hæresim sapiat, admiserunt. Huc sane spectant divinationes, sortilegium, blasphemia hæreticalis, poligamia simultanea, abusus sacramentorum, sacrarum imaginum injuria; quæ crimina Deum oppugnant, et catholicam veritatem, gravemque afferunt hæreseos suspicionem. Similiter qui libros damnatos legunt, aut vendunt, qui contra Ecclesiæ præcepta vetitis vescuntur cibis, erroris, aut pravæ voluntatis suspicionem ingerunt; et ideo judicium Inquisitionis subeunt (1). Quo judicio tenentur etiam Sacerdotes, qui aliquem in Sacramentali confessione ad turpia sollicitant (2), quique à pœnitentibus exquirunt nomina eorum, quos criminis socios habuerunt (3); quoniam hi sacramenti dignitate, ac sanctitate abuntur.

(1) Consule Cardinalem Albitium l. cit p. 125 et seq. p. 131 et seq. p. 218 et seq. et p. 246, ubi de his omnibus præsertim contra Paulum Sarpium solide disputatur.

(2) Benedictus XIV. Const. *Sacramentum Pœnitentiæ* 20 t. 1 ejus Bullar. p. 30 ed. Ven. 1754.

(3) Benedictus XIV, Const. *Ubi primum* 8. p. 33; et Const. *Ad eradicandum* 20 p. 87 t. 2.

* Quod Hispanicam *Inquisitionem* spectat, ejus originem describunt notæ 1 et 2 tit. 7 lib. 2 *Novis. Compil.*, in quo speciatim de ipsius tribunalibus agitur. De ea etiam legendum laudatum Jac. Balmes opus: *El Protestantismo comparado con el Catolicismo*, capp. 36 et 37, ac not. 10 tom. 2.

Inquisitionis institutio, Reg. decreto 15 Julii 1834, quod ad Hispaniam attinet, suppressa fuit.*

TITULUS IX.

DE SIMONIA.

1. SIMONIA QUID?—2. EJUS DIVISIO.—3. QUOMODO COMMITTITUR?—4. AN ET SIT LOCUS SEMPER, CUM DATA PECUNIA EST?—5. RES SPIRITUALES, QUÆ PRÆTIO DARI NEQUEUNT.—6. SPONTE OBLATA SIMONIAM NON INDUCUNT.—7. CAUTIO IN HIS OBLATIONIBUS ADHIBENDA —8. SIMONIA PALLIATA.—9. REDEMPTIO VEXATIONIS.—10 AD 12. PŒNÆ IN SIMONIACOS.—13 ET 14. AN PROPTER INGRESSUM IN RELIGIONEM, ET PROFESSIONEM RELIGIOSAM QUIDQUAM DARI POSSIT?—15. PŒNÆ PROPTER SIMONIAM CONFIDENTIALEM.

1.

PROXIMUM hæresi crimen ecclesiasticum est simonia, quam passim canones *simoniacam hæresim* appellant (1). Nomen accepit à Simone Mago, qui primus in lege Evangelica hujus sceleris auctor fuit; eaque committitur, cum quis pecunia, vel re alia, quæ pretio æstimatur, dat, vel accipit rem spiritualem, aut spirituali annexam. Quin etiam animo contrahitur simonia, quæ *mentalis* dicitur, cum quis per simulationem officii aliquid offert collatori, spe beneficii ab eo impetrandi; sed hæc simonia cum intus lateat, non mortalem judicem, sed solum Deum habet ultorem (2).

(1) Can. 3, 11, 13, 20, 21, 28, 105, 117 c. 1 qu. 1 cap. 32 de Simon. Tertullianus Apolog. cap. 13 p. 13 edit. Ven. 1744. ethnicos deorum, quos se colere profitebantur, revera contemptores, et irrisores fuisse demonstrat, quia nimirum illos vendebant.

(2) Cap. 33 et 34 de Simonia.

2. Est igitur, quæ humanis punitur legibus, simonia vel conventionalis, vel realis, vel confidentialis. Conventionalis est,

quæ tantum pacto constat, sed tamen nulla, vel ex una solum parte rei traditio accessit. Realis est, quando ad pacta factum ipsum accessit, hoc est numerata pecunia, ac per eam spiritualia sunt data, atque hujus criminis rei sunt, non modo contrahentes, sed etiam interpretes, quos *mediatores* vocamus, sponsores, depositarii. Denique confidentialis simonia contrahitur, cum quis beneficium recipit, ut ejus fructus alteri reddat, aut certo post tempore titulum restituat; aut cum usque ad certam infantis ætatem alicui beneficium tribuitur, ut illud ipse deinceps in adultum transferat. Item reservatio pensionis sine superioris auctoritate, et beneficii renunciatio, servato ad idem regressu, ceteraque hujusmodi pacta, quæ *fiduciaria* vocamus, ad simoniam confidentialem pertinent (1).

(1) Concilium Tridentinum sess. 25 c. 7 *de Reform.* Pius IV. Constit. *Romanum Pontificem* t. 4 par. 2 p. 191 Bullar. Roman., S. Pius V. Constit. *Intolerabilis* 117 t. 4 par. 3 p. 67.

3. Tribus modis committitur simonia: munere à *manu*, ab *obsequio*, à *lingua* (1); nam his omnibus modis datur pecunia, vel res, quæ pretio æstimatur. Munere *à manu* simoniacus est, qui res sacras emit, aut vendit pecunia, cujus nomine continetur quidquid homines in terra possident (2). Munere *ab obsequio* simoniacus habetur, qui subjectione, vel servitute indebite impensa res sacras obtinet (3); nam hujusmodi obsequium pretio æstimatur. Denique munere *à lingua* admittitur simonia, cum quid spiritualis, aut quasi iis detur, pro quibus *majorum quispiam rogaverit* (4). Quod adeo verum est, ut simoniacus apud Deum sit, qui digno quidem viro rem spiritualem attribuit, sed tamen gratia, aut metu rogantis, non pro illius merito; contra simoniæ vitium abest, cum preces potentiorum tantum movent Antistitem ad inquirendum in viri merita, et inde non ob preces, sed ob vera merita accipientis, beneficium confert (5).

(1) Can. 114 c. 1 qu. 1, et can. 8 c. 1 qu. 3. Eamdem hanc sententiam expressit Concilium Aquisgranense an. 816 can. 38 apud Labbæum t. 9 concil. col. 446; et multo ante divisionem ipsam non obscure innuit S. Hieronymus in Ep. ad Tit. c. 1 vers. 5 opp. t. 7 par. 1 col. 694 ed. Vallarsii Ven. 1769, cujus locum describit Gratianus can. 6 c. 8 qu. 1. Confer etiam S. Thomam in 4 sentent. dist. 25 qu. 3 art. 5, et 2, 2 qu. 100 art. 5.

(2) Ita loquitur Augustinus can. 6 Caus. 1 qu. 3. Ad hoc quidem simoniæ genus pertinent c. 11 et 20 de Simon. et c. 6 de Pactis.

(3) Sic Gregorius M. cit. can. 114. Aulici quidam clerici Petro Damiano suppares, licet indebitis obsequiis beneficia inhiarent, se tamen simoniacos

non existimabant, quod pecuniam non darent. Eos ita reprehendit Petrus Damianus Ep. ad Episcop. Card. Ep. 1. p. 26 opp. ed. Paris. 1664: « Dic mihi, ó clerice, quisquis es, si redempto quolibet aureo vase, vel prædio, distractor exigeret, ut retenti apud te vice pretii, hujusmodi sibi sedulitatis impendium exhiberes, numquid non postmodum constanter assereres, te, quod acceptum est, justo pretio comparasse? » Vide etiam S. Anselmum Ep. 44 p. 383 ed. Paris. 1675. Recte igitur, atque sapienter S. Carolus Borromeus in Concil. Mediolanen. II. Const. advers. simoniacos n. 13 monet, rogatque Episcopos, ut certam familiaribus suis mercedem constituant, ne quis eorum tamquam suæ pretium operæ ecclesiastica beneficia quærat.

(4) Can. 6 Caus. 8 qu. 1. S. Thomas 2, 2 qu. 100 art. 5. « Si aliquis principaliter, inquit, ad hoc intendit, simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit: unde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porriguntur, ipsum factum non est simoniacum; quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid confertur; tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum. »

(5) S. Thomas cit. qu. 100 art. 5.

4. Cum autem simoniace acta res est, nihil refert, num ille, qui rem spiritualem, aut quasi spiritualem accepit, improbum contractum noverit, an potius ignoraverit. Quare si beneficii collator revera pecuniam acceperit, admittitur simonia, quamquam beneficiario compertum non sit vitium, cum quo beneficium accepit (1). Semper enim verum est, pretio data fuisse Ecclesiæ ministeria, quicumque tandem sit, qui pretium dederit (2). Verum si quis pretium fraudulenter solvit eo consilio, ut alteri detrimentum inferret, ejusque electionem irritam faceret, valet electio, quoniam hominum malitiæ indulgere non decet (3); sed tamen qui dedit, accepitque pecuniam, simoniæ reus est.

(1) Cap. 27 de Simon.
(2) Can. 5 Caus. 2 qu. 5.
(3) Cap. 5 de Simon.

5. Jamvero res spirituales, aut quasi spirituales, quæ pretio comparari nequeunt, sunt potestates spirituales, puta, potestas imponendi manus, quam à Petro emere volebat Simon, gratia Spiritus Sancti, Sacramenta, absolutio à censuris, voti relaxatio, ordinationes, consecratio Ecclesiarum, benedictiones Abbatum, sacrarum virginum, similia, ecclesiastica beneficia, officia, dignitates, cetera generis ejusdem. Horum quædam Divino jure spiritualia sunt, et quædam ob Ecclesiæ bonum in spiritualium censum jure ecclesiastico relata sunt; ideoque alia juris Divini simonia, et alia ecclesiastici juris est. In his tamen om-

nibus distinguenda sunt diligenter sponte oblata, ab iis, quæ ideo dantur, ut spiritualia accipiantur. Sponte oblata sine vitio simoniæ in rerum spiritualium administratione recipi possunt (1). Non enim dantur tamquam pretium rerum spiritualium, sed potius dantur, ut eorum ope Ecclesiæ ministri vitam traducant.

(1) Consule Thomassinum Vet. et nov. Eccles. disciplin. par. 3 l. 1 c. 69 et seq., itemque consule, quæ ego scripsi l. 2 tit. 2 sect. 3 §. 65 p. 86, et tit. 17 §. 6 p. 317.

6. Sane Christus Dominus Apostolos mittens in orbem terrarum, eos vivere voluit de Evangelio, quod nunciabant. Ex qua doctrina, sive in administrandis sacramentis, sive in aliis ecclesiasticis officiis exercendis, semper Ecclesia recte, ac merito sponte oblata recepit. Eodemque jure censentur reditus ecclesiastici, quos clerici accipiunt, non tamquam pretium rerum spiritualium, quas administrant, sed ut ex iis habeant, quæ sunt ad vitam necessaria (1).

(1) Consule S. Thomam. 2, 2 qu. 100 art. 2 et 3.

7. At quamquam sponte oblata recte accipiantur, tamen cavendum est diligenter, ut in his quoque rebus ab Ecclesiæ ministris omnis procul absit turpis quæstus, et avaritiæ suspicio. Quare Synodus Eliberitana sancivit, ut catechumeni baptismum suscepturi, de more nummos in concham non mitterent, *ne sacerdos quod gratis accepit, pretio distraheret videatur* (1). Hinc etiam à Tridentinis Patribus (2) Episcopi, eorumque ministri quidquam in sacris ordinationibus, quamquam sponte sit oblatum, accipere vetiti sunt; et S. Carolus Borromeus Sacerdotem sacramenta administrantem nihil, etiam eleemosynæ loco datum, accipere voluit (3).

(1) Concilium Eliberitanum can. 48 apud Labbæum concil. t. 1 col. 998. Quo loco observandum est verbum illud *videatur*, quo Eliberitani Patres utuntur, quodque ostendit, non malum, sed mali speciem canoni causam dedisse. Verum non eadem ubique obtinuit disciplina. Nam eam consuetudinem sua ætate apud Græcos fuisse, tradit Gregorius Nazianzenus Orat. 40 opp. t. 1 p. 55 ed. Coloniæ 1690, qui eam non reprehendit, et idem etiam scriptum reliquit Paulinus Ep. 32 n. 3 col. 195 ed. Veron. 1756. Quin etiam in Hispaniis Eliberitanus Canon non diu observatus est. Nam Concilium Bracarense II. aliis III. an. 572 can. 7 apud Labbæum t. 6 conc. col. 580, sponte oblata accipi permisit; quæ generatim totius Ecclesiæ disciplina fuit.
(2) Concilium Tridentinum Sess. 21 c. 1 de Reform.
(3) Confer Jussanum in Vit. S. Caroli l. 8 c. 4.

8 Sed quoniam nihil est tam sanctum, quod non hominum malitia violetur, inventa sunt à quibusdam involucra, et effugia quædam, quibus sese ipsos excusare, et simoniam, ut vulgo loquimur, *palliare* conantur. Nam alii sese temporalia dare inquiunt, non propter ipsa sacra ministeria, sed propter opes, et reditus, qui ex iis percipiuntur; et alii solvere se pecuniam dicunt, non tamquam pretium rei spiritualis, sed tamquam honorarium, et tamquam causam impellentem, per quam aliquis ad rem spiritualem concedendam impellitur. Sed larvæ hæ sunt, quibus frustra simoniaci tegunt scelus suum. Nam reditus ecclesiastici sacro ministerio adhærent, et ideo, qui pecuniam dedit, pro utroque dedisse censetur (1); illa autem species, et simulatio honorarii nullam in Ecclesia simoniam relinqueret; præterea non lucrum temporale, sed personarum merita, et Ecclesiæ utilitas impellentes tantum causæ esse debent, propter quas beneficia concedantur (2).

(1) Recte Paschalis P. Can. 7 c. 1 q. 3, « Quisquis horum, inquit, alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. »
(2) Confer Decretum Innocentii XI, apud Schmalzgrueber Jus eccles. l. 5 par. 1 tit. 3 n. 72. Hinc merito damnatæ sunt tum ab Alexandro VII., tum ab Innocentio XI. propositiones quædam, quæ ad excusandam quodammodo, aut obtegendam simoniam pertinebant, quasque describit Natalis Alexander Theolog. dogm. et moral. l. 2 c. 7 art. 2.

9. Est etiam simoniæ tegumentum, redemptio vexationis, quæ fit, cum temporalia dantur, ne quis impedimento sit, quominus alter rem spiritualem, aut quasi consequatur. Qua in re videndum est, num ille, qui impedimentum infert, jus in re habeat, et num alter, qui illud removere conatur, rei possessionem obtinuerit, an secus. Cum illi jus est, atque alter nondum rei possessionem acquisivit, simonia contrahitur (1); contra nulla simonia est, si nullum ipse jus habeat, atque alter jus perfectum acquisiverit, quia revera nihil spirituale pretio comparatur, licet injuste agat, qui pecuniam accipit, ne alteri impedimento sit (2). Sed quoniam hic etiam latere simonia potest, neque nos in rebus nostris judices esse decet, recte à S. Carolo Borromeo sancitum est, ut nemini liceat, ad redimendam vexationem, *ne in casibus quidem jure permissis, pecuniam dare, quidquamve pacisci, aut transigere, nisi Episcopi, consensus acceserit* (3).

(1) Cap. 23 de Simonia.

(2) Cap. 28 eod. ibique Glossa. Vide S. Thomam 2, 2 qu. 100 art. 2 ad 5. Verum si agatur de obtinenda gratia, vel justitia apud Sedem Apostolicam, etiam super jure quæsito, sive petitio sit de re spirituali, sive de temporali, et mixta, ex Const. *Ab ipso*, 39 Gregorii XIII, in Bullar. Roman. t. 4 par. 3 p. 293; et Const. Inter gravissimas 100 Alexandri VII, t. 6 par. 4 Bullar. p. 104, vetitum plane est aliquid dando vexationem redimere.

(3) S. Carolus Borromeus conc. 1 Mediolanen. tit. *Quæ pertin. ad collat. benefic.* par. 1 t. 1 p. 15 ed. Patav. 1754.

10. Improbum simoniæ crimen semper Ecclesia detestata est; et ideo semper contra hujus criminis reos gravissimis pœnis animadvertit. Ex veteri disciplina, pœna clericorum erat depositio, laicorum excommunicatio (1). Illa autem clerici depositio perpetua erat, adeout ipse nunquam gradum suum recuperaret, et pœnitentiam, quamdiu viveret, in monasterio agere cogeretur (2). Perpetua depositio ab antiquis canonibus constituta, proprie ad simoniacas ordinationes pertinebat. Non enim beneficia sejuncta erant ab ordinatione; sed clericus, cum ordinabatur, certæ adscribebatur Ecclesiæ, cui servire debebat, et cujus reditibus alebatur.

(1) Concilium Toletanum VIII. an. 653. Can. 3 apud Labbæum t. 7 Concil. col. 419, « Si clerici fuerint, inquit, honoris amissione multentur; si vero laici, anathemate perpetuo condemnentur. » Idem antea decreverat Concilium Chalcedonense can. 2 apud Labbæum t. 4 col. 1682, Bracarense an. 527 can. 3 t. 6 col. 579, et Aurelianense II. can. 4 t. 5 col. 972. Confer etiam Gelasium Ep. 9 ad Episc. Lucan. c. 24 apud eumdem Labbæum t. 5 col. 319, Hormisdam Ep. 25 ad Episc. Hispan. c. 2 t. eod. col. 604, Symmachum Ep. 5 ad Cæsar. Arel. c. 2 t. eod. col. 425, Gregorium M. Ep. 13 l. 4 opp. t. 2 col. 694 ed. Paris. 1705. Verum Canon Apostolorum 30 al. 22 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 446 ed. Amstelædami 1724, adversus clericum simoniace ordinatum, utramque pœnam tum depositionis, tum excommunicationis constituit.

(2) Can. 7 caus. 1 qu. 1, et can. 4 caus. 1 qu. 7.

11. Cum beneficia ab ordinatione sejungi cœperunt, vetusti canones de simoniacis ordinationibus ad simoniacas beneficiorum collationes traducti sunt (1). Quin hujusmodi collationes plane irritæ, inanesque sunt (2); idque obtinet, sive ab utraque parte simonia perfecta sit, sive conventione nitatur (3), tam si ipse electus, quam si eo ignaro ejus amici, et consanguinei pecuniam dederint, aut promiserint (4). Itaque simoniaci abdicare se beneficio debent, neque suos faciunt fructus, si quos interim percipiant, perceptosque omnes restituere coguntur (5). Simonia tamen mente concepta beneficiarium non cogit

ad beneficium dimittendum, sed ea tantum per pœnitentiam apud Deum eluitur (6).

(1) Can. 9 caus. 1 qu. 3.
(2) Extravag. 2 de Simon. inter commun.
(3) Can. 5 caus. 1 qu. 4.
(4) Cap. 27 de Simonia.
(5) Extravag. 2 cit. S. Pius V. Const. *Cum primum* 9. §. 8 Bullar. Roman. t. 4 par. 2 p. 285. Vide etiam S. Thomam. 2, 2 qu. 100 art. 6 et in Respons. ad 3.
(6) Cap. ult. cod. Confer Fagnanum in cap. ex parte 12 de Offic. delegat. n. 19.

12. Jure novo, depositionis pœnæ, qua simoniace ordinantes, et ordinati plectebantur, suspensio suffecta est. Et ordinantes quidem ab omniu mordinum. etiam primæ tonsuræ, collatione suspenduntur; eamque suspensionem, quæ antea triennalis erat (1), Sixtus V perpetuam fecit (2), illosque etiam Ecclesiæ ingressu, et Pontificalium usu prohibuit. Ordinati autem per simoniam, à susceptorum ordinum usu suspenduntur, donec à Summo Pontifice veniam impetraverint. Præterea, tam ordinantes, quam ordinati afficiuntur excomunicatione latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ, eidemque pœnæ subsunt, qui tanti criminis sequestres fuerunt (3). Quod etiam dictum volo de iis, qui simoniace contulerunt aut acceperunt beneficium; nam et hi simili excommunicationi subjecti sunt (4).

(1) Cap. 45 de *Simonia*.
(2) Sixtus V. Constit. *Sanctum et salutare* 140 p. 40 t. 5 par. 1 Bullar. Roman., quam quidem constitutionem in iis, quæ pertinent ad pœnas contra simoniacos stabilitas, integram esse voluit Clemens VIII. Const. *Romanum Pontificem* 121 §. 2 p. 97 t. 5 par. 2 Bullar. Roman. Vide etiam Concilium Tridentinum sess. 21 de Reform. c. 1.
(3) Extrav. 2 *de Simon. inter commun.*
(4) Cit. Extrav. 2.

13. Similes fere pœnæ indictæ sunt adversus eos, qui propter ingressum in Religionem, aut propter regularem professionem, simoniæ crimen admittunt. Scilicet, qui ob eam rem dederunt, acceperuntve pecuniam, afficiuntur excommunicatione latæ sententiæ, Summo Pontifici reservatæ; præterea collegium, ac monasterium monachorum, à quo aliquis simoniace receptus est, ab officiis capitularibus atque ab omni jurisdictionis actu suspenditur (1). Sunt autem hujus criminis rei, qui dant aut accipiunt pecuniam tamquam pretium ingressus in religionem,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

aut professionis religiosæ; eidemque sceleri locus est etiam, cum monasterium abundat opibus, quibus plures alat, et tamen propter alimenta pecuniam exigit ab eo, qui sese in Religionem recipit.

(1) Extravag. 1 *de Simonia int. commun.*

14. Verum cum tenues sunt opes monasterii, quibus plures ali nequeunt, licet aliquid pro victu accipere ab eo, qui regulare institutum amplectitur, atque inde omne simoniæ vitium prorsus abest (1). Ea de causa, lege, et usu receptum est, ut mulieres, quæ moniales fiunt, dotale subsidium atribuant, cujus ope monasterium sumptus sustineat, quos pro victu, et cultu monialium facere oportet (2). Nam experientia compertum est, nullum esse monialium cœnobium, ut ut opulentum habeatur, quod novis non egeat dotium accessionibus; ac sæpe inopinati casus eveniunt, quorum præcavenda sunt damna, et incommoda, ne serum remedium frustra quæratur, si quando subito existant (3).

(1) Vide S. Thomam 2, 2 qu. 100 art. 3 ad 4, S. Bonaventuram Apologet. contr. advers. Fr. Minor. qu. 18, S. Raymundum l. 1 tit. 1 §. 22, S. Antoninum par. 2 c. 5 § 18, Dionysium Carthusianum de Simon. l. 2.

(2) Sac. Congregatio Concilii in Bononien 14 Apr. 1725 t. 3 Thesaur. resolut. p. 153 et seq., Consule Fagnanum in cap. *Non amplius de Instit.* n. 24.

(3) Hanc quidem consuetudinem, quæ fere ubique viget, quamque probarunt Romæ Congregationes, et S. Carolus Borromeus in concil. Mediolan. 1 tit. de Novit ad profess. recipien. et Conc. II. inter capita quædam ad Monial. pertinen. c. 2 Act. Eccl. Mediolan. par. 1 p. 41 et 65 ed. Patavii 1754, improbat Van-Espenius *de Vitio simon. circ. ingress. Religion.* c. 2, et c. 3 §. 3; atque ait, contra jus Divinum, et naturale peccare monasteria, quæ cum idoneos habeant reditos, neminem gratis accipiunt. Sed nullum est, ut observat Benedictus XIV. de Synod. diœces. l. 11 c. 6 n. 5, ita opibus abundans monialium cœnobium, quod novis non egeat dotium accessionibus, ut remedium adhibeat jacturæ rei familiaris, quam quotidie facit. Confer Christianum Lupum in Not. ad can. 19 concilii Nicæni II. opp. t. 3 p. 500 ed. Ven. an. 1724, et Cabassutium in Theor. et prax. jur. canon. l. 5 c. 5 n. 13.

15. Contra simoniam confidentialem alia quoque sunt à Summis Pontificibus Pio IV (1), et S. Pio V (2) constituta. Nimirum, qui eam admisit, privatur etiam beneficiis, quæ antea legitime obtinuerat; et collatio beneficiorum, quæ contracta fiducia impetrata sunt, Sedi Apostolicæ reservatur. Præterea,

simoniaci collatores ab Ecclesia interdicuntur: atque ut his pœnis locus sit, satis est, quod simoniacus contractus ex una tantum parte absolutus sit.

(1) Pius IV. Const. *Romanum Pontificem* 99 p. 190 t. 4 par. 2 Bullar. Roman.

(2) S. Pius V Const. *Intolerabilis* 117 p. 67 t. 4 par. 3 Bullar. Roman.

(N. S. Hispaniarum Patres iteratis, iisque gravissimis pœnis coercendos esse Simoniacos decreverunt. In Episcopos pecunia intercedente in Ecclesiam ingressos, Syn. Tolet. VIII can. 3, anathema, Tolet. XI can. 9, duorum annorum exilii pœnam, excommunicationem, et depositionem contorquet. Episcopos, qui munusculis intercedentibus, Clericos ad Ecclesiasticos gradus provehere non formidarent, Synodus Bracar. II can. 3, anathemate percellit una cum ordinatis; utrosque etiam honoris amissione punit Syn. Tolet VI. can. 4. Quocirca Synod. Hispal an. 1512, cap. 33, constituit, nihil pro collatione ordinum accipiendum, neque etiam testimonii, sigilli, aut subscriptionis prætextu, idque sub onere restitutionis. Syn. Trid. Sess. 21 Ref. cap. 1, omnem omnino causam præcidere voluit, qua lucrum aliquod ex collatione ordinum Episcopis, vel ejus ministris obvenire possit. Notario dumtaxat, ubi adsit consuetudo, et nullum sit ei constitutum salarium, decimam unius aurei partem accipere permittit, dummodo ex ea nihil Episcopus percipiat emolumenti. Ecclesia etiam Hispana, quæ in Syn. Illiberit. can. 48 sanxit, ne baptizandi *nummos in concham* injicerent, « ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur »; in Syn. Valent. an. 1565 Sess. 2. Tit. 2 cap. 3, « ut omnis scandali *tolleretur* occasio, *decrevit* sub pœna excommunicationis, et dimidii aurei, *ne* aliquid in *Baptismatis* collatione exigatur. » Expressius Syn. Tolet. XI can. 8: « Quicumque aut pro baptizandis, consignandisque fidelibus, aut pro collatione chrismatis, vel promotionibus graduum, pretia quælibet voluntarie oblata susceperit; si scient loci Episcopi tale quicquam à subditis perpetratum, idem Episcopus duobus mensibus excommunicationi subjaceat. Si autem eo nesciente; si Presbyter est, trium mensium excommunicati ne plectatur; si Diaconus, quatuor; Subdiaconus vero, vel Clericus, et competenti verbere, et debita excommunicatione plectendus est. » Quamobrem jure merito Syn. Compostel. an. 1056 can. 2, Simoniacum adpellat *non verissimum Christianum.*)

Inserere isthic juvat sequentem Cardin. Gousset discussionem, quam ex ipsius opere alibi laudato: *Theologie Morale* (Paris. 1853), tom. 1 pagg. 191 et seq., in Hisp. sermonem translatam servamus; nempe:

« Aqui se ofrece naturalmente una cuestion; á saber: si los obispados, canongias y curatos deben ser considerados en Francia como beneficios propiamente tales. El señor abate Emery creia que no. » La Iglesia de Francia, dice, ha sido totalmente despojada de sus bienes; no existen, pues, bienes eclesiásticos, que se puedan decir consagrados á Dios; no hay beneficios. Los curatos, canongias y hasta los obispados, son sin duda *oficios* en el dia; pero no *beneficios*: hablando con exactitud, no se les puede atribuir este nombre, puesto que el beneficio se define: *Derecho perpetuo de percibir una porcion de la renta de los bienes consagrados á Dios, concedido á un clérigo por la autoridad de la Iglesia, por razon de un oficio espiritual.* Siendo asi que los curatos, canongias y obispados no dan semejante derecho, los curas, canónigos y obispos derivan hoy su subsistencia de una pension, que les asigna el gobierno sobre el Tesoro del Estado, semejan-

te á las que reciben los funcionarios públicos. (Prólogo de los *Nueve opúsculos* de Fleury, publicados por Emery.)

«Se puede añadir que, aun concediendo al clero católico una dotacion que no puede negar sin infringir las leyes de la justicia y de la religion, el gobierno no la mira como una parte del producto de los bienes eclesiásticos, cuya enagenacion ha ratificado la Santa Sede. Ademas, esta dotacion varía y puede variar indefinidamente, segun el espíritu de nuestros legisladores, que la votan solamente para un año, reservándose aumentarla ó disminuirla en el año siguiente segun juzguen convenir, así como pueden aumentar ó disminuir la subvencion que conceden á los ministros protestantes ó á los rabinos: todo lo cual no está muy en consonancia con el derecho *perpetuo* ó *permanente* que, segun la doctrina comun, es inherente al beneficio eclesiástico propiamente tal. Por cuyas consideraciones hemos adoptado la opinion de M. Emery en nuestra edicion de las *Conferencias de Angers*.

«Pero ha prevalecido la opinion contraria; especialmente en vista de las decisiones de la Sagrada Penitenciaría, de 9 de Enero de 1819, 9 de Agosto de 1821, y 9 de Enero de 1823. Segun estas decisiones, la pension (*salaire*) que el clero de Francia recibe del gobierno, debe considerarse como renta *eclesiástica*. La razon que se dá, es, que cuando el Papa Pio VII legitimó la venta de los bienes de la Iglesia, lo hizo únicamente atendiendo á la obligacion que contrajo el gobierno, de proporcionar al clero una dotacion decorosa; de suerte que esta debe tenerse como parte de los bienes que pertenecian á las iglesias de Francia antes de la Revolucion. (V. la Teología de Monseñor Bouvier, *de Jure*, cap. 2 art. 1 secc. 4; el tratado *de Justitia et Jure*, impreso en Amiens en 1827, disertac. 2 cap. 2 art. 1; la Teología de Tolosa *de obligationibus*, part. 2 cap. 2 secc. 2 art. 2; el tratado *de Justitia* por M. Carrieres, núm. 194.)

«No habria dificultad, si la pension votada en favor de las diferentes categorías del clero, fuese determinada y fija, segun el espíritu de los Concordatos; de suerte que no dependiese del capricho de las Cámaras. Las decisiones de la Sagrada Penitenciaría se fundan sobre el compromiso que el gobierno contrajo de *dotar* á las iglesias de Francia, ó de asegurar al clero una subvencion decorosa y que no estuviese sujeta á eventualidades. Mientras no se lleve á efecto esta dotacion, nos parecerá difícil conciliar la nocion de los bienes *eclesiásticos*, con el carácter de la *subvencion* ó *asignacion* que perciben del gobierno los obispos, canónigos y párrocos.»

TITULUS X

DE MALEDICTO SIVE BLASPHEMIA.

1. BLASPHEMIA QUID? EJUS SPECIES.—2. BLASPHEMIA IMPRECATIVA.—3. PŒNÆ IN BLASPHEMOS.

1.

MALEDICTUM, sive blasphemia, qua Deo ore injuria irrogatur, duplex distingui solet: alia nimirum *enunciativa*, alia *imprecativa* est. Enunciativa blasphemia committitur, cum Deo negatur, quod ipsi convenit, ut si quis neget, eum esse omnipotentem, justum, immensum etc. vel cum ei tribuitur, quod ab ipso alienum est, ut si quis eum non providum, injustum, insipientem etc. dicat, vel denique cum creaturæ, quod unius Dei proprium est, adscribitur. Hujusmodi blasphemiæ, cum manifestum errorem contineant, hæreticales appellantur, ideoque blasphemi habentur instar hæreticorum, licet revera hæretici non sint, si illis, quos ore evomunt, erroribus non assentiantur.

2. Imprecativa blasphemia est, cum quis in Deum malum aliquod imprecatur, vel cum eum conviciis, et maledictis insectatur. Olim ethnicis nihil erat antiquius, quam Christianos ad blasphemias in Deum ore promendas adigere (1); atque hæc communis erat Christianæ religionis abjiciendæ ratio (2). Est etiam blasphemia in Deiparam Virginem, vel in Sanctos, quæ in ipsius Dei convicium et injuriam redundat, ideoque blasphemia dicitur (3).

(1) De Christianis, qui á religione defecerant, scribit Plinius ad Trajanum l. 10 Ep. 97 n. 6 p. 629 ed. Cellarii Lypsiæ 1711: «omnes et imaginem tuam, deorumque simulacra venerati sunt, iique et Christo maledixerunt.»

(2) Id ex iis constat, quæ de Polycarpo narrat Eusebius l. 4 histor. c. 15 p. 167 ed. cit. Cum enim Asiæ Proconsul juberet, eum in Christum convicia proferre, ut ita ab se abjectam Christianam religionem ostenderet, ipse respondit: «tres et octuaginta continuos annos ei ministravi, nec ulla me unquam affecit injuria; et quomodo possum impie loqui adversus Dominum meum, auctoremque salutis meæ?» Idem quoque constat ex Dionysii Alexandrini epistola apud eumdem Eusebium l. 6 c. 41 p. 304 ed. Cantabrig. cit., et ex Justino Mart. Apol. 2 n. 31 p. 62 ed. Paris. 1742.

(3) S. Thomas 2, 2 qu. 13 art. 1, «Sicut Deus, inquit, in sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ in sanctis suis efficit; ita et blasphemia quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat.»

3. Utrumque genus blasphemiæ, sive enunciativæ, sive imprecativæ, semper atrocissimum habitum est crimen, planeque dignum, quod gravioribus pœnis coerceatur (1). Antiquo jure canonico, blasphemi, maxime si hæreticalem blasphemiam effudissent, iisdem, quibus hæretici, pœnis plectebantur. Quare clerici depositioni, laici excommunicationi subeant; civilibus legibus erat etiam pœna mortis constituta (2). In veteri lege blasphemi lapidibus obruebantur (3). Nunc variæ contra blasphemos pœnæ sunt, sed tamen omnes judicis arbitrio, habita ratione criminis, et personarum, infliguntur (4). In hæreticalem blasphemiam tantum Judex ecclesiasticus (5), in blasphemiam non hæreticalem, quod crimen est mixti fori, etiam laicus inquirit (6).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

te á las que reciben los funcionarios públicos. (Prólogo de los *Nueve opúsculos* de Fleury, publicados por Emery.)

«Se puede añadir que, aun concediendo al clero católico una dotacion que no puede negar sin infringir las leyes de la justicia y de la religion, el gobierno no la mira como una parte del producto de los bienes eclesiásticos, cuya enagenacion ha ratificado la Santa Sede. Ademas, esta dotacion varía y puede variar indefinidamente, segun el espíritu de nuestros legisladores, que la votan solamente para un año, reservándose aumentarla ó disminuirla en el año siguiente segun juzguen convenir, así como pueden aumentar ó disminuir la subvencion que conceden á los ministros protestantes ó á los rabinos: todo lo cual no está muy en consonancia con el derecho *perpetuo* ó *permanente* que, segun la doctrina comun, es inherente al beneficio eclesiástico propiamente tal. Por cuyas consideraciones hemos adoptado la opinion de M. Emery en nuestra edicion de las *Conferencias de Angers*.

«Pero ha prevalecido la opinion contraria; especialmente en vista de las decisiones de la Sagrada Penitenciaría, de 9 de Enero de 1819, 9 de Agosto de 1821, y 9 de Enero de 1823. Segun estas decisiones, la pension (*salaire*) que el clero de Francia recibe del gobierno, debe considerarse como renta *eclesiástica*. La razon que se dá, es, que cuando el Papa Pio VII legitimó la venta de los bienes de la Iglesia, lo hizo únicamente atendiendo á la obligacion que contrajo el gobierno, de proporcionar al clero una dotacion decorosa; de suerte que esta debe tenerse como parte de los bienes que pertenecian á las iglesias de Francia antes de la Revolucion. (V. la Teología de Monseñor Bouvier, *de Jure*, cap. 2 art. 1 secc. 4; el tratado *de Justitia et Jure*, impreso en Amiens en 1827, disertac. 2 cap. 2 art. 1; la Teología de Tolosa *de obligationibus*, part. 2 cap. 2 secc. 2 art. 2; el tratado *de Justitia* por M. Carrieres, núm. 194.)

«No habria dificultad, si la pension votada en favor de las diferentes categorías del clero, fuese determinada y fija, segun el espíritu de los Concordatos; de suerte que no dependiese del capricho de las Cámaras. Las decisiones de la Sagrada Penitenciaría se fundan sobre el compromiso que el gobierno contrajo de *dotar* á las iglesias de Francia, ó de asegurar al clero una subvencion decorosa y que no estuviese sujeta á eventualidades. Mientras no se lleve á efecto esta dotacion, nos parecerá difícil conciliar la nocion de los bienes *eclesiásticos*, con el carácter de la *subvencion* ó *asignacion* que perciben del gobierno los obispos, canónigos y párrocos.»

TITULUS X

DE MALEDICTO SIVE BLASPHEMIA.

1. BLASPHEMIA QUID? EJUS SPECIES.—2. BLASPHEMIA IMPRECATIVA.—3. PŒNÆ IN BLASPHEMOS.

1.

MALEDICTUM, sive blasphemia, qua Deo ore injuria irrogatur, duplex distingui solet: alia nimirum *enunciativa*, alia *imprecativa* est. Enunciativa blasphemia committitur, cum Deo negatur, quod ipsi convenit, ut si quis neget, eum esse omnipotentem, justum, immensum etc. vel cum ei tribuitur, quod ab ipso alienum est, ut si quis eum non providum, injustum, insipientem etc. dicat, vel denique cum creaturæ, quod unius Dei proprium est, adscribitur. Hujusmodi blasphemiæ, cum manifestum errorem contineant, hæreticales appellantur, ideoque blasphemi habentur instar hæreticorum, licet revera hæretici non sint, si illis, quos ore evomunt, erroribus non assentiantur.

2. Imprecativa blasphemia est, cum quis in Deum malum aliquod imprecatur, vel cum eum conviciis, et maledictis insectatur. Olim ethnicis nihil erat antiquius, quam Christianos ad blasphemias in Deum ore promendas adigere (1); atque hæc communis erat Christianæ religionis abjiciendæ ratio (2). Est etiam blasphemia in Deiparam Virginem, vel in Sanctos, quæ in ipsius Dei convicium et injuriam redundat, ideoque blasphemia dicitur (3).

(1) De Christianis, qui á religione defecerant, scribit Plinius ad Trajanum l. 10 Ep. 97 n. 6 p. 629 ed. Cellarii Lypsiæ 1711: «omnes et imaginem tuam, deorumque simulacra venerati sunt, iique et Christo maledixerunt.»

(2) Id ex iis constat, quæ de Polycarpo narrat Eusebius l. 4 histor. c. 15 p. 167 ed. cit. Cum enim Asiæ Proconsul juberet, eum in Christum convicia proferre, ut ita ab se abjectam Christianam religionem ostenderet, ipse respondit: «tres et octuaginta continuos annos ei ministravi, nec ulla me unquam affecit injuria; et quomodo possum impie loqui adversus Dominum meum, auctoremque salutis meæ?» Idem quoque constat ex Dionysii Alexandrini epistola apud eumdem Eusebium l. 6 c. 41 p. 304 ed. Cantabrig. cit., et ex Justino Mart. Apol. 2 n. 31 p. 62 ed. Paris. 1742.

(3) S. Thomas 2, 2 qu. 13 art. 1, «Sicut Deus, inquit, in sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ in sanctis suis efficit; ita et blasphemia quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat.»

3. Utrumque genus blasphemiæ, sive enunciativæ, sive imprecativæ, semper atrocissimum habitum est crimen, planeque dignum, quod gravioribus pœnis coerceatur (1). Antiquo jure canonico, blasphemi, maxime si hæreticalem blasphemiam effudissent, iisdem, quibus hæretici, pœnis plectebantur. Quare clerici depositioni, laici excommunicationi subeant; civilibus legibus erat etiam pœna mortis constituta (2). In veteri lege blasphemi lapidibus obruebantur (3). Nunc variæ contra blasphemos pœnæ sunt, sed tamen omnes judicis arbitrio, habita ratione criminis, et personarum, infliguntur (4). In hæreticalem blasphemiam tantum Judex ecclesiasticus (5), in blasphemiam non hæreticalem, quod crimen est mixti fori, etiam laicus inquirit (6).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

(1) Hinc Synesius Episcopus, cum ei multa, et gravia nunciata fuissent crimina ab Andronico Ptolemaidis Præside admissa, eum monendum, et mitius corripiendum censuit; verum cum rescivit, eo Præsidem impudentia processisse, ut diceret, neminem sibi é manibus elabi permissurum, ne si ipsius quidem Christi pedes amplecteretur, ipsum non amplius admonendum, sed de Ecclesia solemni ritu ejiciendum duxit Synesius Ep. 58 p. 201 ed. Paris. 1633. Omnium autem deterrima est blasphemia in Spiritum S., de qua ipse Christus apud Matthæum XII. 32 dicit hæc: *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum S., non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Verum de blasphemia in Spiritum S. non eadem Patrum sententia est. Cyprianus Ep. 16 p. 195 ed. Amstelædami 1700, grande hoc peccatum ad eos refert, qui in apostasiam, et idololatriam lapsi essent, Christumque abnegassent; Hilarius in Matth. c. 15 opp. t. 1 col. 750 ed. Veron. 1730, et Athanasius in illud quicumque dixerit verbum opp. t. 1 p. 353, et 519, et 570, et 783 ed. Patav. 1777, ad eos, qui Christum Deum esse negant; Ambrosius de Spiritu S. l. 1 c. 3 opp. t. 6 p. 405 ed. Ven. 1781, scelus hoc Pneumatomachorum proprium fuisse credit, atque eadem sententia est Epiphanii Hæres. 74 Pneumat. n. 14 t. 1 p. 903 ed. Coloniæ 1682, et Philastrii de hæres. c. 67 p. 49 in collect. PP. Brixianæ Ecclesiæ edit. Brixiæ an. 1738, et idem etiam sentire videtur Chrysostomus homil. 41 in Matth. n. 3 t. 7 p. 448 ed. Paris. 1730 Montfauconii; Basilius Ep. 188 can. 1 opp. t. 3 p. 269 ed. Paris. illud attribuit Pepuzenis, qui «in Spiritum S., inquit, blasphemaverunt, Montano, et Priscillæ Paracleti appellationem nefarie, impudenterque attribuentes.» Sed Augustinus, quem Fulgentius, atque alii sequuntur, cum in Spiritum S. peccare existimat, qui perdita voluntate, scelus sceleri addit, divinæque misericordiæ incitamenta aut desperans, aut etiam negligens, usque ad vitæ exitum flagitiosum animum obfirmate retinet, atque in scelere perseverat. Ille peccat, inquit Augustinus in Ep. 1 ad Roman. n. 14 opp. t. 3 par. 2 col. 933 ed. Ven. 1730, «in Spiritum S., qui desperans, vel irridens, vel contemnens prædicationem gratiæ, per quam peccata diluuntur, et pacis, per quam reconciliamur Deo, detrectat agere pœnitentiam in peccatis suis, et in eorum impia, atque mortifera quadam suavitate perdurandum sibi esse decernit, et in finem usque perdurat.» Tum paulo post ostendit, Hebræos, quos Christus hujus sceleris arguit, in id incidisse, propterea quod Belzebubo Spiritus S. miracula tribuentes, ejusdem Spiritus gratiam, qua ad vitam redirent, recusabant, et ideo, si in ea voluntate permansissent, merito nullam iis spem veniæ futuram affirmat. Eodem fere redit sententia Hieronymi in Matth. l. 2 c. 12 opp. t. 7 col. 81 ed. Vallarsii Ven. 1769, Confer Calmetum Diss. de Peccat. in Spiritu S.

(2) Novell. 77; idemque jus etiam in Capitularibus Regum Francorum constitutum est cap. 101 l. 6. Addit. 3 c. 34 t. 1 col. 585 ed. Baluzii Ven. 1772.

(3) Levit. XXIV, 16.

(4) Adversus blasphemos alias indixit pœnas Leo X. Constit. *Supernæ dispositionis* apud Giraldum *Esposit. jur. Pontific.* l. 5 tit. 26 sect. 860 p. 697, et alias Julius III. Const. In multi 31 p. 308 t. 4 par. 1 Bullar. Roman. His recentior S. Pius V. Constit. *Cum primum* 9 § 10 p. 234 t. 4 par. 2 Bullar. Roman. sancivit, ut laicus, «qui Deum, et Dominum nostrum Jesum Christum, vel Gloriosam Virginem Mariam ejus Genitricem expresse blasphemaverit, pro prima vice pœnam vingintiquinque ducatorum incurrat, pro secunda pœna duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos solvet, et ignominia notatus exilio multabitur. Plebejus, qui solvendo non sit, pro prima vice manibus post tergum ligatis ante fores Ecclesiæ constituetur per diem integrum, pro secunda fustigabitur per urbem, pro tertia ei perforabitur lingua, et mittetur ad triremes.» Clericus vero blasphemus, ex eadem Pii constitutione, pro prima vice privandus est fructibus unius anni omnium beneficiorum, pro secunda ipsis beneficiis, pro tertia demum omnibus etiam Dignitatibus privatus deponendus, atque in exilium mittendus est. Clericus vero, qui beneficium non habet, pro prima vice pecuniaria, vel corporali pœna plectendus est, pro altera in carceres detrudendus, pro tertia demum verbaliter degradandus, atque ad triremes mittendus. Qui in Sanctos blasphemias effuderit, eum S. Pius V. Judicis arbitrio, ratione criminis, ac personarum habita, puniri voluit. Verum, uti monet Cardinalis Albitius de *Inconstant. in Fid.* c. 31 n. 159 et seq. nunc à Tribunali Sac. Inquisitionis contra blasphemos, respectu habito ad crimen, atque ad personas, arbitrariæ pœnæ constituuntur.

(5) Cap. 18 de Hæret. in 6.

(6) Cap. 2 de Maledic. ibique Gonzalez n. 7.

(N. S Syn. Hispal. an. 1512 cap. 38, «Mandamus, ut nullus blasphemet, ait, nec improperium aliquod proferat contra Deum Dominum nostrum, nec contra Virginem gloriosam Sanctam Mariam, ejus Matrem Dominam nostram, nec contra aliquem ex Sanctis, sub pœna, quod si fuerit Clericus, incurrat pœnam trium florenorum auri, et quod detru latur in carceres arbitrio judicis: si vero fuerit laicus, ut ultra pœnas de Jure impositas, Judex Ecclesiasticus contra eum procedat prout de Jure.» Porro Jure Decretalium cap. 2 *de Maledicis* ita constitutum legimus adversus publicum blasphemum, «ut, scilicet septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ in manifesto (dum aguntur Missarum sollemnia) blasphemus exsistens, ultimo illorum die Dominico pallium, et calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus sextis feriis in pane jejunet, et aqua, Ecclesiam nullatenus ingressurus. Quolibet quoque prædictorum dierum tres, si poterit, alioquin duos reficiat pauperes, sive unum. Et si nec ad hoc ejus suppetant facultates, id in pœnam aliam commutent.» Quam quidem Gregorii IX Decretalem expressis verbis servandam jussit Conc. Tarracon. an. 1541 in Collect. Lib. 5 tit. 11 cap. un. Ex Constitutionibus Leonis X, Julii III, et Pii V blasphemia hæreticalis in abjectæ plebis hominibus, flagellatione publica, fræno etiam ori adposito, in nobilibus multa pecuniaria, et detrusione in Monasterium punitur. Jure quoque civili antiquitus pœna in blasphemos constituta erat ultimum supplicium: Novell. 77 cap. un. §. 1: «Qui ipsum Deum blasphemant, digni sunt supplicia sustinere.» Et §. 2: «Permanentes in hisce illicitis, et impiis actibus post hanc admonitionem nostram, comprehendere, et ultimis subdere suppliciis etc.» Idem quoque juris præscribunt Capitularia Regum Franc. *Additione III* cap. 85.

Jure nostro Regio, blasphemi, si viri nobiles, amissione bonorum secundum delicti gravitatem, et iterationem delicti, multabantur, si plebeji, in prima blasphemia quinquaginta ictibus flagellabantur; in iterata signum litteræ B faciei candenti ferro imprimebatur; et in tertio repetita, lingua amputabatur: Leg. 2, 3, et 4 tit. 28 *Partit. VII*; id quod confirmavit Joannes I Castellæ Leg. 1 tit. 5 lib. 12 *Novis. Compil.*, addita quoque ab Enrico IV, leg. 2 *ejusd.*, dimidiæ partis bonorum amissione, vel centum verberum pœna, si in Regia Curia prolata sit blasphemia. At sub Regibus Catholicis non ita acriter cum blasphemis actum est; ut scilicet unius mensis incarceratione puniantur; si iterato blasphemaverint, exilio ad sex menses, et multa pecunia-

ria; si tertio, vir illustris, multa duplo majori, et exilio plectatur, et plebejus, post adfixam clavo linguam, cujus loco frænum ori ejus hodie adjicitur, ad triremes damnetur: Leg. 4 et 6 *ibid.* Accuratissima hac in re à Judicibus inquisitio peragenda est ex *indic.* leg. 1, et cuilibet facultas conceditur blasphemantem capere, ut eum carceris custodi detrudendum tradat: leg. 3 *ibid.*)

TITULUS XI.

DE SACRILEGIO.

1. SACRILEGIUM QUID, ET QUOTUPLEX?—2. QUOMODO PERSONALE, AUT LOCALE SACRILEGIUM ADMITTITUR?—3. QUOMODO SACRILEGIUM REALE?—4. PŒNÆ IN SACRILEGOS.

1.

Ut blasphemia verbis, ita sacrilegium facto injuriam Deo irrogat. Est autem sacrilegium violatio rei sacræ, quæ scilicet cultui divino addicta est, ac triplex ejus genus distinguitur (1). Aliud nimirum est sacrilegium personale, per quod injuria personæ sacræ, clerico, regulari, moniali infertur; aliud locale, per quod debitus sacro loco honor, et reverentia denegatur; denique aliud reale, quod admittitur contra res sacras, quæ specialim ad cultum divinum pertinent, uti sunt sacramenta, calices, Sanctorum imagines, reliquiæ.

(1) Confer S. Thomam 2, 2 qu. 99 art. 1.

2. Personale sacrilegium committunt, qui ecclesiasticam clericorum immunitatem violant, aut in eos violentas manus injiciunt, quique cum personis coeunt Deo dicatis. Localis sacrilegii reus est, qui localem violat ecclesiasticam immunitatem, aut in loco sacro vetitos exercet actus, qui specialim Ecclesiæ lege loci sanctitati adversantur. Hujusmodi sunt homicidium, humani sanguinis, aut seminis effusio, sepultura infidelis aut excommunicati vitandi, per quæ omnia locum sacrum pollui, superiore loco demonstratum est.

3. Sacrilegium reale pluribus modis admittitur. Graviora hujusmodi sacrilegia sunt, cum in profanos et multo magis cum in pravos, turpesque usus convertuntur Ecclesiæ, altaria, sacra vasa, vestes altaris ministerio addictæ, sacri codices, cetera generis ejusdem (1). Furtum quoque sacrilegium est, si res sacra, aut non sacra, sed tamen Ecclesiæ tutelæ, et custodiæ commendata, auferatur (2). Eodem recidunt, qui fidelium oblationes aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, quos *tamquam egentium necatores* antiqua concilia execrantur (3).

(1) Adversus eos, qui audent «convertere, et torquere sententiàs Sac. Scripturæ ad scurrilia, scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos,» gravissimum decretum est Concilii Tridentini sess. 4 in Decr. de Edit. et usu sacr. libror.

(2) Non desunt, qui semper sacrilegium admitti putant, cum res aliqua ex loco sacro aufertur, licet ea sacra non sit. Sed plerique distinguunt res non sacras, quæ Ecclesiæ tutelæ, et custodiæ sunt creditæ, à rebus non sacris, quæ nullam habent hujusmodi tutelam, quæque casu in Ecclesia reperiuntur. Tantum cum illæ, non item cum hæ auferuntur, sacrilegium committitur. Confer Gonzalezium in c. 8 de For. competen. n. 4. Canon Apostolorum 72 al. 64 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 451 ed. Amstelæd. 1724, *segregari* jubet clericum, aut laicum qui abstulerit *ex Sancta Ecclesia ceram, vel oleum.* Huc etiam referendi sunt *Traditores*, vel *Proditores*, qui scilicet persecutionis tempore sacros codices, vel sacra vasa ethnicis tradidissent, et de quibus agit Concilium Arelatense I. can. 13 t. 1 col. 1452 Collect. Labbæi. Hujus criminis reum Cæcilianum accusabant Donatistæ; quibus respondet Augustinus Ep. 185 n. 4 ad Bonifac. opp. t. 2 col. 644 ed. Ven. 1729: «Si vera essent, quæ ab eis Cæciliano objecta sunt..... ipsum jam mortuum anathematizaremus.» Revera qui hæc Cæciliano objiciebant, ipsi Traditores erant, uti ex actis Concilii Cirtensis ostendunt Optatus Milevitanus l. 1 de Schism. Donat. c 13, et 14 p. 14, et 15 ed. cit, et Augustinus Ep. 76 al 171 ad Donatistas n. 2 opp. t. 2 col. 180 ed. cit.

(3) Ita loquitur Concilium Carthaginense IV. can. 95 t. 2 concil. col. 1444 Collect. Labbæi, cum quo consentiunt Vasense II. can. 4 t. 4 col. 718, et Turonense II. can. 25 t. 6 col. 546. Videndus quoque Ambrosius de Pœniten. l. 2 c. 9 t. 5 p. 261 ed. Maurin. Ven. 1781.

4. Pœnæ in sacrilegos, partim legibus constitutæ sunt, et partim judicis arbitrio infliguntur. Pœna legibus constituta est excommunicatio, in quam incidunt ipso facto, ut ajunt, qui in clericum, aut monachum violentas manus injecerunt, qui ecclesiasticam immunitatem violarunt, qui ecclesiam violenter confringere, ac spoliare ausi sunt (1), qui eam incenderunt (2). Reliquæ pœnæ sunt carceres, triremes, et qui gravius delinquerunt, etiam capitis pœna plectuntur.

(1) Cap. 22 de Sentent. excom.
(2) Cap. 19 eod.

(N. S. Epistolæ Canonicæ Gregorii Nysseni cap. 6. et 7. et Concilii Tolet. IV, *Can.* 45 alias 44, excommunicationis pœna in laicos, depositionis in Clericos sepulcrorum violatores sancitur. Lubet illum transcribere: « *Si quis Clericorum in demoliendis sepuleris fuerit deprehensus, quia faci-*

nus hoc pro sacrilegio Legibus publicis sanguine vendicatur, oportet Canonibus in tali scelere proditum, Clericatus ordine submoveri. » Et quidem ex *Leg. unic.* tit. 5 lib. 2, *Novell. Cod. Theod.*, à Sisenando confirmata leg. 2 tit. 2 lib. 11 *Fori Jud*, ' servi ' sepulcrorum violatores capite damnandi sunt.

Jure Hispano Ecclesiastico 1 pœna imposita sacrilegio personali, hoc est, quod Clericorum privilegiis irrogatur, præcipua est excommunicatio, ut in Syn. Tolet. III can. 13, in quo decernitur, ut si Clericus alium Clericum ad judicia publica vocaverit, *et causam perdat, et à communione efficiatur extraneus*; et can. 21, in quo statuitur, ut si Episcopus Clericum, aut servum Ecclesiæ, vel Clerici *in publicis officiis occupare voluerit, à communione Ecclesiastica efficiatur extraneus.* Eadem excommunicationis pœna animadvertitur in eos, qui Clericum, nisi in flagranti crimine inventum, comprehenderint, in Syn. Salmant. an. 1335 cap. 17, et in Valent. an. 1565 *Sess.* 4 tit. 3 cap. 16 aliàs 21, quin et in Hispal. an. 1512 cap. 54, interdicto Ecclesiastico subjiciuntur loca, ubi personæ Ecclesiasticæ adprehensæ detineantur. Est et aliud personale item sacrilegium, illud scilicet, quod adversus sacratam Deo castitatem perpetratur, quod Syn. Tolet. I can. 16 decem annorum pœnitentia expiandum sanxit; et Syn. Herdens. can. 6, Virginis Deo devotæ corruptorem *à communione, et Christianorum consortio* segregandum constituit.—Jure civili Clericorum immunitatis violatores multa pecuniaria, et aliis pœnis à jure statutis plectendi: Legg. 3 tit. 1 lib. 2, 6 tit. 9 lib. 1 *Novis. Compilat.* Interfectores, vel mutilatores Clerici, aut Monachi capite damnandi: leg. 9 tit. 18 *Partit. I.* Turpissime se Sanctimoniali per vim sociantes, extremo quoque supplicio adficiendi sunt: leg. 3 tit. 20 *Partit. VII.*

2. Locale Sacrilegium, seu injuria locis sacris illata, excommunicatione quoque punitur jure nostro Ecclesiastico; unde negotiationes in Ecclesiis, aut cœmeteriis fieri, vel confugientes ab Ecclesia extrahi sub eadem excommunicationis pœna interdixit Syn. Vallisolet. cap. 18, et Salmant. præf. cap. 8.—Jure Regio colloquentes in Ecclesiis dum Sacra peraguntur, debitamque non servantes Ecclesiis, sive Altaribus reverentiam, pœna pecuniaria multantur: leg. 10 tit. 1 lib. 1 *Novis. Compilat.*; eademque multa, sed gravissima, qui Asyli privilegium infringere ausint: leg. 1 tit. 2 *ib.*, leg. 9, et 10 tit. 18 *Partit. I.*

3. Reale Sacrilegium, quod est rerum sacrarum ad profanos usus adplicatio, excommunicatione in laicis, et depositione in Clericis punitur, ut in Syn. Brac. III can. 3 sacrorum Ecclesiæ vasorum ad profanas compotationes abusus.—Jure civili, rerum sacrarum fures capite damnantur: leg. 18 tit. 14 *Partit. VII*: et adversus eos, qui bona Ecclesiæ, aut supellectilia occupaverint, pœna dupli constituta est: leg. 6 tit. 5, lib. 1 citat.)

TITULUS XII.

DE PERJURIO.

1. JUSJURANDUM AB ECCLESIA APPROBATUM.—2. PŒNÆ IN PERJUROS.

1.

NULLUM vinculum ad stringendam fidem jurejurando arctius esse, omnes semper intellexerunt. Vix enim credibile est, esse hominem tam impudentem, ac perditum, qui non totis artubus contremiscat, cum audet fidem fallere ab se datam, Deo interposito tum judice, tum teste. Quare Ecclesia probat, semperque probavit jusjurandum, ut homines firmius teneant quod Deo teste affirmate dixerunt; et plane disipiunt qui commune jusjurandum improbant, quod justis de causis emittitur (1). Vetat quidem Ecclesia aliquem temere, et inconsiderate, atque ex levi, et inani causa jurare (2); sed fides, et religio jurisjurandi, quæ justas habet causas, merito recepta, et probata est (3).

(1) Paschasius Quesnellus Obser. moral. Matth. c. 5 vers. 37, *nihil Spiritui Dei, et doctrinæ Jesu Christi magis oponi* arbitratur, *quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, et idiotis, et efficere, ut nomen, et veritas Dei aliquando deserviat consilio impiorum.* Quæ est propositio 101 damnata in Const. *Unigenitus.* Sed, quod bene animadverterunt 40 Galliæ Præsules in Instruc. Pastoral. accept. const. *Unigenitus*, sua hac sententia Quesnellus hoc sibi unum propositum habuit, ut vituperaret commune juramentum, quod ex formula Alexandri VII, exigitur, licet deinceps ejus asseclæ hanc sententiam traduxerint ad omnia juramenta, quæ à legitimis Potestatibus requiruntur. Ante Quesnellum Pelagiani, ut testatur Augustinus Ep. 157 n. 40 et 41 opp. t. 2 col. 559 ed. Ven. cit., commune jusjurandum improbarunt. Errorem hunc, cui nunc adhærent, qui sunt de secta Quackerorum, et Anabaptistarum, integrarunt Cathari, et Valdenses, quos refutavit Ven. Moneta peculiari opere *adversus Catharos, et Valdenses* l. 5 c. 9 p. 462 et seq. ed. Rom. 1743. In Synodo Constantiensi damnatus hic error Wiclefi est Sess. 8 art. 45 t. 16 Concil. col. 956 Collect. Labbæi: *Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus, et commercia civilia.* Est autem distinguenda, quod perperam aliqui non faciunt, invocatio Dei in testem, ab imprecatione, seu execratione, qua sibi jurans, si fallat, imprecatur, ut sibi ex. gr. Deus iratus sit. Sane utrumque esse distinguendum, constat ex juramenti formula, quæ extat apud Plautum in Ruden. act. 5 scen. 2 vers. 51 et seq. p. 1033 ed. Lugduni Batav. 1669, atque ex aliis formulis quas collegit Barnabas Brissonius *de Formulis.* Consule Sigonium l. 3 *de Republ. Atheniens.*, ubi refertur jusjurandum, quo se Heliastæ Atheniensium judices obstringebant. Pulchre S. Thomas duplex jusjurandum distinguit 2-2, qu. 89, art. 1 ad 3 arg.: « Alterum quidem est, inquit, per simplicem contestationem, sicut cum aliquis dicit: Est mihi Deus testis, vel coram Deo loquor, vel per Deum, quod idem est; aliud est per execrationem etc. »

(2) Deum vocare testem in re ludicra, et inani, est *in vanum Dei nomen assumere.* Confer S. Joannem Chrysostomum Hom. 9 n. 5 in Act. Apostolor. t. 9 p. 76 ed. Montfauconii Paris., S. Augustin. Serm. 180 al. 28 de Verb. Apostol. c. 9 opp. t. 7 col. 864 ed. Maurin. Ven. 1762, Catechismum Romanum de Secund. præcept. par. 3 c. 3 n. 7 et 12. Quod si peccat, qui Deum testem appellat in re, quæ parvi interest, multo magis peccat, qui se peccatum aliquod sive lethale, sive veniale facturum jurat. Peccat autem lethaliter. Adesis S. Ambrosium de Offic. ministror. l. 3 c. 12 t. 4 p. 471 ed. Ven. 1781, Salvianum l. 4 de Gubernat. Dei n. 15, 16 p. 83 ed. Pedepont. 1745, Conci-

lium Toletanum VIII. c. 2 t. 7 Concil. col. 414. Collect. Labbæi, Ilerdense can. 7 t. 5 col. 752, et S. Thomam 2, 2 qu. 98 art. 2 ad 1 argum. Hinc merito ab Innocentio XI. an. 1679 damnata est hæc propositio: *vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

(3) Juramenti auctoritatem, religionem, fidem probant Sacræ Literæ, in quibus ea occurrunt *Vivit Dominus: per memetipsum; juravi: sicut juravit Dominus, et non pœnitebit eum*, et alia similia. Imo passim Theologi observant, omnem Dei promissionem, atque assertionem juramentum esse. Jeremias IV, 2. *jurabitis*, inquit, *in veritate, et judicio, et justitia*, quæ sunt tres conditiones, quas et Ecclesia in juramento requirit, quibusque servatis recte commune jusjurandum emittitur. Paulus etiam non semel in epistolis jurat, ut I. ad Corinth. XV. 31, Roman. I. 9, Philipp. I. 8, et ad Hebræos VI 12 et seq., ubi Apostolus à Deo emissum jusjurandum memorat. Idem quoque confirmant Patres, in primis vero Athanasius Apolog. ad Constant. n. 8 opp. t. 1 p. 238, et Exposit. in psal. 62 p. 881 ed Patavii 1777, Hilarius in psalm. 62 opp. t. 1 col. 176, et de Trinit. l. 5 n. 30 t. 2 col. 125 ed. Veronæ 1730, Liberius Ep. 4 ad Constant. n. 5 apud Constantium Ep. Rom. Pontific. col. 425. Augustinus Serm. 180 al. 28 de Verb. Apostolic. c. 4 t. 5 col. 861 ed. cit., « Si peccatum, inquit, esset juratio, nec in veteri Lege diceretur: *non perjurabis, reddes autem Domino jusjurandum tuum.* Non enim peccatum præciperetur nobis. . . . . et c. 5: ut noveritis verum jurare non esse peccatum, invenimus et Apostolum Paulum jurasse etc.; et c. 2 col. 859: Invenimus jurasse primitus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum: *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum etc.* Æternitatem Sacerdotii filio cum juramento promisit. Habet etiam: *per memetipsum juro, dicit Dominus*: et illud juratio est: *vivo ego, dicit Dominus*: quomodo homo per Deum, ita Deus per seipsum. Non est ergo peccatum jurare. . . jurat Deus, qui peccatum non habet. Non ergo est peccatum jurare: sed magis peccatum est perjurare. » Vide etiam S. Thomam 2, 2 qu. 89 art. 2, et Innocentium III. in c. 26 de Jurejur. Eadem est perpetua Ecclesiæ disciplina. Evagrium, Constantinopolitanum Diaconum, lectis Evangeliis jurasse, scribit Sozomenus Histor. l. 6 cap. 30 p. 263 ed. Cantabrig. 1720. Concilium Toletanum VIII. can. 2 t. 7 col. 414 Collect. ejusd. justas jurandi causas describit. Patres Concilii Constantinopolitani Œcumenici VI. Act. 14 t. 7 col. 1011, Georgium Diaconum in singulis propositis quæstionibus jurare coegerunt; de jurejurando à Marcellino Comite interposito in collatione inter Catholicos, ac Donatistas, testimonium perhibet Augustinus Collat. Carthag. die 1 c. 5 opp. t. 9 col. 546 ed. cit. Constantinus M. Arii juramentum accepit, ipseque L. 4 Cod. Theod. de Accusat. jurejurando concludit. Similiter jurisjurandi mentionem facit Arcadius L. 3 Cod. Theod. de Pactis, atque illud ad dirimendas lites, præcidendasque calumnias interponi vult Justinianus in L. 2 cod. de Juram. prop. calumn. Ne omnia persequar, quæ prope innumera sunt Concilium Constantiense reconciliandos singulis propositis articulis jurejurando respondere jussit, ac Synodus Tridentina à Magistris, à novis Canonicis, atque ab aliis sacramentum emitti voluit. Quæ ex Sacris Literis contra jusjurandum educi solent, præclare diluuntur à S. Augustino Serm. 180 cit. col. 859 seq., S. Hieronymo Comment. in Mat. c. 5 ver. 34 t. 7 col. 30 ed. Vallarsii Veronæ. S. Thoma cit. qu. 89 art. 2 ad arg. 1 et 2, Pilichdorffio contr. Valdens. c. 36 t. 25 Biblioth. PP. p. 298 ed. Lugdun., Ebrardo in Antihæresi adver. Valdens. c. 14 t. 24 ejusdem Biblioth. p. 1555, Ven. Moneta l. cit. par. 1 §. 1 et seq. p. 463 et seq., Innocentio III. cit. cap. 26 de Jurejur. S. Joannem Chrysostomum ab ea, quam illi Anabaptistæ impingunt, calumnia egregie liberat doctus Auctor notationum in Ven. Monetam l. c. not. 36 p. 475. Consule Catechismum Romanum de 2 Præcept. par. 3 c. 3 n. 15 et 16, Interpretes Sac. Scripturæ in Eccles. c. 23, et in Matt. c. 5, præterea PP. Maurinos in Hilarium in Matth. c. 4 n. 23 lit. g. col. 687 t. 1 ed. Veronæ 1730, P. la Fontaine t. 4 Const. Unig. theol. pro ult., P. Paulum à Lugduno t. 2 Antiexajd. prop. ult. Vivam prop. damnat. Quesnelli 101.

2. Cum autem jurisjurandi fides sancta esse debeat, facile intelligitur, quam grave sit scelus eorum, qui hanc fidem fallunt, hoc est perjurium admittunt. Nam hi non tantum fidem, sed etiam graviter negligunt reverentiam debitam Deo, quem fidei testem advocarunt (1). Hinc plures adversus perjuros pœnæ sunt constitutæ. Eos, non secus ac fures, et adulteros, sese ab altari rejecturum minatur Chrysostomus (2); per undecim vero annos communionis expertes esse Basilius jubet (3). Jure civili, et canonico perjuri infames sunt (4), arcentur à ferendo testimonio (5), atque ab ecclesiasticis beneficiis (6), et aliis etiam, pro rerum, criminisque ratione, pœnis subjiciuntur.

(1) Confer. S. Augustinum Serm. 180 al. 28 c. 6 et 7 opp. t. 7 col. 862 ed. Ven. 1762, S. Joannem Damascenum Sacr. parallel. lit. o. tit. 12 opp. t. 2 p. 631 ed. Lequienii Ven. 1748, S. Thomam 2, 2 qu. 98 art. 2, Catechismum Romanum p. 3 c. 3 n. 20.

(2) S. Joann. Chrysostomus Homil. 17 in Matth. n. 5 opp. t. 7 col. 228 ed. Paris. 1727.

(3) S. Basilius Epist. canon. Can. 64 apud Labbæum Conc. t. 2 col. 1536 ed. Ven.

(4) L. 8 Cod. Theod. de Pactis, can. 9 caus. 3 qu. 5, can. 17 caus. 6 qu. 1, can. 7 caus. 22 qu. 5.

(5) Cap. 7 et 54 de Testib.

(6) Confer Gonzalezium in c. 11 de Jurejur. n. 8.

* De sancitis Hisp. legibus in *perjuros* pœnis ante novis. *cod. pœn.*, consul. Præpos. D. Jo. Sala citatum opus: *Ilustracion del Derecho Real*, lib. 2 tit. 26 §. 5.*

TITULUS XIII.

DE DIVINATIONE.

1. DIVINATIO QUID, ET QUOTUPLEX? —2. AUGURIUM. —3. SORTILEGIUM. —4. PACTUM CUM SATANA. —5. PŒNÆ IN EOS, QUI DIVINATIONI, ET SORTILEGIO STUDENT.

1.

DIVINATIO significat præsensionem, et scientiam rerum futurarum. Hæc autem ars, non solum vana, et futilis, sed etiam

lium Toletanum VIII. c. 2 t. 7 Concil. col. 414. Collect. Labbæi, Ilerdense can. 7 t. 5 col. 752, et S. Thomam 2, 2 qu. 98 art. 2 ad 1 argum. Hinc merito ab Innocentio XI. an. 1679 damnata est hæc propositio: *vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

(3) Juramenti auctoritatem, religionem, fidem probant Sacræ Literæ, in quibus ea occurrunt *Vivit Dominus: per memetipsum; juravi: sicut juravit Dominus, et non pœnitebit eum*, et alia similia. Imo passim Theologi observant, omnem Dei promissionem, atque assertionem juramentum esse. Jeremias IV, 2. *jurabitis*, inquit, *in veritate, et judicio, et justitia*, quæ sunt tres conditiones, quas et Ecclesia in juramento requirit, quibusque servatis recte commune jusjurandum emittitur. Paulus etiam non semel in epistolis jurat, ut I. ad Corinth. XV. 31, Roman. I. 9, Philipp. I. 8, et ad Hebræos VI 12 et seq., ubi Apostolus à Deo emissum jusjurandum memorat. Idem quoque confirmant Patres, in primis vero Athanasius Apolog. ad Constant. n. 8 opp. t. 1 p. 238, et Exposit. in psal. 62 p. 881 ed Patavii 1777, Hilarius in psalm. 62 opp. t. 1 col. 176, et de Trinit. l. 5 n. 30 t. 2 col. 125 ed. Veronæ 1730, Liberius Ep. 4 ad Constant. n. 5 apud Constantium Ep. Rom. Pontific. col. 425. Augustinus Serm. 180 al. 28 de Verb. Apostolic. c. 4 t. 5 col. 861 ed. cit., « Si peccatum, inquit, esset juratio, nec in veteri Lege diceretur: *non perjurabis, reddes autem Domino jusjurandum tuum.* Non enim peccatum præciperetur nobis. . . . . et c. 5: ut noveritis verum jurare non esse peccatum, invenimus et Apostolum Paulum jurasse etc.; et c. 2 col. 859: Invenimus jurasse primitus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum: *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum etc.* Æternitatem Sacerdotii filio cum juramento promisit. Habet etiam: *per memetipsum juro, dicit Dominus*: et illud juratio est: *vivo ego, dicit Dominus*: quomodo homo per Deum, ita Deus per seipsum. Non est ergo peccatum jurare. . . jurat Deus, qui peccatum non habet. Non ergo est peccatum jurare: sed magis peccatum est perjurare. » Vide etiam S. Thomam 2, 2 qu. 89 art. 2, et Innocentium III. in c. 26 de Jurejur. Eadem est perpetua Ecclesiæ disciplina. Evagrium, Constantinopolitanum Diaconum, lectis Evangeliis jurasse, scribit Sozomenus Histor. l. 6 cap. 30 p. 263 ed. Cantabrig. 1720. Concilium Toletanum VIII. can. 2 t. 7 col. 414 Collect. ejusd. justas jurandi causas describit. Patres Concilii Constantinopolitani Œcumenici VI. Act. 14 t. 7 col. 1011, Georgium Diaconum in singulis propositis quæstionibus jurare coegerunt; de jurejurando à Marcellino Comite interposito in collatione inter Catholicos, ac Donatistas, testimonium perhibet Augustinus Collat. Carthag. die 1 c. 5 opp. t. 9 col. 546 ed. cit. Constantinus M. Arii juramentum accepit, ipseque L. 4 Cod. Theod. de Accusat. jurejurando concludit. Similiter jurisjurandi mentionem facit Arcadius L. 3 Cod. Theod. de Pactis, atque illud ad dirimendas lites, præcidendasque calumnias interponi vult Justinianus in L. 2 cod. de Juram. prop. calumn. Ne omnia persequar, quæ prope innumera sunt Concilium Constantiense reconciliandos singulis propositis articulis jurejurando respondere jussit, ac Synodus Tridentina à Magistris, à novis Canonicis, atque ab aliis sacramentum emitti voluit. Quæ ex Sacris Literis contra jusjurandum educi solent, præclare diluuntur à S. Augustino Serm. 180 cit. col. 859 seq., S. Hieronymo Comment. in Mat. c. 5 ver. 34 t. 7 col. 30 ed. Vallarsii Veronæ. S. Thoma cit. qu. 89 art. 2 ad arg. 1 et 2, Pilichdorffio contr. Valdens. c. 36 t. 25 Biblioth. PP. p. 298 ed. Lugdun., Ebrardo in Antihæresi adver. Valdens. c. 14 t. 24 ejusdem Biblioth. p. 1555, Ven. Moneta l. cit. par. 1 §. 1 et seq. p. 463 et seq., Innocentio III. cit. cap. 26 de Jurejur. S. Joannem Chrysostomum ab ea, quam illi Anabaptistæ impingunt, calumnia egregie liberat doctus Auctor notationum in Ven. Monetam l. c. not. 36 p. 475. Consule Catechismum Romanum de 2 Præcept. par. 3 c. 3 n. 15 et 16, Interpretes Sac. Scripturæ in Eccles. c. 23, et in Matt. c. 5, præterea PP. Maurinos in Hilarium in Matth. c. 4 n. 23 lit. g. col. 687 t. 1 ed. Veronæ 1730, P. la Fontaine t. 4 Const. Unig. theol. pro ult., P. Paulum à Lugduno t. 2 Antiexajd. prop. ult. Vivam prop. damnat. Quesnelli 101.

2. Cum autem jurisjurandi fides sancta esse debeat, facile intelligitur, quam grave sit scelus eorum, qui hanc fidem fallunt, hoc est perjurium admittunt. Nam hi non tantum fidem, sed etiam graviter negligunt reverentiam debitam Deo, quem fidei testem advocarunt (1). Hinc plures adversus perjuros pœnæ sunt constitutæ. Eos, non secus ac fures, et adulteros, sese ab altari rejecturum minatur Chrysostomus (2); per undecim vero annos communionis expertes esse Basilius jubet (3). Jure civili, et canonico perjuri infames sunt (4), arcentur à ferendo testimonio (5), atque ab ecclesiasticis beneficiis (6), et aliis etiam, pro rerum, criminisque ratione, pœnis subjiciuntur.

(1) Confer. S. Augustinum Serm. 180 al. 28 c. 6 et 7 opp. t. 7 col. 862 ed. Ven. 1762, S. Joannem Damascenum Sacr. parallel. lit. o. tit. 12 opp. t. 2 p. 631 ed. Lequienii Ven. 1748, S. Thomam 2, 2 qu. 98 art. 2, Catechismum Romanum p. 3 c. 3 n. 20.

(2) S. Joann. Chrysostomus Homil. 17 in Matth. n. 5 opp. t. 7 col. 228 ed. Paris. 1727.

(3) S. Basilius Epist. canon. Can. 64 apud Labbæum Conc. t. 2 col. 1536 ed. Ven.

(4) L. 8 Cod. Theod. de Pactis, can. 9 caus. 3 qu. 5, can. 17 caus. 6 qu. 1, can. 7 caus. 22 qu. 5.

(5) Cap. 7 et 54 de Testib.

(6) Confer Gonzalezium in c. 11 de Jurejur. n. 8.

* De sancitis Hisp. legibus in *perjuros* pœnis ante novis. *cod. pœn.*, consul. Præpos. D. Jo. Sala citatum opus: *Ilustracion del Derecho Real*, lib. 2 tit. 26 §. 5.*

TITULUS XIII.

DE DIVINATIONE.

1. DIVINATIO QUID, ET QUOTUPLEX? —2. AUGURIUM. —3. SORTILEGIUM. —4. PACTUM CUM SATANA. —5. PŒNÆ IN EOS, QUI DIVINATIONI, ET SORTILEGIO STUDENT.

1.

DIVINATIO significat præsensionem, et scientiam rerum futurarum. Hæc autem ars, non solum vana, et futilis, sed etiam

impia, comprehendit astrologiam, augurium, sortilegium, divinationem per pactum, quod cum Satana conventum dicitur. Astrologia pertinet ad trajectiones, motusque stellarum: et qui ex earum rerum observatione significari, prædicique putant, quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus sit, Astrologi dicuntur; olim et Mathematici vulgo dicebantur. Genus hominum ineptissimorum vehementer improbant non ecclesiasticæ solum (1), sed etiam civiles leges (2).

(1) Vide Tertullianum de Idololatr. c. 9 p. 89 ed. Paris. Rigaltii 1675.; Auctorem constitut. Apostolic. l. 8 c. 32 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 417 ed. cit., S. Leonem M. Serm. 27 c. 3 et 4 opp. t. 1 col. 94 et Serm. 57 c. 5 col. 217 ed. Ballerin. Ven. 1753, S. Augustinum de Doctrin Christ. l. 2 c. 23 opp. t. 3 col. 45 et Serm. 9 c. 3 t. 7 col. 50 ed. Ven. 1762, S. Hieronymum *in Isaiam* l. 13 c. 48 opp. t. 4 col. 453 et 454 ed. Vallarsii Ven. 1767, præterea Concilium Toletanum I. in Regul. fidei contr. Priscillianist. t. 2 concil. col. 1477. Collect. Labbæi, quod ob hoc potissimum crimen anathematis pœnam in Priscillianistas constituit. Hi enim, ut testantur Leo M. Ep. 25 ad Turibium c. 11 opp. t. 1 col. 703 ed. Ballerin. Ven. 1753, et Augustinus de Hæres. c. 70 opp. t. 10 col. 25 ed. cit., omnia fato, ac syderum conversioni adscribebant. Eadem ars dicta etiam fuit Astrologia *Apotelesmatica;* quoniam occulti effectus, et potestates astrorum in conjunctione, et oppositione, *Apotelesmata* vocabantur. Hinc qui eam artem exercebant, *Apotelesmatici* appellati sunt, atque etiam *Mathematici, et Chaldæi,* eaque ars eadem fuit, ac *Astrologia judiciaria,* quam vocamus. Eusebium Emissenum accusatum fuisse, quod hanc artem tractaret, eaque de causa relicto Episcopatu fugam arripuisse, scribit Sozomenus Histor. l. 3 c. 6 p. 99 ed. Cantabrig.; et Aquilam Ponticum, quod nimium Mathematicorum artibus tribueret, ab Ecclesia ejectum fuisse, narrat Epiphanius de Mensur. et pond. §. 15 opp. t. 2 p. 171 ed. Coloniæ 1682. Aliud simile de Astrologo exemplum habet Augustinus de Mathematic. ad calc. tract. in psalm. 61 opp. t. 5 col. 803 ed. cit.

(2) Consule utrumque Codicem Theodosianum, et Justinianeum tit. de Mathem. et malefic.

2. Augurium comprehendit *Haruspicium*, et *Aruspicinam*, quibus signa, et indicia quæruntur in extis victimarum; et *augurium* angustiori significatione acceptum, quod volatibus avium, cantibusque, ut certissimis signis, declarari res futuras docet, et *omen*, per quod ex hominis voce, atque etiam ex sternutamento indicia capiuntur; et *chiromantiam*, *metoposcopiam*, et *notomantiam*, quibus aliquis ex manibus, ex vultu, ac fronte, vel ex dorso res occultas, et latentes indagare conatur. Quantam Romani inanissimis hisce artibus operam dederint, res est nota cunctis, et mandata monumentis; sed eas semper Ecclesia gravissime improbavit (1).

(1) Consule Auctorem Constit. Apostol. l. 8 c. 32 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 417 ed. cit., S. Cyrillum Hierosol. catech. 19 mistag. 1 n. 8 p. 309 ed. Ven. 1763, S. Augustinum de Doctrin. Christian. l. 2 c. 20 seq. opp. t. 3 col. 40 ed. Ven. 1759, S. Thomam 2, 2 qu. 95 art. 2, Concilium Eliberitanum can. 62 t. 1 concil. col. 999 collect. Labbæi, Agathense can. 42 t. 5 col. 528, Veneticum can. 16 t. 5 col. 82, Aurelianense I. can. 30 t. eod. col. 547.

3. Sortilegium, sive divinatio per sortes fit, cum per sortes quæritur, quid agendum quidve vitandum sit. Ethnici divinabant per sortes, quas *Virgilianas* vocabant; cum scilicet temere arrepto Virgilii Poetæ libro, quicumque versus primum occurreret pro sorte, oraculi loco habebatur. Ita Hadrianum, et Alexandrum Severum Virgilianas sortes de Imperio consuluisse, Spartianus (1), et Lampridius (2) memoriæ prodiderunt. Eodem prorsus modo superstitiosi quidam Christiani sacris Biblis abutebantur, quod *sacras sortes* appellabant, quodque complurium Synodorum canonibus damnatum est (3). Haud tamen vetitum est adhibere sortes, quas *politicas* vocamus (4), ut si agri sortibus dividantur, aut in exercitu definiatur, quis primus impetum in hostem facere debeat. Verum Ecclesiastica officia, et canonicæ electiones sortibus committi non debent (5); nisi ea de re peculiare Christi mandatum sit, uti in electione Matthiæ Apostoli factum est (6).

(1) Spartianus in Vit. Hadrian. p. 19 et 20 inter Histor. August. Script. t. 1 ed. Lugdun. Batav. 1671.

(2) Lampridius in Vit. Alex. Sever. p. 899 eod. loc. t. 1.

(3) Confer Concilium Agathense, Veneticum, Aurelianense I. loc. imox. cit., et vide etiam S. Augustinum Ep. 55 c. 20 opp. t. 2 col. 189 ed. Ven. 1759.

(4) Consule Augustinum Ep. 228 ad Honorat. n. 12 opp. t. 2 col. 1086 ed. cit., et de Doctrin. Christian. l. 1 c. 28 t. 3 col. 17.

(5) Cap. ult. de Sortileg.

(6) De hac Matthiæ per sortes facta electione Hieronymus in Jonam c. 1 vers. 7 opp. t. 6 col. 398 ed. Vallarsii Veron. habet hæc: *Nec statim debemus sub hoc exemplo sortibus credere, vel illud de actibus Apostolorum huic testimonio copulare, ubi sorte in Apostolatum Matthias eligitur; cum privilegia singulorum non possint facere legem communem.* Confer N. Alexandrum Hist. eccles. I. sæc. c. 1 t. 3 p. 7 ed. Ven. 1776.

4. Deterior est divinatio per explicitum pactum cum Satana; nimirum cum ipse Satanas dat responsa consulenti, aut per imagines, et idola, quæ *oracula* dicebantur; aut per suos vates, quos *Phytones*, aut *Phytonissas* vocabant, hoc est genio familiari, sive spiritu fatidico agitatos; aut per somnia, quod appe-

habant *vaticinationem per somnia*; aut per spectra, et visiones mortuorum, quod proprie dicebant *vaticinationem*, quæ fiebat evocatis mortuis, aut per cranium hominis mortui, aut per certa signa, et figuras factas in terra, vel aqua, aere, igne, vitro, cribro, et sexcentis aliis fallaciarum modis (1). Gravissimum hoc crimen, quod aliquid in se admixtum habet ex idololatria, hæresi, incredulitate, apostasia, sacrilegio, hypocrisi, curiositate, et ambitione, semper asperioribus pœnis, non ecclesiasticæ solum (2), sed etiam civiles leges (3) coercuerunt.

(1) Late de his omnibus agunt, præter ceteros, Martinus Deltio Disquisit. magic. l. 4 c. 2, et Leonardus Lessius de Justit. et jur. l. 2 c. 45 dub. 5.

(2) Confer Auctorem constit. Apostol. l. 8 c. 32 cit., et Concilium Ancyranum can. 23 t. 1 Concil. col. 1500 collect. Labbæi.

(3) L. 4 cod. Theod. de Malefic. et mathem., quam in legem vide Gothofredum.

5. Romani Pontifices, pro cura, et solicitudine, quam habent totius Ecclesiæ, saluberrimas edidere leges, quibus antiquiora ecclesiastica decreta confirmata sunt, et provisum est diligentius, ut Christiani homines ab inani, et improbo divinationis studio deterreantur. Huc sane spectant Decretales à Gregorio IX. descriptæ (1), et his recentiores Constitutiones Leonis X. (2), Sixti V. (3), Gregorii XV. (4), Urbani VIII. (5), quibus sortilegiorum rei pœnitentiæ subjiciuntur, et infamia notantur; perseverantes autem in scelere, laici excommunicationis, clerici depositionis pœna plectuntur, atque ecclesiasticis beneficiis privantur, aliisque etiam tam clerici, quam laici, pro criminis immanitate, pœnis afficiuntur. Non tantum autem his pœnis subsunt, sed etiam à sacrificio Missæ celebrando perpetuo repelluntur Sacerdotes, qui ipso sacrificio abuti ad sortilegia ausi sunt (6).

(1) Cap. 1 et 2 de Sortileg.

(2) Leo X const. *Supernæ* 8 §. 41 in Bullar. Roman. ult. ed. t. 3 par. 3 p. 400.

(3) Sixtus V. const. *Cœli et terræ* 26 t. 4 par. 4 p. 176 Bullar. Roman.

(4) Gregorius XV. const. *Omnipotentis Dei* 101 t. 5 par. 5 Bullar. Roman. p. 97.

(5) Urbanus VIII. const. *Inscrutabilis* 362 t. 6 par. 1 Bullar. p. 268; qua quidem constitutione præsertim gravissimis afficiuntur pœnis Astrologi, qui de statu Christianæ Reipublicæ, vel Sedis Apostolicæ, aut de vita Summi Pontificis, ejusque consanguineorum judicium ferunt.

(6) Decretum sac. Romanæ Inquisitionis die 5. Augusti 1745, quod à Benedicto XIV. comprobatum est.

TITULUS XIV.

DE MAGIA.

1. MAGIA QUID?—2. PŒNÆ IN MAGOS.

1.

DIVINATIONI affinis *est magia* supersticiosa, quæ proprie à rei Canonicæ Scriptoribus *magia* nuncupatur, per quam scilicet ope dæmonis magna, et mirabilia fieri videntur (1); eaque sic distinguitur à magia naturali, per quam à philosophis per causas naturales sæpe mira patrantur. Sed magia à divinatione differt, quod per illam fiunt, quæ mirabilia apparent, per hanc autem occulta quæruntur. Magi sæpe *benefici*, et *malefici* appellantur, quoniam aliis veneno, atque præstigiis mala afferre conantur. Hos morte mulctari jube Constantinus (2), atque ipsis etiam spem prorsus adimit veniæ, quæ in Paschate criminum reis concedebatur (3).

(1) Confer Mamachium, qui Origin. et antiquit. Christian. l. 3 c. 1 §. 8 t. 3 p. 128 et seq. copiosé refellit opinionem eorum, qui magos unquam vixisse inficiantur.

(2) L. 3 et 5 cod. Theod. de Malefic.

(3) L. 1, 3, 4, 6, 7, 8, cod. Theod. de Indulgent. crimin.

2. Ecclesiæ legibus magi iisdem, quibus sortilegi, pœnis afficiuntur; nimirum excommunicatione, et si clerici fuerint, depositione (1). Qui sortilegio, aut maleficio suo alienæ mortis causa fuit, sæculari curiæ tradendus est, ut meritis plectatur pœnis; qui maleficio, et sortilegio mortis causam non dedit, in perpetuum carcerem detruditur (2). Etiam consulentes magos, atque sortilegos in excommunicationem incidunt, et si clerici fuerint, gradu, ac dignitate moti, perpetuæ pœnitentiæ subjiciuntur (3). Sed his in rebus, ut plurimum, locus est arbitrio judicis, qui pro criminis, et rerum ratione, modo leviores, et modo asperiores pœnas infligit.

(1) Consule Decretum caus. 26 qu. 5, et Decretales in tit. de Sortileg., item Concilium Laodicenum can. 36 t. 1 concil. col. 1558 collect. Labbæi, Ancyranum can. 23 t. 1 col. 1500, Carthaginense IV. can. 89 t. 2 col. 1444, ut mittam quæ Auctor *Recognitionum* l. 4 n. 26 et seq. apud Cotelerium PP. Apostol. t. 1 p. 545 ed. Amstelæd. cit., Tertullianus de Idololatr. c. 9 p. 89

ed. Paris. 1675, Origenes contr. Cels. l. 1 n. 24 p. 342, et l. 4 n. 34 opp. t. 1 p. 527 seq., ed. Paris. 1733, adversus hoc crimen scriptum reliquerunt.

(2) Gregorius XV. cit. const. *Omnipotentis Dei.*

(3) Concilium Toletanum IV. can. 29 concil. t. 6 col. 1460 collect. Labbæi. Confer etiam paulo ante laudatam Urbani VIII. *Constitutionem.*

(N. S. Ad Hispanias quantum attinet, jure Ecclesiastico, Astrologi, augures, incantatores, vanis dediti observantiis, aliique hujus furfuris homines, anathematis maledictione feriuntur *in Regula Fidei Cathol. Conc. Tolet. 1* cap. 15. Tum publica, et acerbissima fustigatione puniti, venumdari, eorumque pretia pauperibus erogari, et ipsorum opera utentes excommunicatione puniri, ex sex unciarum puri auri pœna multari jubentur in Syn. Narbon. cap. 15. Adhæc excommunicatione plectuntur tam hi, quam eos consulentes, in Syn. Vallisolet. an. 1322, cap. 25, et Salmant. an. 1335 cap. 15. Postremo iidem, eisque auxilium præstantes, excommunicatione quoque *latæ sententiæ*, et multa pecuniaria puniuntur; et si scelus iteraverint, duplo majori multâ, infamiâ, et exilio, in Syn. Hispal. an. 1512. cap. 5. Clerici vero, qui ad magos, vel augures, ut ab eis consilia accipiant, accesserint, ab omni honore deponendos, et in Monasterium detrudendos, decrevit Synod. Tolet. IV can. 29 alias 28.—Jure civili, incantatores et magos ducentorum verberum, infamiæ, et perpetuæ incarcerationis pœna coercendos, decrevit Chindasvinthus leg. 1 et 3 tit. 2 lib. 6 *Fori Judic.*; sed extremo etiam supplicio puniendos constituit Alphonsus Sap. leg. 3 tit. 23 *Partit. VII*; atque etiam Joannes Castellæ I, itemque Joannes II legg. 1 et 2 tit. 4 lib. 12 *Novis. Compil.* Tum et eos consulentes, ducentorum verberum, ipsos occultantes exilii pœna damnantur, uti sanxerunt Chindasvinthus, et Joannes II *in modo indic. leg.*)

De *animali magnetismo* consul. *Dict. Can. Jur.* Auct. *André*, edit. Matrit., tom. 3 à pag. 274.

TITULUS XV.

DE DELICTIS VENEREIS.

1. VENEREORUM CRIMINUM SPECIES.—2 ET 3. PŒNÆ FORNICATIONIS, ET CONCUBINATUS.—4. STUPRI.—5. ADULTERII.—6. INCESTUS.—7. SACRILEGII.—8. RAPTUS.—9. SODOMIÆ, ET CONCUBITUS CUM BESTIIS.

1.

Venereorum criminum species sunt: fornicatio simplex, concubinatus, stuprum, adulterium, incestus, sacrilegium, raptus, sodomia, conjunctio cum bestiis, quæ vulgo *bestialitas* appellatur. Fornicatio est voluntarius concubitus viri cum muliere, qui duo inter se inire matrimonium possent, quoniam neuter alio vinculo obstrictus est. Concubinatus est conjunctio, seu consuetudo viri soluti, hoc est matrimonio non obligati, cum soluta item fœmina, quæ uxoris loco non est: stuprum, vetita compressio virginis; adulterium, alieni thori violatio (1); incestus, conjunctio affinium, aut consanguineorum; sacrilegium, concubitus cum persona, quæ se Deo vovit; raptus, violenta abductio honestæ personæ, libidinis explendæ causa (2). Sodomia est conjunctio duarum personarum ejusdem sexus, quæ sodomia *perfecta* dicitur; eam vero proxime sequitur sodomia *imperfecta*, quam admittunt duæ personæ dissimilis sexus, quæ corporum copulatione violarunt ordinem, quem liberorum procreandorum causa natura constituit. Denique est *bestialitas*, cum quis libidine sua bestias appetivit.

(1) Adulterium jure civili tantum in alienam conjugem L. 54 ff. ad L. Jul. de Adulter.; jure vero canonico à marito alieno in quamlibet etiam innuptam fœminam committitur can. 13, 15 cau. 32 qu. 5. Falso autem Cujacius in Decretal. c. 4 tit. 1 l. 1 opp. t. 6 col. 762 ed. Ven. reprehendit Alexandrum III., quod, ut ipse inquit, in c. 4 de Judic. adulterium inter leviora crimina recensuit. Cujacium sequuntur hæretici complures, quorum in Romanos Pontifices insigne odium est, atque inter eos Antonius Matthæus de crimin. proleg. c 6, eo usque impudentia progreditur, ut ad hoc vitium proclivem audacissime dicat sanctissimum Pontificem, cujus continentia omnibus monumentis testata est, ac ne in suspicionem quidem adducta in eo diro, ac diuturno schismate, quo ipse vexatus fuit, opera præsertim Friderici I. Imperatoris, qui contra eum tres, aut quatuor, ut alii putant, Anti-Papas impense fovit. Sed impudentissimam calumniam invicte refutavit Carolus Blascus Diatrib. 2 ad c. 4 de Judic. inter ejus opuscul. canonic. Neapoli edita an. 1758 t. 1 p. 163 seq.

(2) De his, ceterisque criminibus, quorum hoc loco mentio est, copiose agit Renazzius Instit. Criminal. l. 4 per tot.

2. Simplex fornicatio, præsertim clericorum, antiquis canonibus variis puniebatur pœnis (1); nunc fere omnes judicis arbitrio relictæ sunt. De concubinatu multa jure novo Concilii Tridentini (2) sapienter sunt constituta. Nimirum qui in ejus sceleris contagione versantur, ter ab Episcopo monendi, et si monitis non obediant, excommunicandi, aliisque etiam plectendi sunt pœnis, cum per annum censuras neglexerunt. Concubinæ vero ab Episcopis ex officio graviter puniendæ sunt, atque extra oppidum, vel diœcesim relegandæ.

(1) Canon Apostolicus 53 apud Cotelerium l. c. p. 450, et Concilium Neocæsariense can. 9 t. 1 concil. col. 1511 collect. Labbæi, hujus criminis reos nunquam inter clericos cooptari, et cooptatos per ignorantiam, offerendi munere privari voluerunt. Virginibus, quæ virginitatem suam non custodierint, pœnitentiam imponit Concilium Eliberitanum can. 14 col. 994 t. 1 concil. collect. Labbæi.

(2) Concilium Tridentinum Sess. 24 cap. 8 de Reform. matrim.

3. Clerici concubinarii, si nullum habeant beneficium, in

carceres detruduntur, suspenduntur ab ordine, ab obtinendis in posterum beneficiis repelluntur, aliisque etiam, pro Episcopi arbitrio, et prudentia, criminisque natura, pœnis subjiciuntur. Clericus autem beneficiarius semel monitus, et in scelere perseverans, privatur tertia parte fructuum beneficiorum, qui ab Episcopo Ecclesiæ, vel alteri pio loco adscribuntur. Si iterum monitus non resipiscat, cunctis privatur fructibus, atque etiam Episcopi arbitrio à beneficii administratione suspenditur; si neque his monitis pareat, cuncta ei beneficia, et officia adimuntur, spesque omnis præciditur aliorum in posterum obtinendorum; denique si nondum deserat pravum vitæ institutum, pœna excommunicationis plectitur. Episcopus hujus criminis reus à provinciali Synodo monendus est, monita despicieus suspenditur, et adhuc flagitiose vivens, à Summo Pontifice Episcopatu privatur (1).

(1) Concilium Tridentinum Sess. 25 c. 14 de Reform.

4. Stuprum à Clerico illatum, Ecclesiæ leges multant pœna depositionis ab officio, et onere dotandi puellam, quæ vim passa est (1). Hodie, præter dotationem, suspensio, multa pecuniaria, carcer etiam perpetuus, aliæque pœnæ Episcopi arbitrio infliguntur. Laicus, qui hujusmodi crimen patravit, aut dotare, aut uxorem ducere debet mulierem, cum qua concubuit (2); nisi aliud status personarum, aut rerum conditio postulet, quia tunc pecunia dotis loco danda est. Verum qui mulierem compressit, data matrimonii fide, is eamdem fidem liberare omnino debet (3). Civiles leges capitis etiam condemnant hominem, qui mulierem per vim stupravit, præsertim valde honestam, aut puellam nondum maturam viro (4). Qui vim intulit, sed stuprum perficere non potuit, subest pœnis, quæ judicis arbitrio infliguntur.

(1) Cap. 1 de Adulter. et stupr.
(2) In c. 1 cit. statuitur, ut qui stuprum intulit, utrumque præstet, scilicet, et dotet, et uxorem ducat mulierem, cum qua concubuit. Verum Juris Canonici interpretes conjunctivam particulam *et* disjunctive accipiunt, ut scilicet criminis reus alterutrum tantum præstare cogatur. Confer Fagnanum in c. 2 de Adulter. et stupr. n. 2 et 3, et Maschat. Instit. Canonic. l. 5 tit. 16 n. 12
(3) Consule Giraldum Exposit. jur. Pontific. l. 5 tit. 16 sect. 854.
(4) L. 1 §. ult. ff. de Extraord. crim.

5. Adulterium à Jure Civili gladio (1), à Jure Canonico in

laico excommunicatione, in clerico depositione punitur (2), aut uterque certæ pœnitentiæ subjicitur (3). Mulieres autem in monasterium ad perpetuam pœnitentiam, si eas viri recipere noluerint, detruduntur (4). Hodie adulteri in carceres conjiciuntur, atque aliis subsunt pœnis, quæ legibus, moribusque populorum receptæ sunt; et alicubi adulterium etiam morte multatur (5). Ubique tamen receptum est, ut propter adulterium, perpetuum inter conjuges divortium fiat, uti demonstratum supra est.

(1) L. 30 cod. ad L. Jul. de Adulter., §. 4 Instit. de Publ. judic.
(2) Cap. 6 de Adulter. et stupr.
(3) Confer Basilium Ep. Canon. 1 ad Amphiloch. can. 3 apud Labbæum t. 2 concil. col. 1509 ed. Ven., Concilium Ancyranum can. 20 t. 1 col. 1494, Eliberitanum can. 64 et 69 t. cod. col. 998 et 1000 collect. Labæi.
(4) Cap. 19 de convers. conjug., Auth. Sed hodie cod. ad L. Jul. de Adulter.
(5) Confer Maschatum Inst. Jur. Canon. l. 5 tit. 16 n. 15. Huc etiam spectat Constitutio *Ad compescendam* 70 in Bullar. t. 4 part. 4 p. 267, quam contra adulteros, et adulteras, itemque contra lenones, et lenas Sixtus V. evulgavit.

6. Adulterorum quoque pœnis, aliisque gravioribus, aut levioribus, uti fert ratio criminis, et prudentia judicis, plectuntur incesti, qui scilicet cum consanguineis, aut affinibus usque ad gradus prohibitos concubuerunt. Eodemque jure censentur, qui liberis dedere operam cum ea, quam de sacro fonte susceperunt, vel in chrismate tenuerunt. Illud præsertim est proprium incestus, quod qui eum sciens commisit cum conjugis consanguineis, conjugale debitum petere non potest (1).

(1) C. 1 et 4. *De eo qui cognov. consanguin. uxor.* In Urbe, atque in ecclesiastica ditione etiam ultimi supplicii pœna in casibus quibusdam constituta est à Sixto V. const. Volentes 80 t. 4 part. 4 Bullar. Roman. p. 294.

7. Fornicatio clerici, qui in sacris ordinibus versatur, quamquam verum sit sacrilegium, tamen ut simplex fornicatio punitur. At sacrilegium cum moniali commissum graviori pœnæ subjicitur. Nam Jus Civile hujus criminis reum morte multat, ejusque bona monasterio adscribit (1). Jure canonico laicus, qui monialem compressit, excommunicatur, clericus privatur beneficio, et depositus ab ordine, in monasterium, seu potius in carcerem detruditur; ipsa vero monialis, quæ se violari passa est, aut in arctius monasterium, aut in carcerem conjicitur (2). Concubitus Christiani hominis cum Judæa, vel ethnica muliere, licet à simplici fornicatione non differat, plerumque tamen gravius

punitur, ob injuriam Christiano nomini illatam; ac si promissio accesserit matrimonii, etiam adulterii, non tamen capitis pœna à jure civili coercetur (3).

(1) L. 5 cod. de Episc. et cleric., Nov. 123 c. 43. Sed hodie criminos bona heredibus relinqui solent Auth. Bona cod. de Bon. proscript.
(2) Can. 6, 11, 25, 28 caus. 27 qu. 1.
(3) L. 6 cod. de Judæis.

8. Raptores virginum, nisi assentiente puella crimen matrimonio purgetur, excommunicatione puniuntur, aut depositione si clericus raptor fuerit (1). Raptores mulieris, quæ virum habet, subsunt pœnis adulterorum, ac ceteris, quæ singularum gentium moribus receptæ sunt (2); sacrarum autem virginum, sive monialium raptores pœnas perferunt, quæ à sacris Canonibus contra raptores simul, et sacrilegos sunt constitutæ (3). Jus Civile pœna capitis animadvertit in raptorem mulieris, præsertim nuptæ, et illius bona addicit ipsi mulieri, quæ rapta est, modo ingenua, non ancilla, aut libertina sit (4).

(1) Can. 1 caus. 36 qu. 2.
(2) Concilium Tridentinum Sess. 24 c. 6 *de Reform. matrim.* plures constituit pœnas contra eos, qui matrimonii ineundi causa mulierem rapiunt. Verum hoc decretum non pertinere ad eos, qui ut suam expleant libidinem, raptum committunt, fere omnes sentiunt. Quare adversus eos obtinere debent pœnæ, quæ gentium moribus, et legibus sunt constitutæ, quod recte observat Maschatus Instit. Jur. Canon. l. 5 tit. 17 n. 4.
(3) Can. 2 et seq. Caus. 36 qu. 2.
(4) L. un. cod. *de Raptor virg.*

9. Sodomia, et conjunctio cum bestiis non delicta, sed monstrua, et prodigia sunt. Olim quisquis tam fœda, et immania patrasset crimina, quæ contra naturam dicuntur, non solum à limine, verum etiam ab omni Ecclesiæ tecto removebatur (1). Hodie *sodomia perfecta* à Jure civili morte punitur, quæ pœna ita exasperatur, ut infandi criminis rei vivi, vel saltem eorum cadavera igne comburantur (2). Jure canonico excommunicatio in laicum, in clericum vero depositio ab officio, beneficio, ordine clericali, et in monasterium detrusio constituta est (3). Eodem quoque modo puniuntur, qui sua cum bestiis corpora commiscuerunt.

(1) Tertulianus de Pudicit. c. 4 p. 517 ed. Rigaltii Paris. 1675. *Reliquas autem*, inquit, *libidinum furias et in corpora, et in sexus ultra juræ naturæ, non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra.* Atque hi sunt, quos *hyemantes* appellat Synodus Ancyrana, quique ob criminis immanitatem, ne digni quidem habebantur, qui locum obtinerent inter *flentes*, qui primus erat pœnitentiæ gradus. Vide quæ scripsi, l. 2 tit. 2 §. 74 not. 1 p. 94.

(2) L. 31 cod. ad L. Jul. de Adulter., §. 4 Instit. de publ. judic., Novell. 77 c. 1, L. 6 cod. Theod. ad L. Jul. de Adulter., quam legem integram describit Auctor collat. Mosaic. et Rom. leg. tit. 5 de Stupratoribus apud Schultingium Jurispr. veter. ante-justinian. p. 753 ed. Lipsiæ 1737.
(3) Cap. 4 de Excess. Prælat. Clerici, qui se spurcissimo crimine pluries inquinarunt, degradari, et curiæ sæculari tradi debent, sicut demonstravi l. 1 tit. 8 §. 23 p. 329.

* Quæ de venereis delictis statuerunt nostrates leges, exponit Præp. Sala, op. *Ilustracion del Derecho Real*, lib. 2 tit. 27.*

TITULUS XVI.

DE USURIS.

1. USURA QUID?—2. USURÆ VETITÆ.—3. AD 5. NON SOLUM HUMANO, SED ETIAM DIVINO, AC NATURALI JURE.—6. NUM USURÆ ALIQUANDO PERCIPI POSSINT?—7. LUCRUM CESSANS.—8. DAMNUM EMERGENS.—9. PACTUM DE SOLVENDIS USURIS.—10. MORA, ET INTERPELLATIO.—11. PERICULUM AMITTENDÆ SORTIS, ET FŒNUS NAUTICUM.—12. CONTRACTUS MOHATRA.—13. PACTUM ANTICHRESIS.—14. QUANDO HOC PACTUM NON IMPROBET JUS CANONICUM?—15. COMMISSORIA LEX IN PIGNORIBUS.—16 AD 18. MONTES PIETATIS.—19 AD 20. CENSUS REALIS.—21 ET 22. CENSUS PERSONALIS.—23. CENSUS VITALITIUS.—24. CAMBIUM.—25. CAMBIUM SICCUM.—26. AD 29. CAMBIUM OBLIQUUM.—30. SOCIETAS AD CAPUT SALVUM.—31. AD 35. CONTRACTUS TRINUS.—36. PŒNÆ IN USURARIOS.—37. QUOMODO ALIQUEM USURARIUM ESSE CONSTET?

1.

CRIMINIS loco est etiam usura, cujus nomine intelligimus: lucrum, quod ex mero mutuo percipitur, cum scilicet post statutum tempus plus exigitur, quam mutuo datum est (1). Ethnicis permittebat usuras jus divinum à veritate, qua ipsi utebantur (2), et antiquo errore, falsaque opinione decepti, ipsi etiam Christiani Imperatores suis legibus usuras ferendas putarunt (3). Verum hi omnes, in illis quoque tenebris erroris, malum in usuris inesse intellexerunt; easque propterea certis coercuere legibus, modumque constituerunt, quem in exercendis usuris tenere oportebat (4).

(1) Usuræ nomen etiam rei usum, partamque ex re utilitatem significat; sed proprie Theologi, et Canonistæ comprehendunt lucrum, quod ex mutuo percipitur. Videlicet usuram, aut fœnus committit, qui «ex ipsomet mutuo, ut inquit Benedictus XIV. in Encycl. Vix pervenit, 143 ad Episc. Ital. t. 1 ejus Bullarii p. 353 ed. Ven., quod suapte natura tantumdem reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum; ideoque ultra sortem lucrum aliquod ratione mutui sibi deberi contendat.»

punitur, ob injuriam Christiano nomini illatam; ac si promissio accesserit matrimonii, etiam adulterii, non tamen capitis pœna à jure civili coercetur (3).

(1) L. 5 cod. de Episc. et cleric., Nov. 123 c. 43. Sed hodie criminos bona heredibus relinqui solent Auth. Bona cod. de Bon. proscript.
(2) Can. 6, 11, 25, 28 caus. 27 qu. 1.
(3) L. 6 cod. de Judæis.

8. Raptores virginum, nisi assentiente puella crimen matrimonio purgetur, excommunicatione puniuntur, aut depositione si clericus raptor fuerit (1). Raptores mulieris, quæ virum habet, subsunt pœnis adulterorum, ac ceteris, quæ singularum gentium moribus receptæ sunt (2); sacrarum autem virginum, sive monialium raptores pœnas perferunt, quæ à sacris Canonibus contra raptores simul, et sacrilegos sunt constitutæ (3). Jus Civile pœna capitis animadvertit in raptorem mulieris, præsertim nuptæ, et illius bona addicit ipsi mulieri, quæ rapta est, modo ingenua, non ancilla, aut libertina sit (4).

(1) Can. 1 caus. 36 qu. 2.
(2) Concilium Tridentinum Sess. 24 c. 6 *de Reform. matrim.* plures constituit pœnas contra eos, qui matrimonii ineundi causa mulierem rapiunt. Verum hoc decretum non pertinere ad eos, qui ut suam expleant libidinem, raptum committunt, fere omnes sentiunt. Quare adversus eos obtinere debent pœnæ, quæ gentium moribus, et legibus sunt constitutæ, quod recte observat Maschatus Instit. Jur. Canon. l. 5 tit. 17 n. 4.
(3) Can. 2 et seq. Caus. 36 qu. 2.
(4) L. un. cod. *de Raptor virg.*

9. Sodomia, et conjunctio cum bestiis non delicta, sed monstrua, et prodigia sunt. Olim quisquis tam fœda, et immania patrasset crimina, quæ contra naturam dicuntur, non solum à limine, verum etiam ab omni Ecclesiæ tecto removebatur (1). Hodie *sodomia perfecta* à Jure civili morte punitur, quæ pœna ita exasperatur, ut infandi criminis rei vivi, vel saltem eorum cadavera igne comburantur (2). Jure canonico excommunicatio in laicum, in clericum vero depositio ab officio, beneficio, ordine clericali, et in monasterium detrusio constituta est (3). Eodem quoque modo puniuntur, qui sua cum bestiis corpora commiscuerunt.

(1) Tertulianus de Pudicit. c. 4 p. 517 ed. Rigaltii Paris. 1675. *Reliquas autem*, inquit, *libidinum furias et in corpora, et in sexus ultra juræ naturæ, non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra.* Atque hi sunt, quos *hyemantes* appellat Synodus Ancyrana, quique ob criminis immanitatem, ne digni quidem habebantur, qui locum obtinerent inter *flentes*, qui primus erat pœnitentiæ gradus. Vide quæ scripsi, l. 2 tit. 2 §. 74 not. 1 p. 94.

(2) L. 31 cod. ad L. Jul. de Adulter., §. 4 Instit. de publ. judic., Novell. 77 c. 1, L. 6 cod. Theod. ad L. Jul. de Adulter., quam legem integram describit Auctor collat. Mosaic. et Rom. leg. tit. 5 de Stupratoribus apud Schultingium Jurispr. veter. ante-justinian. p. 753 ed. Lipsiæ 1737.
(3) Cap. 4 de Excess. Prælat. Clerici, qui se spurcissimo crimine pluries inquinarunt, degradari, et curiæ sæculari tradi debent, sicut demonstravi l. 1 tit. 8 §. 23 p. 329.

* Quæ de venereis delictis statuerunt nostrates leges, exponit Præp. Sala, op. *Ilustracion del Derecho Real*, lib. 2 tit. 27.*

TITULUS XVI.

DE USURIS.

1. USURA QUID?—2. USURÆ VETITÆ.—3. AD 5. NON SOLUM HUMANO, SED ETIAM DIVINO, AC NATURALI JURE.—6. NUM USURÆ ALIQUANDO PERCIPI POSSINT?—7. LUCRUM CESSANS.—8. DAMNUM EMERGENS.—9. PACTUM DE SOLVENDIS USURIS.—10. MORA, ET INTERPELLATIO.—11. PERICULUM AMITTENDÆ SORTIS, ET FŒNUS NAUTICUM.—12. CONTRACTUS MOHATRA.—13. PACTUM ANTICHRESIS.—14. QUANDO HOC PACTUM NON IMPROBET JUS CANONICUM?—15. COMMISSORIA LEX IN PIGNORIBUS.—16 AD 18. MONTES PIETATIS.—19 AD 20. CENSUS REALIS.—21 ET 22. CENSUS PERSONALIS.—23. CENSUS VITALITIUS.—24. CAMBIUM.—25. CAMBIUM SICCUM.—26. AD 29. CAMBIUM OBLIQUUM.—30. SOCIETAS AD CAPUT SALVUM.—31. AD 35. CONTRACTUS TRINUS.—36. PŒNÆ IN USURARIOS.—37. QUOMODO ALIQUEM USURARIUM ESSE CONSTET?

1.

CRIMINIS loco est etiam usura, cujus nomine intelligimus: lucrum, quod ex mero mutuo percipitur, cum scilicet post statutum tempus plus exigitur, quam mutuo datum est (1). Ethnicis permittebat usuras jus divinum à veritate, qua ipsi utebantur (2), et antiquo errore, falsaque opinione decepti, ipsi etiam Christiani Imperatores suis legibus usuras ferendas putarunt (3). Verum hi omnes, in illis quoque tenebris erroris, malum in usuris inesse intellexerunt; easque propterea certis coercuere legibus, modumque constituerunt, quem in exercendis usuris tenere oportebat (4).

(1) Usuræ nomen etiam rei usum, partamque ex re utilitatem significat; sed proprie Theologi, et Canonistæ comprehendunt lucrum, quod ex mutuo percipitur. Videlicet usuram, aut fœnus committit, qui «ex ipsomet mutuo, ut inquit Benedictus XIV. in Encycl. Vix pervenit, 143 ad Episc. Ital. t. 1 ejus Bullarii p. 353 ed. Ven., quod suapte natura tantumdem reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum; ideoque ultra sortem lucrum aliquod ratione mutui sibi deberi contendat.»

(2) L. 1 ff. de Pignor. L. 29 ff. de Usur. Apud Athenienses frequentes erant usuræ, ut ostendit Samuel Petitus L. Attic. l. 5 c. 4, eas tamen vehementer improbant Plato, Aristoteles, Plutarchus, aliique antiqui scriptores. Usitatissimæ apud Romanos erant usuræ centesimæ, quæ scilicet centesimam sortis partem quoque mense reddebant, ac duodecim ex centenis per annum conficiebant. Nam Romani usuras per menses, nimirum ipsis Kalendis, seu primo cujusque mensis die accipiebant, ut late demonstrat Heineccius Antiq. Roman. ad Instit. l. 3 tit. 15 §. 4 opp. t. 3 p. 348 ed. Neap. 1769, unde orta est actio Kalendarii L. pen. ff. Si cert. pet., et L. ult. ff. de Pecul., quam etiam memorat Seneca de Benefic. l. 7 c. 10 opp. t. 1 p. 846 ed. Amstelæd. 1672: *quid fœnus*, inquit, *et Kalendarium, et usuræ, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina?* Hinc Basilius in Psalm. 14 n. 2 opp. t. 1 p. 108 ed. Paris. 1721, menses *usurarum parentes* vocat; et Ambrosius de Tobia c. 12 opp. t. 1 p. 14 ed. Ven. cit. habet hæc: *usuræ dolores partus animo debitoris excitare videntur: Veniunt Kalendæ, parit sors centesimam. Veniunt menses singuli, generantur usuræ.* Hæ usuræ legitimæ appellantur in L. 8 cod. Theod. de Usur., ut observant Cironius Observ. lib. 4 c. 5 n. 3 p. 81 ed. Vindebon. 1761, et Brissonius Select. antiquit. l. 3 c. 1 p. 64 et seq. ed. Lugduni Batav. 1749; ac dicuntur etiam *unciariæ*, quod singulis mensibus unciam darent, quæ postea, uti testatur Tacitus Annal l. 6 n. 16 opp. t. 2 p. 30 ed. Ven. 1703, rogatione tribunicia ad semuncias redactæ sunt. Scilicet cautum est, ut ex centenis non amplius duodecim, sed tantum sex quoque anno solverentur. Non enim eadem semper usurarum ratio fuit. Theodosio M. Imperatore centesima aucta erat uno semisse, et aliæ etiam aliis temporibus fuerunt centesimæ usuræ vices, quas narrat Gothofredus in L. 1 cod. Theod. de Usur. t. 1 p. 270 et seq. ed. Lipsiæ 1736. A Græcis *centesima* usura dicitur, cum pro mina singulis mensibus drachma solvebatur, quod drachma esset centesima pars minæ. Genus omne usurarum, quibus Romani utebantur, præter ceteros, explicat Binghamus Origin. eccles. l. 6 c. 2 §. 6 t. 2 p. 318 seq. ed. Halæ Magdeburg. 1751.

(3) L. 1 cod. Theod. de Usur., L. 16 cod. de Usur. Usuras vetuit Basilius Macedo Imperator, uti constat ex ejus constitutione apud Harmenopulum in Prompt. l. 3 tit. 7 in fin., sed Patris constitutione abrogata, eas restituit Leo filius Novel. 34. Anatocismus vero, sive usuræ usurarum, civilibus quoque legibus vetitæ sunt, et solutæ condictione indebiti repetuntur L. 26 § 1 ff. de Condict. indeb. L ult. cod. de Usur. rei judic.

(4) Constantinus M. in cit. L. 1 cod. Theod. de Usur. usurarum modum definivit, statuitque, ut ex pecunia tantum una centesima, ex frugibus vero usura exigeretur, quæ dimidiam partem sortis æquaret, quod postremum usuræ genus describit, et nominatim damnat Hieronymus in Ezechiel. l. 6 c. 18 opp. t. 5 col. 210 ed. Vallarsii Veronæ. Atque hæ quidem sunt, ut animadvertit Contius Lection. subseciv. l. 2 c. 2 p. 26 ed. Neap. 1724, usuræ sescuplæ, quas una cum centesimis à clericis exerceri vetat Synodus Nicæna can. 17 t. 2 concil. col. 47 collect. Labbæi. Hemioliæ scilicet usuræ sunt, cum tertia pars sorti usurarum nomine accedit, sive, ut inquit Dionysius Exiguus, *cum ad summam capitis dimidium summæ accedit.* A. Gellius Noct. Attic. l. 18 c. 14 p. 1049 ed. Lugduni Batav. 1666, inter Græca numerorum vocabula, quibus Latina lingua carebat, hemiolion ponit, atque ita definit: *est autem hemiolios, qui numerum aliquem totum in se habet, dimidiumque ejus, ut tres ad duo, quindecim ad decem, triginta ad viginti.* De hemioliis, deque centesimis usuris copiose disputat Jacobus Gothofredus in L. 1 cod. Theod. de Usur. t. 1 p. 268 et seq. ed. Lipsiæ 1736.

2. Hebræis cum exteris gentibus usuras exercere licebat, vel quod ipsis Deus jure belli earum bona addixerat, vel ut à fœnore cum suis fratribus arcerentur (1); verum usuras accipere non poterant *à proximo* suo, quo nomine tantum Hebraicus populus comprehendebatur. Sed postquam à Christiana charitate vocabulum hoc ad omnes homines traductum fuit, eadem quoque usurarum prohibitio latius processit; ita ut nobis neque cum exteris gentibus usuras exercere liceat. Atque hæc quidem constans, et perpetua semper fuit Catholicæ Ecclesiæ sententia, neque ex pecunia, neque ex ceteris rebus fungibilibus, quæ secundum quantitatem æstimantur, uti sunt frumentum, vinum, similia mutuo data, quæstum esse faciendum.

(1) Confer S. Ambrosium in can. 12 caus. 14 qu. 4, et S. Thomam l. 3 sent. dist. 37 qu. 1 art. 6, et disp. de Malo qu. 13 art. 5.

3. Genus hoc usurarum non tantum Ecclesiasticis (1), Divinisque legibus (2) est interdictum, sed etiam sua natura turpe, ac nefarium est, et naturali æquitati adversatur. Nam qui ex mutuo plus accipit, quam quod ipse dedit, æqualitatem tollit, quæ in omni contractu servanda, et custodienda diligenter est. In venditione, permutatione, atque aliis hujusmodi contractibus pecunia exæquatur, tolliturque discrimen, quod forte inter datum, et acceptum intercedit.

(1) Concilium Nicænum can. 17 t. 2 concil. col 47 collect. Labbæi, Carthaginense I. can. 13 t. 2 col. 751, Eliberitanum can. 20 t. 1 col. 994, Turonense I. can. 13 t. 5 col. 77, Lateranense II. can. 13 t. 12 col. 1505, Lateranense III. c. 25 t. 13 col. 450, can. 5 dist. 45, can. 9 dist. 46, can. 1 et 2 dist. 47, can. 2, 5, 6, 8 caus. 14 qu. 4, c. 4, 5, 7 de Usuris, c. 1 et 2 eod. in 6, Clem. unic. eod. tit., Benedictus XIV. in cit. Encyclic. *Vix pervenit* p. 553 t. 1 ejus Bullar. ed. cit. Vide etiam librum meum de Notissimis in jure legibus p. 197 ed. Romæ. Eademque est Patrum omnium sententia, atque ita præter ceteros docent Tertullianus contr. Marcion. l. 4 c. 17 p. 450 ed. Paris. 4675, S. Cyprianus *de Lapsis paulo post initium* p. 89 ed. Oxon. Felli 1682, Origenes hom. 3 in Psalm. 36 n. 6 opp. t. 2 p. 665 ed. Paris. 1742, Clemens Alexandrinus Pædag. l. 1 c. 10 t. 1 p. 154 ed. Ven. 1757, S. Justinus Apolog. 1 ad Antonin. p. 52 ed. Paris. 1721, S. Gregorius Nyssenus Orat. contr. fœner. in fin. p. 978 t. 1 ed. Paris. 1615, S. Basilius in Psalm. 14 opp. t. 1 p. 107 seq. edit. Paris. 1721, S. Leo M. Ep. 4 ad Episc. Campan. Picæn. et Thusc. c. 3 opp. t. 1 col. 615 ed. Baller. Ven. 1755, S. Ambrosius de Tobia c. 14 n. 49 opp. t. 2 p. 57 ed. Ven. 1781, S. Augustinus Ep. 153 ad Maced. n. 25 opp. t. 2 col. 534 et in Psal. 36 Ser. 3 n. 6 t. 4 col. 285 ed. Ven. 1730, S. Hieronymus in Ezech. l. 6 c. 18 t. 5 col. 210 ed. Vallars. Veron., S. Hilarius in Psal. 14 n. 15 opp. t. 1 col. 76 ed. Ver. 1730, Lactanctius Div. inst. l. 6 c. 18 p. 485 opp. t. 1 ed. Par. 1648.

(2) Exod. XXII. 25, Deuteronom. XXIII. 19, Levitic. XXV. 35, Eccls. XXIX 2, Ezechiel. XVIII. 22, Psal. XIV. 6, LIV. 12, LXXI. 14, Lucas VI. 34 et 35.

4. In mutuo, cum minus est datum, et plus exigitur, quæ dati, et accepti æqualitas est; aut quo jure illud, quod datum superat, percipi potest? Res ipsa data incrementum respuit, ne dati, et accepti tollatur æqualitas; an forte usus, quem alter alteri concedit, lucrum, et accessionem afferet? Sed qui rem mutuo accipit, is ejusdem rei dominium adipiscitur (1). Ergo habet usum, quia Dominus est rei, quæ usum præstat. Cur igitur dominus, qui usum habet jure dominii sui, non alieno beneficio, usuras alteri solvet pro usu rei non alienæ, sed suæ? Lucrum igitur ex re data est contra æqualitatem contractus; lucrum ex usu rei omni juri adversatur, quoniam facit, ut dominus ex re sua fructus non domino persolvat.

(1) L. 1 §. 2 ff. de Obligat. et act. Simile argumentum urget S. Thomas 2, 2 qu. 78 art. 1 Atque hanc quidem dominii translationem ex mutuante in mutuatarium fieri, ipsi etiam fatentur Carolus Molinæus *de Usur.* n. 449, Salmasius de Mod. usur. c. 1 et 14, Noodtius de Fœnor. et usur. l. 1 c. 8, atque alii, qui usuras cum jure Divino, et naturali æquitate pugnare inficiantur. Est hic sane error, in quo primum hæsitarunt Patareni, vel Cathari, ut testatur Ven. Moneta *in opere adversus Catharos, et Valdenses* l. 5 c. 14 §. 2 edito à Ricchinio. Per duodecim sæcula nullum dogmaticum de usuris errorem, sed tantum falsam ex imperitia natam opinionem fuisse, observat Ballerinius *de Usur.* in præfat. §. 3. Catharos aliquanto post sequuti sunt Christiani quidam, qui non verebantur asserere, usuram non esse peccatum, uti constat ex literis Alexandri V apud Wadingum Annal. t. 5 p. 61, et Martini V. apud Bremondum Bullar. Dominic. t. 2 n. 41 p. 567. Errorem hunc integravit Calvinus; qui non omnem quidem usuram permisit, sed tamen à divite, non item à paupere, modicum aliquod lucrum propter mutui rationem exigi posse censuit. Calvinum complures hæretici sequuti sunt, inter ceteros autem Claudius Salmasius in duplici tractatu, altero *de Usuris*, altero *de Trapezitico fœnore*, Carolus Molinæus in Tract. *de Usur.*, quem iterum deinceps edidit nomine Gasparis Caballini, Petrus Heingius l. 2 qu. 1, Gerardus Noodtius de Fœnor. et usur. l. 1, Puffendorfius de Jur. nat. et gent. l. 5 c. 7 §. 9 et seq., Gronovius, et Barbeyracus in Not. ad Grotium l. 2 c. 12, et ad Puffendorfium *de Jur. natur. et gent* l. 5 c. 7 §. 9 et seq. not. 7, Bohemerus *Jur. eccles. Protestant.* t. 5 l. 5 tit. 19. Mitto ceteros, qui hunc eumdem de usuris errorem literis mandare ausi sunt. Quod ad Græcos attinet, Ballerinius loc. cit. ostendit, eos diu cum Romana Ecclesia consensisse, eorum autem, in quo nunc versantur, de usuris errorem induci cœptum à Maximo Margunio sæculo XVI., ut testatur Papadopulus Præn. mystag. resp. 1 sect. 7 n. 3, atque etiam ipsos Moschos rectam de usuris fovere sententiam, quamquam ipsi sese ab iis non abstineant, tradit Sigismundus L. Baro *in Rer. Mosc. comment.* quæ extant in Script. rer. Mosc. p. 44. Sed celebris est de usuris controversia à Jansenianis Schismaticis in

Belgio excitata, cujus controversiæ occasio explicatur in opusculo, Memoire sur l'état present de refugiez François en Hollan'e au sujet de la Religion. Paris. 1726. Cum enim contractus usurarii in Belgio fœderato, quo plures confugerant, passim inirentur, alii iis magno animo restiterunt, alii Calvinianorum sententiam, Reipublicæ metu perterriti, tueri cœperunt, quorum opera recenset Ballerinius cit. præf. n. 31. Inter eos principem locum obtinet Nicolaus Broedersen, Pastor Delphensis; qui tractatum edidit de Usuris licitis et illicitis; quo quidem tractatu Calvinianorum de usuris sententia defenditur, sed tamen non despiciuntur traditiones, quod faciunt Calviniani, potius hæ secundum eorum sententiam explicantur. Huic præsertim Sriptori favere visus est Scipio Maffejus in opere dell'Impiego del denaro, quod quidem opus doctissimi Viri solide, invicteque refutarunt. Catholicam vero sententiam de usuris late demonstrant, atque tuentur Pougetus Instit. catholic. t. 1 par. 2 sect. 3 c. 8 §. 2 p. 634 seq. ed. Augustæ Vindelicorum 1764, Natalis Alexander Theolog. dogmat. et moral. t. 2 l. 3 c. 7, Gennet. Theol. moral. t. 1 tract. 4 de Mutuo et usur. qu. 6 seq., Saintebeuvius Resol. cas. conscien. t. 2 cas. 210 p. 422 et seq. ed. Paris. 1700, Aloysius Bulteau seu Bultellus Apol. pro Lactant. in mater. usur., Benedictus XIV de Synod. Diœc l. 10 c. 4., Zecchius in lib. *Rigor moderatus circa usuras*, Daniel Concina *de Usuris*, Auctor operis Insulis editi an. 1730, cui titulus *Dogma Ecclesiæ circa usuras*, Ballerinius *de Usuris*, qui alios præterea describunt, à quibus eadem materia illustratur.

5. Accedit, quod inter officia humanitatis, et beneficentiæ, quibus homines mutuæ charitatis lege obstringuntur, illud præcipuum est, ut alteri concedamus, quæ ei necessaria, nobis vero inutilia sunt (1). Quod est fundamentum contractuum, quos gratuitos appellamus, ut mutui, depositi. Sane amico denegari non potest officium ejus custodiendi pecuniam ea diligentia, qua suam ipsam quisque custodiret, et injustus esset, qui ob hoc officium præmium postularet. Pari ratione, amico, cujus est explorata, et comperta fides, deneganda non est pecunia, quæ est ei, qui accipit, necessaria, danti autem inutilis, quæ si stato tempore restituatur, nihil aliud salva æquitate peti potest (2).

(1) Confer Tullium de Offic. l. 1 §. 16 opp. t. 3 p. 277 ed. Oliveti Genov. 1745.

(2) Sed qui usuras tuentur, urgere solent utilitatem, quam qui mutuum accepit, ex ejus usu atque ex dilata restitutione consequitur; atque hanc pretio æstimari posse defendunt. Verum his egregie satisfacit S. Thomas in 3 disp. 37 qu. 1 art. 6 inquiens: « Quidquid vero de utilitate contingit ei, cui mutuum dedi, ultra mensuram mutui, ex pecunia mutuata; hoc est ex industria ejus, qui sagaciter pecunia usus est. Industriam autem ipsius ei vendere non debeo. Secus nec pro stultitia ejus habere minus debeo. »

6. Atque hæc quidem apud omnes Catholicos certissima sententia est, cum quis alteri sine sui detrimento mutuum attribuit, hoc est officium præstat accipienti utile, danti non molestum.

Verum sæpe evenit, ut quis ex officio suo damnum accipiat, aut amittat lucrum, quod consequi debuisset. Quare hujus detrimenti habenda ratio est, et ideo recte exiguntur usuræ, non propter mutuum, sed propter damnum, quod in mutuantem redundat (1). Ita si quis alteri concedat domum, aut vestes, quibus ipse utatur, earum dominus recte aliquid percipit pro usu, ex quo damnum capit, quoniam res datæ usu teruntur. Similiter dato prædio, quo alter utatur fruatur, dominus amittit fructus, quos ex eo percepisset; et hoc quidem resarciri damnum, æquitati congruens, et conveniens est.

(1) Benedictus XIV. cit. Encycl. art. 3, «nequaquam negatur, inquit, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut ajunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturæ mutui innatos, et intrinsecos forte concurrere, ex quibus justa omnino, legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam per alios diverse prorsus à mutui natura contractus recte collocari, et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam, et negociationem exercendam, honestaque itidem lucra percipienda.»

7. Sed et ex pecunia mutuo data licet fructus percipere, quando mora debitoris, qui alienam pecuniam retinet, danti affert damni causam, aut lucrum intercipit, quod ipse ex re sua consequi potuisset (1). Scilicet qui pecuniam in honesta negociatione collocare solet, et vero ostendit, se habuisse in promptu merces, quas comparare potuisset, is recte usuras postulat ob interceptum lucrum culpa, et mora debitoris, qui alienam pecuniam retinuit (2). Erunt autem hi fructus ademto lucro pares, et congruentes. Quare creditor demonstrabit, quanti ejus interesset habere pecuniam, cum qua negociationem exerceret, et judex in ejus rei æstimatione rationem habebit periculi, dubii eventus, laboris, sumptuum, remque omnem ex adjunctis personarum, loci, ac temporis, regionisque more æstimabit (3).

(1) Vide S. Thomam 2. 2 q. 78 art. 2 ad 1 et q. 62 art. 4.
(2) Ut creditor propter amissum lucrum, quod è sua pecunia consequi potuisset, recte usuras petat, tria demonstrare debet. Primum est, quod ipse pecuniam suam non ociosam, et inutilem retinere, sed cum ea negociationem exercere soleat. Alterum est, quod habuerit in promptu venales merces, quas sine dubio comparasset, nisi pecunia sua caruisset. Postremum, quod debitor in mora fuerit, hoc est, idoneo tempore alienam pecuniam non restituerit, atque ita lucrum interceperit. Quæ tria vulgo dicuntur *tria requisita Pauli de Castro*, quoniam ea primus numeravit, et explicatius, quam ceteri, tradidit Paulus de Castro in l. 2 §. ult. ff. de Eo quod. cert. loc.
(3) L. 3 ff. de Eo quod certo loc., §. 7 et ult. Inst. de verb. oblig.

8. Eadem accepti damni causa est. Nimirum si quis, ob datam alteri pecuniam, damnum pertulit, hoc quidem resarcire oportet, atque ejus causa recte à debitore fructus percipiuntur. Ita qui domus ruinam avertere, qui agrum colere, et cultura fructuosum facere non potuit, quia caruit pecunia sua, qui æs alienum cum fœnore contrahere debuit, ut suis creditoribus satisfaceret, jure agit, ut debitor, qui causam damni dedit, damni teneatur (1).

(1) L. un. Cod. *de Sentent. quæ pro eo quod interest*. Recte tamen, præter ceteros, animadvertit Carolus Gagliardus Inst. Jur. Canon. l. 4 tit. 17 §. 51, quod creditor non tantum acceptum ab se damnum perspicuum facere, sed etiam demonstrare debet, sese alio modo damnum avertere non potuisse. Quare si ipse in promptu habuisset aliam pecuniam, cum qua damnum vitare potuisset, nullæ à debitore usuræ ex mutuo accepta pecunia solvendæ sunt.

9. Atque hæc quidem debitio usurarum, tum initio in pactum deduci potest, tum postea lapsu temporis exoriri. Videlicet si initio cum contractus perficitur, qui mutuo dat pecuniam statim damnum capit, idque verum, atque exploratum, non dubium, et simulatum est, recte propter hoc damnum usuræ initio constituuntur (1). Quod si lapsu temporis oriatur damnum, quod initio procul aberat, eo demum orto solvendæ erunt usuræ; sed primum monendus est debitor, ut rem omnem intelligat, ac certior fiat de usurarum onere, quo premetur in posterum, nisi stato die pecuniam restituat (2).

(1) S. Thomas 2. 2. q. 78 art. 2 ad 1, ibique Nicolaus in Notis. Confer etiam Card. de Lugo de Just. et jur. t. 2 d. 25 sect. 6 n. 72., Molinam de Just. et jur. d. 314 n. 7, Canisium de Usur. c. 1 n. 7.
(2) Atque hoc est, quod Pragmatici dicunt, necessariam esse *interpellationem*, ut usuræ debeantur.

10. Monitio hæc, et lapsus temporis, quo expedienda solutio est, facit, ut debitor *in mora* constitutus dicatur; quæ mora nullam quidem per se tantum inducere usurarum debitionem potest (1), inducit autem, cum ea damnum affert, aut lucrum intercipit. Atque hæc mora est, quam *veram*, et *propriam*, aut *regularem* dicimus, quæque fieri intelligitur *non ex re*, *sed ex persona*, *idest si interpellatus opportuno loco*, *et tempore*, *non solverit* (2). Cui moræ alia opponitur, quæ *irregularis* appellatur, et cui locus est, cum sine ulla creditoris petitione debitor, qui constituto die æs alienum non dissolvit, ipso jure cogitur præs-

tare id, quod creditoris interest, ratione habita solius rei debitæ, quam opportuno tempore, condictoque loco non solvit (3).

(1) Solam certe moram satis non esse, ut ex pecunia mutuo data usuræ percipiantur, ex Catholicæ Ecclesiæ sententia docent periti Juris Canonici, et Scriptores rerum Theologicarum; quamquam aliud scripserint antiqui Romani Jurisconsulti, quos hæretici complures sequuti sunt. Sane re cognita, et expensa diligenter, Alexander VII. in Congregatione generali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, decreto edito die 18. Martii 1666, hanc damnavit propositionem: *licitum esse mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Nam ratio, et æquitas naturalis ostendit, nullam habendam esse rationem moræ, quæ neque lucrum ademit, neque aliquid attulit detrimenti. « Si nihil interest actoris, inquit Paulus, in l. 2 ff. Si quis in jus vocat. non ierit, adversarium in jus vocatum venisse condicto die, Prætor moræ pœnam remittit. » Cum quo consentit Cajus in l. 8 ff. Si quis caution. in judic. sisten. caus. fact. non obtemper. Quod in omnibus generatim causis constitui desiderat Hotomannus in disp. de Mora c. 5 n. 15. Vehementer autem errant, qui præsentem pecuniam ex se ipsa pretiosiorem, quam futuram putant, eosque merito refellit Innocentius XI., dum inter damnatas proscripsit propositionem 41, conceptam his verbis: « cum numerata pecunia pretiosior sit, quam numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari. »

(2) Sic Marcianus in l. 33 ff. de Usur. et fructib.

(3) Moræ *irregularis* multa in jure præsertim Civili exempla sunt. Celebre in primis est illud, quod suppeditat L. Curabit 5 cod. de act. empt., qua sancitum est, ut emptor, qui re accepta pretium non numeravit, debeat statim post rem traditam pretii usuras persolvere, quamquam nulla earum petitio à creditore facta sit. Non enim debet emptor cum venditoris jactura rem, et pretium simul retinere. Alia similis moræ *irregularis* exempla occurrunt in l. 14 ff. Locat., l. 20 §. 4, et l. 39 ff. de Negot. gest., l. 12 §. 9 ff. Mandat., l. 60 ff. Pro socio, l. 1 §. 2 ff. de Usur., l. 46 §. 3 ff. de Admnis. et pericul. tutor., l. 5 ff. Commodat., l. 7 ff. de Eo quod cert. loc., L. 23 ff. de Pignorar. act., l. 2 et 3. Cod. deposit.

11. Sed et periculum amittendæ pecuniæ, quam aliquis alteri dedit, usuras accipi permittit. Ita qui alteri dat mutuam pecuniam, ut eam trans mare trajiciat, et cum ea in nundinis negociationem exerceat, potest inire pactum de solvendis usuris propter periculum, cui ipse subest in ea trajectione plena discriminis, per quam facile rei jacturam facere potest. Ea de causa nauticum fœnus, quod Juri Civili probatum est (1), non improbat Jus Canonicum (2), modo lucrum procul habeat omnes mutui causas, atque ad unum periculum referatur.

(1) Confer titulos Pandectarum, et codicis *de Nautico fœnore*. « Fœnus nauticum, inquit Henricus Coccejus ad Grotium de jur. bell. et pac. t. 2 l. 2 c. 12 §. 5 de Contractib., est quando quis alii credit pecuniam mari transvehendam, ea lege, ut periculum sit penes creditorem; unde differt à mutuo, quia natura mutui in eo consistit, ut periculum sit debitoris, qui dominus est pecuniæ, nec est contractus innominatus, do ut des, quia proprium nomen huic negotio datum est, scilicet fœnus nauticum. » Atque hoc quidem susceptum à creditore periculum trajectitiæ pecuniæ, quam ipse mutuo dedit, facit ut ex Jure Romano usuræ debeantur. Quin ex hoc inductus censetur contractus avertendi periculi, quem nos *assecurationem* vocamus, et quem late Cornelius Bynkershoekius l. 4 q. jur. privat. opp. t. ult. p. 517 seq. ed. Lugdun. Batav. 1744 illustravit. Contractum hunc antiquos Jurisconsultos ignorasse tradit Henricus Coccejus ad Grotium l. 2 c. 12 n. 23, sed ipsi certe compertum habuerunt pactum suscipiendi periculi in nautico fœnore, et hoc proinde alii ad certam, suoque nomine designatam stipulationem redegerunt, ut nosci potest apud Loccenium de Jur. mar. l. 2 c. 5 n. 4, alii ad locationem conductionem, alii ad emptionem venditionem, falii ad cautionem, alii demum ad innominatum negotium, uti ostendunt Marquat. de jur. mercat. l. 2 c. 13, Scaccia de commerc. q. 7 par. 3 limit. 6, Stracca de Assecurat. in præfat., Lopez de contract l. 2 cap. 12. Cuncti tamen omne lucrum constituunt in ratione periculi, quasi *lucrum trajectitiæ pecuniæ, quam creditor, recepto in se dubii eventus periculo, alicui sub certis usuris tamquam periculi compensatione tradit*, ut habet Loccenius de jur. marit. l. 2 c. 6 de Fœnor. nant §. 2. Imo non solum in maritima, sed etiam in terrestri negotiatione, quæ simile afferat creditori periculum, usuras exig posse, tradit Huberus Prælect. jur. Rom. t. 3 l. 22 tit. 2 de Nautic. fœnor.: et huc spectat responsum Scævolæ à Triboniano propositum in l. 5 ff. de Nautic. fœnor., in quam legem videndus est Cujacius opp. t. 7 col. 847 ed. Ven. 1779.

(2) Cap. ult. de Usur. habentur hæc: « Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. » Magnæ ex hac decretali, quam edidit Gregorius IX., controversiæ ortæ sunt. Quidam enim per eam nauticum fœnus plane sublatum, et nullas omnino à creditore propter periculum, cui subest, usuras accipi posse arbitrantur. Alii usuras pecuniæ trajectitiæ à Gregorio IX. tunc solum in mutuo vetitas putant, cum vel nullum, et inane, vel simulatum est periculum, cujus specie fœneratores illum probitatem suam tegere conarentur; secus ubi probabile, aut verum periculum sit. Alii tantum immodicum, et injustum, non item justum, et legitimum periculi pretium improbari statuunt. Alii Gregorianum textum corruptum esse putant, in eoque desiderari negationem, quam ipsi addunt, atque ita legunt: *usurarius non est censendus.* Verum hæc lectio est contra codicum omnium fidem, à quibus certe negatio abest. Alii denique lucrum suscepti periculi tunc usuræ labe infectum censent, cum illud mutuans consequi vult à navigante, vel eunte ad nundinas invito, et coacto ad contractum perficiendum, non item cum periculi pretium sua sponte, et voluntate à debitore oblatum est. Ego harum interpretationum nullam probo, neque à Gregorio nauticum fœnus improbari, sed tantum induci arbitror *præsumptionem*, quæ contraria probatione tolli potest. Non enim ipse inquit, creditorem, qui naviganti, vel eunti ad nundinas pecuniam dedit, *esse revera* usurarium, sed tantum esse *censendum*, hoc est *præsumendum*, nisi aliud ostendatur. Nam qui pecuniam hoc modo tradit, facile potest periculi speciem objicere, ut usuras ex mutuo percipiat. Itaque ut omnem fraudem, et periculi simulationem avertat Pontifex, statuit, ut etiam ille, qui *aliquid ultra sortem recipit, eo quod suscipit in se periculum, usurarius censen-*

dus sit. Quibus quidem verbis non usurarium esse decernit eum, qui lucrum accipit *eo quod suscipit in se periculum*, quod sane communi Theologorum sententiæ adversaretur. Nam iis certum, fixumque est, hujusmodi creditorem accipere fructus posse, non causa mutui, quod nullos parit fructus, sed propter periculum, quod suscipit ipse creditor contra naturam mutui, atque ita docent S. Thomas in tract. de Usur. opusc. 73 q. 9, S. Antoninus in 2 par. l. 1 c. 6 §. 21, Cajetanus in Summa verb. usura exterior vers. duodecimus casus, et late Covarruvias Var. resol. l. 3 c. 2 n. 5. Gregorii constitutio tota est in inducenda *juris præsumptione*, per quam hujusmodi creditor *censendus* est usurarius, nisi aliud ostendat. Quoties igitur aliqua de nautico fœnore controversia est, semper creditori obstat juris præsumptio, quæ fert, ut contractus usurarius *censeatur*, scilicet ut periculi simulatione fructus ex mutuo soluti videantur. Verum hæc merat præsumptio est, quæ contraria probatione tolli potest, ut ceteræ hujusmodi præsumptiones tolluntur. Itaque creditor non prohibetur ex trajectitia pecunia usuras exigere; sed primum debet removere juris præsumptionem, atque ostendere, se non simulato periculo, uti illa fert præsumptio, ex mutuo usuras percepisse, sed revera omnes mutui causas procul habuisse, atque ob unum à se susceptum periculum lucrum obtinuisse. Hæc quidem meo judicio vera, ac germana est interpretatio Gregorianæ Decretalis in c. ult. *de Usur.*, de qua tum variæ, interque se dissentientes Canonistarum sententiæ circumferuntur. Atque ita sane Jus Canonicum minime sustulit nauticum fœnus, quod Jure Civili probatum est. Hoc unum inter utrumque Jus discrimen intercedit, quod Canonicam inducit præsumptionem, quam non inducit Jus Civile, simulati periculi, ut usuræ ex mutuo solvantur.

Num solius legis civilis vi aliquid ultra sortem exigi possit, multoties hoc sæculo apud Sanctam Sedem quæsitum est. Videas de hoc proposito *Dict. Jur. Can.* auct. André, sæpe cit. edit., verbo *Usura, usurero*, t. 4 pag. 534 et seq.; ac Cardinal. Gousset opus: *Theologie Morale* laudatæ quoque edit. 1855, t. 1 à pag. 597, et ipsius supplem. §§. 3 et 4. Ex isto quæ sequuntur transcribere visum est.

I.

Consultatio ipsius D. Gousset.

1° « An confessarius ille possit absolvi, qui licet Benedicti XIV, et aliorum SS. Pontificum de usura definitiones noverit, *docet*, ex mutuo divitibus aut negotiatoribus præstito, percipi posse præter sortem, lucrum 5 pro 100, etiam ab iis, qui nullum omnino alium quam legem civilem titulum habent, mutuo extrinsecum?

2.° « An peccet confessarius, qui dimittit in bona fide pœnitentem, qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis aut damni emergentis aut periculi extraordinarii titulo?»

Sacræ Pœnitentiariæ responsum 16 *Sep.* 1830.

« Sacra Pœnitentiaria, diligenter matureque perpensis propositis dubiis, respondendum censuit:

« Ad primum: Confessarium, de quo in dubio, non esse inquietandum, quousque Sancta Sedes, definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subjicere; ideoque nihil obstare ejus absolutioni in sacramento Pœnitentiæ.

« Ad secundum: Provisum in præcedenti, dummodo pœnitentes parati sint stare mandatis S. Sedis.»

II.

Episcopi Niciæ consultatio.

« An pœnitentes, qui moderatum lucrum, solo legis titulo, ex mutuo, dubia vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam vel malam fidem peccato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint stare mandatis S. Sedis?»

Rom. Inquisit. Congreg. gen. respons. 17 *Januar.* 1838.

« Affirmative, dummodo parati sint stare mandatis. S. Sedis.»

12. At quoniam legum ratio sanctissime et providentissime constituta, sæpe hominum malitia pervertitur, inventa sunt diverticula, et simulatæ rerum species, de quibus sane præcidendis, avertendisque oportuit cogitare. Quidam porro usurarum legumenta quærunt contracta emptionis venditionis; cum quis videlicet rem alteri vendit summo pretio justo, non accepta pecunia, cum pacto, ut adumbratus hic venditor statim ab ipso emptore rem minoris emat, ac pretium enumeret. Contractum hunc plenum fraudis, et deceptionis, quem Hispani *mohatram* appellant, recte improbant Ecclesiæ leges, atque inter usurarios contractus recensent (1).

(1) Innocentius XI. hujusmodi contractum damnavit propositione 40 inter propositiones ab eo damnatas, his concepta verbis: *Contractus mohatras licitus est etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis præviæ, imo cum intentione lucri.* Confer etiam S. Carolum Borromeum in Synod. Provinc. 1 act. Eccles. Mediol. par. 1 p. 56. ed. Patav. 1754, et Covarruviam Var. resol. l. 2 c. 5 de Usur. n. 6 in fin.

13. Eodem loco Jus Canonicum habet *antichresin*, scilicet pactum, quo res pignori datur, ut creditor eodem pignore utatur fruatur creditæ pecuniæ loco, aut ejus fructus pro usuris accipiat (1). Nam pignus creditori traditur, ut in eo cautionem habeat, non ut capiat fructus, qui ad dominum pertinent; et ideo merito à Jure Canonico pactum antichresis improbatur (2).

(1) C. 1, 2, 3 de Usur., c. 4 et 6 de Pignor, Atque his quidem Pontificiis Constitutionibus derogatum est Juri Civili, quod non solum expressam antichresin probat in L. 11 §. 1 ff. de Pignor., sed etiam tacitam, uti multi putant, in L. 3 ff. *In quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contrahit.*, quamquam non ignorem, quæ de recta hujus legis interpretatione controversiæ

sint inter Accursium, Irnerium, Bacovium, Hotomanum, Cujacium Observ. l. 8 c. 17 opp. t 5 col. 189 ed. Ven. 1758, et Vinnium Select. qu. l. 2 c. 7. Confer etiam Jo. Franciscum Arcasium Comment. jur. civil. l. 5 c. 2 §. 13 et 14. Quoniam vero à Jure Canonico antichresis improbatur, facile intelligitur, quam falsa sit opinio illorum, qui probant contractum antichresis, ex quo alteruter contrahentium facultatem habet suo lubitu repetendi, quod dedit, atque alter interim credita pecunia fruitur, alter re pignorata, ex qua fructus percipit. Quem contractum Itali appellant il contracto à godere.

(2) Hinc merito statutum est ab Innocentio III. in c. 6 de Pignor. quod si creditor, vel ille, qui ab eo causam habet, tot ex pignore accepit fructus, quot est opus ut totum debitum dissolvatur, pignus debitori restitui debeat.

14. Casus tamen interdum eveniunt, quibus à Jure Canonico *antichresis* non improbatur. Nimirum qui dat domino feudum loco pignoris, ut fructus capiat, atque ipse interim solutus sit omni onere servitii, quod ei propter feudum præstare deberet: nihil agit, quod Canonici Juris disciplinæ adversetur. Nam hi fructus quasi pretium sunt, et compensatio servitii, non locum obtinent usurarum (1). Pari modo si pro dote numeranda socer genero prædia quædam obligaverit, ut gener sibi integros habeat eorum fructus, ut nullam interim dotis jacturam faciat, procul abest omne usurarum vitium, quoniam jure percepti sunt fructus, ut matrimonii onera sustinerentur (2).

(1) C. 1 de Feudis, c. 8 de Usur.

(2) C. 16 de Usur. Confer Cujacium in Decretal. c. 1 tit. 20 l. 3 opp. t. 6 col. 1002 et seq. ed. cit.

15. Sed et pactum *legis commisoriæ* in pignoribus plenum usuræ, et iniquitatis habetur. *Commisoria lex* appellatur pactum, quo venditio committitur, ac dissolvitur, quoties videlicet placuit, ut si intra diem pretium solutum non fuerit, res inempta (1); quæ etiam *commissoria* simpliciter appellatur (2). Commissoria lex in pignoribus reprobatur, hoc est improbatur pactum, quo, nisi debitor certa die solverit, pignus in dominium, et potestatem creditoris transeat (3).

(1) L. 1 et tot. tit. ff. de Leg. commissor.

(2) L. 4 §. 2 et 3 ff. eod.

(3) L. 3 Cod. de Pact. pignor. et L. commissor. c. 7 de Pignor. S. Carolus Borromeus in Concilio Mediol. 1 tit. de Usur. act. Eccles. Mediolan. par. 1 p. 36 ed. Patavii 1754. Id autem plane diversum est à pacto de distraendo pignore, de quo agitur in L. 4 ff. de Pign. act. Neque vero cum *lege commissoria* in pignoribus conventa confundi debet pactum redimendi, seu retrovendendi, cum quo inita emptio venditio est: quoniam valere hoc pactum, et nullam in eo usuram inesse constat. L. 2 c. de Pact. int. empt. et vendit. c. 10 de Fid. instrum. Extrav. 1 et 2 de empt. et vend. int. commun. Ac si pactum hujusmodi emptoris gratia adjicitur, pretium augetur, minuitur autem, si ad commodum pertinet venditoris. Cavendum tamen est, ne pretium ita sit exiguum, ut ex eo colligi possit, emptorem potius mutuum dare, quam emere voluisse, et noluisse mutuum dare, nisi cum illa lege; potissimum si usuras exercere solitus esset, et venditor inopia laborans pecunia indigeret; quia tunc esset usura *palliata*, et res empta tamquam in pignus securitatis gratia retineretur c. 5 de Empt. et vendit.

16. Verum fructus recte exiguntur ex *Locis Montium*, quorum nomine intelligimus cumulum pecuniæ, frumenti, similium, quæ hominibus ope indigentibus mutuo dantur, accepto pignore, quod statо tempore recuperandum est. Nisi id debitor præstet, pignus ipsum distrahitur, atque ita Mons Pietatis habet rem, quam credidit, debitor id, quod ex pignoris pretio reliquum est; interim ab eo, qui pignus obligavit, modici quidam fructus persolvuntur. Num hi fructus percipi recte possent, magna animorum contentione disputatum est; cum quidam essent, qui eos propter mutuum dari, et ideo labem usurarum in iis inesse existimarent (1).

(1) Contra hos Montes præ ceteris disputarunt Cajetanus in Comment. de Mont. Piet. c 1, et Sotus l. 6 de Just. qu. 1. Illud vero mirum est, quod hæretici, qui usuras probant, Montes Pietatis improbare potuerint, quorum é numero sunt Carpzovius Practic. crim. qu. 92 n. 4 et seq., et Mathias Zimmermanus, qui simulato nomine Dorothei Asciani librum edidit cum titulo *Montes Pietatis Romanenses historice, canonice, theologice detecti.* Sed varia hæc, et secum ipsa conligens agendi ratio ex odio procedit, quo ipsi in Sedem Apostolicam feruntur. Scilicet quod ab ea probantur Montes Pietatis, improbantur ab hæreticis, licet ipsi suis principiis adversentur. Bohemerus in Jur. Canon. Potest. l. 5 tit. 19 n. 2, Montes Pietatis valde commendat, licet eos confundat cum usuris, quæ à Jure Canonico improbantur; quod etiam falso prædicat in Not. ad Instit. Canon. Fleury par. 3 c. 13 §. 6. Instituti autem sunt Montes Pietatis, ut opem haberent egentes homines, qui à fœneratoribus, præsertim Hebræis, cum gravissimis usuris mutuam pecuniam accipere cogebantur. Sane quam late pateret ea tempestate vitium usurarum, et quanta exinde mala procederent, constat ex antiquis monumentis, quorum multa collegit Muratorius Antiqu. Italic. diser. 16. Ut igitur hæc mala removerentur, et pauperes non cogerentur ferre onus gravissimum usurarum, pii homines erigendos curarunt Montes Pietatis, unde pauperes dato pignore, per quod res montis in tuto esset, obtinerent pecuniam, qua indigebant. Primum Urbs vetus hunc Montem instituit, cujus statuta *de Monte Christi*, ut vocabant, expensa, atque approbata fuerunt à Cardinali Ostiensi Camerario, deinceps etiam confirmata à Pio II. per Breve editum die 3 Jun. 1463. Eadem tempestate Civitas Perusina suum erexit Montem, quem Paulus II. an. 1467 approbavit. Lapsu temporum alii quoque in aliis civitatibus tum intra, tum extra Italiam Montes Pietatis instituti fuerunt, ut nosci potest apud Wadingum Annal. Minor. t. 14 et 15 passim, Ballerinium de Usur. t. 2 in Append. opusc. 1, Zecchium de Usur. diss. 2 c. 1. sect. 6 art. 3 §.

362, Zypæum Jur. Pontif. nov. l. 5 tit. de Usur. n. 11, Claudium Jos. de Ferriere Diction. de droit et de pratique t. 2 verb. mont de pietè.

17. Sustulit omnem dubitationem Leo X. in Concilio Lateranensi V., qui re diligenter cognita definivit, recte hos montes fuisse institutos, planeque nullum in iis inesse usurarum vitium (1). Non enim modici hi fructus propter mutuum solvuntur, sed ut Mons Pietatis integram habeat rem suam, cum qua pluribus opitulari debet, ac nihil detrimenti capiat propter impensas, quas facere oportet pro domo, pro ministris, pro ceteris, quibus est opus, ut petentibus credatur pecunia, et accepta pignora custodiantur. Simili modo nullum quidem ex mutuo lucrum facere licet, sed jure repetuntur impensæ, quas aliquis fecit, ut pignus conservaret, aut ut mutuum ad absentem debitorem mitteret (2).

(1) Concilium Lateranense V. Sess. 10, Concil. t. 19 col. 905 Collect. Labbæi.

(2) Consule Sylvium in S. Thomam 2, 2 qu. 78 art. 4 qu. 1, Gonzalezium in c. 4 de Usur. n. 3, Benedictum XIV. de Synod. diœces. l. 10 c. 5 n. 1 et seq., Ballerinium de Usur. in append. de Montib. Piet, Zecchium de Usur. diss. 2 c. 1 sect. 6 n. 258 et seq. Sed pro Montium Pietatis utilitate, æquitate, sanctitate ostendenda præ ceteris præsto est auctoritas Concilii Tridentini, quod eos inter loca pia recensuit, et Episcopi visitationi subjecit Sess. 22 cap. 8 de Reform. Confer etiam S. Carolum Borromeum Conc. Mediol. 1 tit. de Pior. loc. administr. Act. Eccles. Mediolan. par. 1 p. 57 ed. cit.

18. Et quoniam fieri aliquando potest, ut quod à Præfectis Montis exigitur, impensas superet, quæ pro retinendo, custodiendoque pignore sunt necessaria, idcirco, ne qua usurarum suspicio exoriatur, recte cautum est, ut ab iis, quibus accepto pignore pecunia creditur, nihil exigi possit, nisi primum à Sede Apostolica facultas impetrata sit (1). Multoque minus sine Apostolicæ Sedis venia plus exigi potest, quam antea consueverat, quamquam disolvendum sit æs alienum, quod Mons Pietatis contrahere debuit, ut pauperibus subveniret (2).

(1) Confer Decreta Sacræ Congregationis Concilii l. 15 Decretor. p. 486 et 501.

(2) Vide Thesaurum resol. Concilii t. 1 p. 28.

19. Sunt etiam usurarum expertes census, per quos emitur jus percipiendi fructus ex certo fundo, qui semper nexu devinctus est, ut creditor in tuto sit. Non enim eo contractu venit quæstus ex pecunia, sed dominus rei frugiferæ vendit jus ca-

piendi certos ex ea fructus, quod recte, atque ordine fieri, quis inficiabitur? (1) Plura autem sunt observanda, ut hic contractus valeat, et omnis ab eo usuræ suspicio removeatur. Præcipua sunt, ut accurate designetur certus fundus, et hic quidem frugifer, qui census hypothecæ subsit; atque ut coram testibus, ac notario revera numeretur pecunia, quæ continuo debitori tradenda est (2).

(1) L. 65 et L. 72 ff. de Usufruct., §. 1 Inst. de Usufruct. Errant autem vehementer Salicetus in Auth. *Ea lege Cod. de Usur*, et Hottomannus Observ. l. 2 c. 15, qui censum quemlibet *larvatam usuram* appellant. Nam per censum jus venditur percipiendi fructus ex fundo frugifero; in qua quidem venditione nihil inest fœnoris, et nihil, quod à legibus improbetur. Præterea creditor ab se solutam pecuniam suo lubitu repetere non potest, ex quo intelligitur, quantum absit ab hoc contractu omne pactum mutui tum expressi, tum taciti.

(2) Martinus V. in Extrav. 1 de Emp. et vendit. int. communes, et Calixtus III. in Extrav. 2 eod. tit. census contractum approbarunt. Denique S. Pius V Const. Cum onus 106 t. 4 par. 3 Bullar. Roman. p. 52, certas constituit leges, quas omnes observare oportet, ut census recte constituatur. Merito tamen monet Benedictus XIV. de Synod. Diœces. l. 10 c. 5 n. 5, leges illas, quæ de imponendis censibus à S. Pio V. sunt constitutæ, quæque tantum juris positivi sunt, in iis locis, in quibus Piana Constitutio usu recepta non est, non observari.

20. Servatis omnibus, quæ servare oportebat, creditor jus acquirit certos ex designato fundo percipiendi fructus, aut horum loco vim certam pecuniæ, illud autem, quod ipse numeravit, pretium ita amittit, ut repetere suo lubitu nequeat. Licet tamen debitori pretium ipsum restituere, atque ita se ære alieno, et census onere liberare; verum duos ante menses res tota nuncianda, et aperienda creditori est (1).

(1) S. Pius V. cit. Const. Cum onus §. 11.

21. Atque hic quidem census *realis* dicitur, quoniam inhæret rei, hoc est fundo, qui ejus hypothecæ subest, et ex quo fructus percipiuntur. Dissimilis est ratio census, quem *personalem* vocamus, quoniam non super re aliqua frugifera constituitur, sed super ipsa persona venditoris, qui sibi, vel suis etiam hæredibus onus imponit certam quoque anno pecuniam solvendi emptori ex industria, et labore suo. Qui quidem census realis non efficitur, quamquam interdum detur hypotheca, ut res sua sit creditori cautior; quoniam pereunte re, quæ hypotheca tenetur,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non perit census, uti evenit in censu reali, qui tollitur, et perimitur, perempto fundo, super quo constitutus est.

22. Contractus hic quibusdam est visus expers turpitudinis, quæ in usuris inest (1); et hoc exploratum est, per eum vendi non jus percipiendi fructus ex certo fundo, eoque frugifero, sed ipsam vendi annuam præstationem pecuniæ, quæ ex persona debitoris capienda est. Merito igitur hujusmodi contractus improbandus est, quoniam census nequit consistere, nisi in re immobili, eaque fructifera, ac certa, et nominatim designata sit constitutus (2). Ac turpior etiam inest usura in censu personali, qui ab utroque contrahente deleri, et extingui potest, quoniam hic contractus merum est mutuum, præterea nihil (3).

(1) Scriptores, qui personalem censum defendunt, enumerat Benedictus XIV. de Synod. Diœces. l. 10 c. 5 n. 4.

(2) Confer constitutionem S. Pii V., quam paulo ante laudavi. Itaque dubitari non potest, quin personalem censum facere non liceat in iis locis, in quibus Piana Constitutio recepta est, quoniam ea postulat rem immobilem eamque fructiferam, ac certam, et nominatim designatam, ut in ea census constituatur. Sed non ita certum est, num idem sit ferendum judicium de iis locis, in quibus eadem constitutio non obtinet. Non enim ea viget ubique, uti supra animadverti; et porro narrant Gutierez Pract. l. 2 qu. 177 in fin., et Felicianus *de Solis de Censib.* l. 1 c. 7 n. 2, Pium V. rogatu Philippi II. hanc Hispanis dedisse veniam, ut ejus Constitutionis præscripta, quæ juris naturalis, aut Divini non sunt, observare non cogerentur. Contrario quoque usu, seu legitime præscripta consuetudine effici potest, ut aliæ gentes iisdem legibus, quæ de imponendis censibus à S. Pio V. constitutæ sunt, non subjiciantur. Itaque his in locis videndum est, num in censu personali aliquid insit, quod juri naturali, et divino adversetur. Vehementer tamen suspicatur Benedictus XIV. loc. cit. num. 5, quod in hujusmodi censu, præsertim utrinque redimibili, desiderentur conditiones, quas non solum Pontificia constitutio, sed etiam jus naturæ, ac Divinum postulant, *ne sit larvatus contractus mutui, et propterea coram Deo usurarius.* Itaque recte monet, quod cum ea res nondum à Sede Apostolica definita sit, id unum ab Episcopo faciendum est. Scilicet si diœcesi præest, in qua viget Piana constitutio, curare diligenter debet, ne personales census contra ejusdem Constitutionis præscriptum contrahantur; contra si præpositus sit diœcesi, in qua eadem Constitutio moribus recepta non est, monebit, atque hortabitur Christianos, ut se ab his censibus abstineant, quoniam, eorum inspecta indole, usuræ periculo, et suspicione non carent.

(3) Sane si omnes fere Juris Canonici Interpretes periculi plenam esse statuunt emptionem census realis ad certum tempus, uti testatur Fagnanus in cap. *In civitate* n. 16 *de Censuris*, multo magis cavendum est in casu personalis, qui ab utroque contrahente extingui potest.

23. Est et census, qui *vitalitius* dicitur, quia tantum vivo creditore persolvitur, eoque moriente extinguitur. Census hic emitur et venditur super re quoque fructifera quolibet anno sol-

vendus, donec vitæ usura fruatur sive is, qui pecuniam dedit, sive alius quilibet à contrahentibus designatus (1). Solus debitor censum vendens eumdem redimere suo lubitu potest, integra restituta pecunia, quam accepit, non item creditor, qui eam numeravit; sed hic contentus esse debet fructibus, quos vivo sibi, aut alteri ab se designato quotannis solvi pactus est (2). Hic quoque census vel *realis*, vel *personalis* esse potest; ad utrumque eadem pertinent, quæ de reliquis censibus paulo supra dicta sunt.

(1) Vitalitium hunc realem censum tum mores, tum leges, et canones probant. Clemens V. in Concilio Viennesi Clem. 1 de Reb. Eccles. non alien. Ecclesiæ, aut Monasterii bona, et reditus alicui *ad ejus vitam* concedi permisit, cum id ipsius Ecclesiæ, aut Monasterii utilitas, ac necessitas postularet. S. Pius V. Constitutione, qua definivit, censum annuum recte constitui in re fructifera, immobili, certa, ac nominatim designata, vitalitios census super re item fructifera constitutos haud sane improbavit; sed imo cum perpetuum censum certis ilis legibus obstrictum approbaverit, multo magis censum temporarium cum iisdem legibus approbasse videtur.

(2) Ex consuetudine autem, atque ex peculiaribus singularum regionum legibus noscendum est, quanti esse debeant fructus, qui ex vitalitio censu quotannis solvendi sunt. Cum nulla peculiaris est lex, et consuetudo, res tota definitur arbitrio boni viri, seu pacto contrahentium, ratione habita ætatis, et valetudinis ejus, cujus obitu census extinguitur. Consule Covarruviam var. resolut. l. 3 c. 9 n. 7.

24. Non solum ex pecunia, quæ ad emendum censum, sed etiam ex pecunia, quæ pro collybo (1), aut cambio numerata est, rite, ac recte fructus percipiuntur. Est autem cambium permutatio pecuniæ cum justo mensarii (2) lucro, quod tribus modis fieri potest. Scilicet vel præsens datur pecunia, ut cum alia specie dissimili permutetur, ex. gr. aurea cum argentea; vel uno in loco pecunia mensario traditur, ex. gr. Romæ, ut in alio loco restituatur, ex. gr. Parisiis; vel contra ab ipso mensario pecunia Romæ accipitur, ut ei Parisiis restituatur. Primum illud cambium *minutum*, et *manuale* dicitur, reliqua duo cambia *localia*, ac *per literas* appellantur; quoniam per literas pecunia restituitur alio in loco, quam quo soluta, aut accepta est.

(1) Collybi vocabulo pluries Cicero, aliique Latini Scriptores utuntur. Proprie collybus est pecuniæ permutatio.

(2) Mensarii dicuntur etiam argentarii, et argenti distractores, ut in L. unic. Cod. Negociat. ne milit., atque argentariæ mensæ exercitores, ut in L. 4 ff. de Eden. Consule Brissonium de Verb. signific. verb. argentarii t. 1 p. 402 ed. Halæ Magdeburg. 1743, et Majansium Dip. 49 n. 22 t. 2 p. 221 et seq. ed. Lugdun. Batav.

25. Et his porro cambiis mensarium jure, et merito lucrum consequi, inter omnes constat; quoniam illud non ex mutuo procedit, sed percipitur propter onera, quæ mensarius cogitur sustinere, ut eam negociationem exerceat (1). Necesse tamen est, quod in cambio locali vera fiat pecuniæ translatio, aut saltem quod qui pecuniam accipit, certum, ac deliberatum habeat animum eam alibi restituendi; nam si eam ab se restituendam sciret ubi accepta est, quamquam alium in locum missæ literæ fingerentur, cambii specie vera lateret usura, quæ forte judicium hominum posset effugere, Dei certe non posset. Atque hoc quidem cambium *fictum* et *siccum* appellamus (2).

(1) Confer Sotum de Just. l. 6 qu. 10, Navarrum manual. c. 27 n. 289 ad 295, Molinam de Cambiis q. 4, et Molinam de Contract. trac. 2 disp. 404.

(2) Cambia *sicca* improbantur à Pio IV. in const. Cum sicut 1 t. 4 par. 2 Bullar. Roman. p. 1, et à S. Pio V. in const. In eam 162 t. 4 par. 3 p. 145.

26. Sed hominum calliditate aliud est inventum cambii genus, quod *obliquum* appellatur. Hæc autem ejus contrahendi ratio est. Titius à Cajo mutuos petit aureos nummos mille, quibus indiget; sed hic negotiari, et quæstum ex negotiatione facere solet, et ideo se aliquid daturum negat. Instat Titius, ac denique ita res componitur, ut ipse à Cajo mutuos accipiat aureos nummos mille, quos postulat, ac nihil propter mutuum solvat. Verum ne quid detrimenti Cajus propter mutuum capiat, datur ei facultas similis ab se ipso, aut ab alio accipiendæ pecuniæ, quam cambio occupet, et cum qua negocietur. Titius autem spondet, se se Cajo soluturum, donec mutuum restituat, quidquid ipse impendit, aut impendere deberet, si aureos nummos mille à mensario accepisset.

27. Interdum Titius ipse onus suscipit cambio occupandi vim tantam pecuniæ, quantam à Cajo mutuam accepit, ita tamen ut partus ex ea negotiatione quæstus pertineat ad Cajum, cui quotannis alter pendit, donec mutuum restituat, quantum ex cambio lucri fecit, aut quantum facere posset. Cum illa à mutuante negotiatio est exercenda, ejus est demonstrare, cambii literas ab se datas fuisse, aut sese ab alio per cambium mille aureos nummos obtinuisse Cum vero cambio occupare pecuniam debuit, qui mutuum accepit, de nulla re solicitus est creditor, cui solvendi sunt fructus, sive alter fregerit, sive servarit fidem. Nam contracto cambio ejus fructus creditori solvuntur, eoque neglecto fructus idem dandi sunt propter id, quod

creditoris interest, sive propter damnum, quod in eum redundat, quia debitor stipulationis legi non satisfecit. Atque hic quidem negotii expediendi modus, per quem res est creditori cautior, frequentior esse solet.

28. Jamvero genus hoc cambii, quod *obliquum* appellari diximus, circuitione quadam et anfractu iniquum regere, ac velare fœnus, facile inteligitur; et hoc quidem fœnus magis eminet, et apparet, cum ipse debitor se accipere pecuniam simulat, ut cum ea negocietur. Quis enim credat hominem inopem, qui mutuum accipit propter egestatem, et angustiam rei familiaris, statim in promptu habere pecuniam acceptæ parem, quam cum quæstu, compendioque mutuantis ad nundinas mittat, atque in cambium conferat?

29. Quare hic contractus ut probari possit in foro externo, in quo forte res gesta censetur, uti stipulatione conventum est, tamen in foro interno, in quo solum spectatur, quod revera gestum est, si pecunia, quæ mutuum exæquat, ad nundinas missa non fuit, sive in cambio occupata, neque id unquam propositum fuit contrahentibus, hujusmodi cambium turpe, et usuræ labe infectum, Christianoque homine indignum habendum est. Licet sane ex pecunia alteri data lucrum consequi propter ademptum lucrum, aut illatum damnum, sive ut vulgo loquimur, *titulo lucri cessantis*, *aut damni emergentis;* verum id unum, quod æquum, justumque est, præseferre mutuantes debent, ut probatum legibus lucrum consequantur, non fuco, et fallaciis adumbrare speciem, et formam veritatis, ut ea sit improbi quæstus, et fœnerationis loco. Clerici tamen etiam in foro externo quodlibet genus cambii agere prohibentur; quoniam qui hos contractus exercent, negociatores sunt, quales Jus Ecclesiasticum clericos esse non sinit (1).

(1) Confer quæ dixi l. 1 tit. 1 § 9 p. 93 et 96, atque etiam Giraldum Exposit. Jur. Pontific. par. 2 sect. 75 p. 913 et seq.

30. Neque solum cambio pecuniam fœnerantur homines, sed etiam societate, cujus indoles, et natura est, ut æqua sit partitio periculi, damni, lucri inter duos, aut plures, qui suam in aliqua negociatione pecuniam, aut operam collocarunt (1). Quare iniqua est societas *leonina*, qua alter lucrum tantum, alter damnum sentit; itemque societas ea lege instituta, ut alter quotannis lucrum aliquod obtineat, ac semper, sine ullo sui damno,

ac periculo, integram habeat pecuniam, aut rem, quam in societatem contulit, quæ societas *ad caput salvum* vulgo appellatur (2).

(1) L. 29 et seq. ff. Pro socio.
(2) Vide Const. Detestabilis avaritiæ 68. Sixti V. t. 4 par. 4 Bullar. Roman. p. 263.

31. Alio etiam modo contrahentes curant, ut non tantum integra sit semper pecunia, aut res quævis ab altero data, sed etiam ut certum, fixumque sit lucrum, quod ipse quotannis consequi debet. Id nimirum præstant per *trinum contractum*, quem eo nomine appellamus, quoniam ex tribus pactionibus efficitur. Titius societatem coit cum Sempronio, cui tradit aureos nummos mille, ut negocietur. Pecunia hæc quotannis paritura videtur lucrum aureorum 200; sed Titius metuit, ne in illa periculi plena negociatione aliquam rei datæ jacturam faciat.

32. Itaque alium absolvit contractum, quo Sempronio remittit, et condonat aureos nummos quinquaginta, ea lege, ut sibi semper sarta tecta sua sit pecunia, aut res quælibet ab se data, qualis tandem cumque ejus negociationis exitus sit futurus. Sed sibi nondum res satis considerata, atque provisa videtur. Quare tertius initur contractus, quo Titius alios Sempronio concedit aureos nummos quinquaginta, atque hic vicissim spondet, sese alteri quotannis soluturum aureos centum, sive secunda, sive adversa negociationi fortuna sit.

33. Æquus ne haberi debeat, an potius iniquus hic trinus contractus, memoria Patrum nostrorum magna animorum contentione inter Martinum Navarrum (1), et Dominicum Sotum (2) disputatum est, quorum alter ab eo usuræ labem abesse, alter autem in eo prorsus inesse contendebat. Delata est controversia ad Sixtum V (3); atque ipse, re diligenter cognita, fœnoris damnavit pactum societati adjunctum, per quod alter ex sociis duplici ex parte securus redditur. Cum enim eo pacto evertatur, tollaturque lex societatis, quæ in pari spe, similique periculo utrumque socium esse jubet, consequens est, ut pecunia eo genere contractus credita in mutuum fœneratitium convertatur.

(1) Navarrus in Manual. c. 17 n. 254 et seq.
(2) Sotus de Justit. l. 6 qu. 6 art. 2.
(3) Sixtus V. Const. Detestabilis 68 t. 4 par. 4 Bullar. Roman. p. 263.

34. Sed plures tamen sunt ex Theologorum, et Canonistarum

familiis, qui trinum hunc contractum recte iniri posse defendunt (1); et hi quidem negant, in eum quidquam statuisse Sixtum V, quem ajunt tantum improbasse contractus, qui jam improbati erant, nullam autem dixisse legem in eos contractus, qui probi, et honesti habebantur (2). Contra Scriptores multi, et nobiles (3) Soto suffragantur, atque in trino contractu labem apponunt, et vitium usurarum, eumque à Sixto improbatum affirmant (4).

(1) Covarruvias Var. resol. l. 3 c. 2 n. 3, Lessius de Just. l. 2 c. 25 dub. 3 n. 24, Garcia de Contract. par. 2 c. 67, Card. de Lugo de Just. et jur. disp. 30 sect. 4, Gibalinus de Usur. l. 6 c. 3 art. 4, aliique.
(2) Ajunt enim, Cardinales Toletum, et S. Severinæ, qui jussu Pontificis constitutionem exararunt, testatos fuisse, Sixtum V. tantum damnare voluisse pactiones, quæ iniquæ essent, quæque usuras continerent, non item eas, quæ omni usuræ vitio carerent, uti narrat Comitulus Respons. moral. l. 3 qu. 12 n. 4.
(3) Genet. Theolog. Moral. t. 4 tract. 4 c. 14, Natalis Alexander Theolog. Dogmat. et Moral. t. 2 l. 3 c. 7 art. 5 regul. 23, Auctor Dissertationis Lugduni editæ an. 1673 de Usuraria trium contractuum pravitate, Aurelius Piette t. 4 de Contract. qu. 4 §. 2, Saintebeuvius cas. 135 t. 2 resol., Auctor Theologiæ Moralis ad usum Seminar. Petrocoren. t. 2 l. 4 c. 8, Antoinius t. 3 tract. de Contract. c. 8 qu. 3, Continuatuor prælection. Tournely par. 2 de Contract. c. 4 art. 1., Concina Usura contractus trini dissertationibus historico-theolog. demonstrata.
(4) Non enim his credibile videtur, Sixtum V., qui eam edidit constitutionem, ut controversiam dirimeret, quæ inter Sotum, et Navarrum fervebat, hanc quæstionem in medio relinquere, ac ne attingere quidem voluisse.

35. Certe trinus hic contractus plenus est periculi, neque caret usuræ suspicione: ideoque optandum maxime est, ut ab eo sese homines abstineant (1). Verum cum eum nondum Sedes Apostolica expresse damnaverit, ille passim initur, atque in foro externo vim, et exitum habet. Forte in judicio, qui pecuniam ab altero accepit, sua sponte, et voluntate adjecisse videtur pactiones trini contractus, ut gratificaretur alteri, qui etiam sine his pactionibus simplicis, meræque societatis gratia pecuniam tribuisset (2).

(1) Benedictus XIV. de Synod. diœc. l. 10 c. 7, à quo cuncta arripui, quæ ad hunc locum pertinent, copiosè agit de trino contractu, atque omnia enumerat argumenta, quæ pro eodem contractu, quæque contra eum afferri solent. Postremo rem omnem concludit his verbis n. 6: «Hæc sunt præcipua rationum momenta, quæ in utramque partem adducuntur; neque Apostolica Sedes priori opinioni, etsi minus congruere videatur Sixtinæ constitutioni, ullam hactenus censuram inussit, à qua proinde etiam infligenda debet Episcopus abstinere; ad usum vero quod attinet, tuto poterit contractum

trinum, quem etiam ejusdem patroni periculosum fatentur, pro viribus impedire, atque ab eo ineundo suos subditos dehortari.

(2) Quid vero si evidenter constet, debitorem invitum, ac necessitate coactum cum iis pactionibus pecuniam accipere debuisse, quoniam sine iis alter nullo modo pecuniam credidisset? Tunc contractum usuræ labe infectum esse, tradit Carolus Gagliardus Inst. Canonic. l. 4 tit. 17 §. 112.

36. Reliquæ sunt pœnæ in eos, qui usuras exercent, Ecclesiæ legibus constitutæ. Ergo criminis usurarum rei, quos nimirum in eo fœno jacere manifesto constat, infames fiunt (1); quæ tamen infamia ex usu, et canonica æquitate tollitur, si resipiscant; et irregulares propter contractam infamiam (2), et intestabiles (3), ita ut eorum, si quæ scripta reliquerunt, testamenta non valeant. Moniti ut redeant ad bonam mentem, si pervicaces fuerint, clerici ab ecclesiastico officio, et beneficio deponuntur, laici excommunicantur (4), ac male parta restituere detrectantibus absolutio sacramentalis, Eucharistia, et ecclesiastica sepultura denegatur (5), et clericus, qui hos homines sepelivit, statim in excommunicationem incidit (6). Sunt et aliæ populorum moribus, ac legibus inductæ pœnæ, et judex suo arbitrio aut lenioribus utitur, aut asperioribus, uti rerum ratio postulare videtur.

(1) Can. 2 §. Porro caus. 3 qu. 7, c. 11 de Excess. Prælat, L. 20 cod. Ex quib. caus. infam. irrog.
(2) Can. 2 dist. 53, can. 8 dist. 46, can. 4 dist. 47.
(3) C. 2 de Usur.
(4) C. 7 eod.
(5) C. 5 de Usur., c. 2 eod. in 6.
(6) Clement. 1 de Sepultur.

37. Constat autem manifesto, aliquem esse hujus criminis reum, vel ex facti evidentia, quia palam improbum fœnus exercet, vel ex propria confessione in jure emissa, vel ex idoneis, ac fide dignis testibus, vel ex violentis indiciis, librisve rationum, quos reus edere cogitur, ut vel crimen appareat, vel ejus suspicio removeatur (1).

(1) C. 15 de Usur., Clem. unic. §. Ceterum cod., L. 5 et 6 cod. de Probat.

(N. S. In Hispania, Ecclesiastico jure pluribus usurarii pœnis sunt coerciti. Synodus Illiberit. Can. 20, Clericos usurarios excommunicatione, et depositione feriendos, laicos in delicto persistentes, projiciendos ab Ecclesia decrevit. Synodus Lateranensis III can. 25, communione, et oblatione; et in crimine decedentes ab Ecclesiastica sepultura arcendos voluit, sub pœna

suspensionis, Clericis eos ad præfata Ecclesiastica Officia admittentibus imposita. Synodus Lugdunensis I can. 25, relato in cap. 2 hoc tit. in 6, nedum Lateranensis Constitutionem confirmavit, sed et Ecclesiastica sepultura privandos voluit etiam eos, qui restitutionem fieri testamento mandaverint, dummodo restitutio vel reipsa, vel idonea cautione præstita, peracta non fuerit. Quas quidem utriusque Concilii Constitutiones expressis verbis confirmavit Syn. Penna-fidel. an. 1502 cap. 9, et Tarracon. an. 1331 in Collect. lib. 5 tit. 10 cap. un. Synodus Salmant. cap. 14, excommunicationem latæ sententiæ in ipsos contorquet: eosque jubet publice excommunicatos denuntiari. Synod. Valent. an. 1565 Sess. 5 tit. 4 cap. 17, usurarios infames haberi; id quod decernitur etiam cap. 11 *de Excessib. prælat.* et pœnis à jure statutis puniendos quoque voluit; quin et declarat, contractus usurarios esse, *quando ratione tantum temporis res pluris quam valeat, venditur, vel quando anticipata pecunia minoris justo aliquid emitur.*—Jure civili, contractus usurarii sunt reipsa nulli: Leg. 31, et 10 tit. 11 Partit V, et leg. 2 tit. 22 lib. 12 *Novis. Compilat.* Hæredes nequeunt in bona per usuras adquisita succedere, sed ipsa vel propriis dominis, si fieri possit, restitui, vel in defuncti suffragiis impendi jubentur: leg. 2 tit. 15 partit. VI. Pœnæ in ipsos inflictæ sunt infamiæ leg. 4 tit. 6 Partit. VII, et leg. 4 tit. 22 cit. *Novis. Compil.* In semel perpetrata usura, mutuatæ pecuniæ amissione, et dupli quam lucrari sperabant, solutione multantur; in iterata, dimidiæ partis bonorum; et in tertio repetita, cunctorum bonorum amissione puniuntur: indic. leg. 2 tit. 22 *Novis. Compil.*)

At novis. Cod. pœnal. inter delicta *usuram* non recenset.

TITULUS XVII.

DE PŒNIS, ET CENSURIS ECCLESIASTICIS.

1. ECCLESIA JUS HABET INFLIGENDI PŒNAS.—2. DISTINCTIO PŒNARUM, ET CENSURARUM.—3. PŒNÆ CORPORALES AB ECCLESIA INFLICTÆ.—4. PŒNÆ SPIRITUALES.—5. DEPOSITIO, ET DEGRADATIO.

1.

Ecclesiam habere jus infligendarum pœnarum, et eam semper, quoties opus fuit, jus ipsum exercuisse, superiori loco demonstratum est. Sane hominum societas est Ecclesia, et regimen habet à Christo institutum. Ergo jus cogendi homines, qui hac societate continentur, habeat necesse est, cum nullum sine eo jure sit verum, et perfectum regimen; et vero Christus jus ipsum in eam contulit nominatim, dum ei claves dedit, quibus solveret, et ligaret, atque in sontes animadverteret (1).

(1) Matthæus XVIII, 15 seq. Quare divinæ institutioni adversantur Pfaffius, Bohemerus, et ceteri Protestantes, qui nullam à Christo jurisdictionem, et nullum sacrum imperium Ecclesiam habuisse contendunt, et pœnas ecclesiasticas initio non veras pœnas fuisse existimant, sed potius ex pacto, et

trinum, quem etiam ejusdem patroni periculosum fatentur, pro viribus impedire, atque ab eo ineundo suos subditos dehortari.

(2) Quid vero si evidenter constet, debitorem invitum, ac necessitate coactum cum iis pactionibus pecuniam accipere debuisse, quoniam sine iis alter nullo modo pecuniam credidisset? Tunc contractum usuræ labe infectum esse, tradit Carolus Gagliardus Inst. Canonic. l. 4 tit. 17 §. 112.

36. Reliquæ sunt pœnæ in eos, qui usuras exercent, Ecclesiæ legibus constitutæ. Ergo criminis usurarum rei, quos nimirum in eo fœno jacere manifesto constat, infames fiunt (1); quæ tamen infamia ex usu, et canonica æquitate tollitur, si resipiscant; et irregulares propter contractam infamiam (2), et intestabiles (3), ita ut eorum, si quæ scripta reliquerunt, testamenta non valeant. Moniti ut redeant ad bonam mentem, si pervicaces fuerint, clerici ab ecclesiastico officio, et beneficio deponuntur, laici excommunicantur (4), ac male parta restituere detrectantibus absolutio sacramentalis, Eucharistia, et ecclesiastica sepultura denegatur (5), et clericus, qui hos homines sepelivit, statim in excommunicationem incidit (6). Sunt et aliæ populorum moribus, ac legibus inductæ pœnæ, et judex suo arbitrio aut lenioribus utitur, aut asperioribus, uti rerum ratio postulare videtur.

(1) Can. 2 §. Porro caus. 3 qu. 7, c. 11 de Excess. Prælat, L. 20 cod. Ex quib. caus. infam. irrog.
(2) Can. 2 dist. 53, can. 8 dist. 46, can. 4 dist. 47.
(3) C. 2 de Usur.
(4) C. 7 eod.
(5) C. 5 de Usur., c. 2 eod. in 6.
(6) Clement. 1 de Sepultur.

37. Constat autem manifesto, aliquem esse hujus criminis reum, vel ex facti evidentia, quia palam improbum fœnus exercet, vel ex propria confessione in jure emissa, vel ex idoneis, ac fide dignis testibus, vel ex violentis indiciis, librisve rationum, quos reus edere cogitur, ut vel crimen appareat, vel ejus suspicio removeatur (1).

(1) C. 15 de Usur., Clem. unic. §. Ceterum cod., L. 5 et 6 cod. de Probat.

(N. S. In Hispania, Ecclesiastico jure pluribus usurarii pœnis sunt coerciti. Synodus Illiberit. Can. 20, Clericos usurarios excommunicatione, et depositione feriendos, laicos in delicto persistentes, projiciendos ab Ecclesia decrevit. Synodus Lateranensis III can. 25, communione, et oblatione; et in crimine decedentes ab Ecclesiastica sepultura arcendos voluit, sub pœna

suspensionis, Clericis eos ad præfata Ecclesiastica Officia admittentibus imposita. Synodus Lugdunensis I can. 25, relato in cap. 2 hoc tit. in 6, nedum Lateranensis Constitutionem confirmavit, sed et Ecclesiastica sepultura privandos voluit etiam eos, qui restitutionem fieri testamento mandaverint, dummodo restitutio vel reipsa, vel idonea cautione præstita, peracta non fuerit. Quas quidem utriusque Concilii Constitutiones expressis verbis confirmavit Syn. Penna-fidel. an. 1502 cap. 9, et Tarracon. an. 1331 in Collect. lib. 5 tit. 10 cap. un. Synodus Salmant. cap. 14, excommunicationem latæ sententiæ in ipsos contorquet: eosque jubet publice excommunicatos denuntiari. Synod. Valent. an. 1565 Sess. 5 tit. 4 cap. 17, usurarios infames haberi; id quod decernitur etiam cap. 11 *de Excessib. prælat.* et pœnis à jure statutis puniendos quoque voluit; quin et declarat, contractus usurarios esse, *quando ratione tantum temporis res pluris quam valeat, venditur, vel quando anticipata pecunia minoris justo aliquid emitur.*—Jure civili, contractus usurarii sunt reipsa nulli: Leg. 31, et 10 tit. 11 Partit V, et leg. 2 tit. 22 lib. 12 *Novis. Compilat.* Hæredes nequeunt in bona per usuras adquisita succedere, sed ipsa vel propriis dominis, si fieri possit, restitui, vel in defuncti suffragiis impendi jubentur: leg. 2 tit. 15 partit. VI. Pœnæ in ipsos inflictæ sunt infamiæ leg. 4 tit. 6 Partit. VII, et leg. 4 tit. 22 cit. *Novis. Compil.* In semel perpetrata usura, mutuatæ pecuniæ amissione, et dupli quam lucrari sperabant, solutione multantur; in iterata, dimidiæ partis bonorum; et in tertio repetita, cunctorum bonorum amissione puniuntur: indic. leg. 2 tit. 22 *Novis. Compil.*)

At novis. Cod. pœnal. inter delicta *usuram* non recenset.

TITULUS XVII.

DE PŒNIS, ET CENSURIS ECCLESIASTICIS.

1. ECCLESIA JUS HABET INFLIGENDI PŒNAS.—2. DISTINCTIO PŒNARUM, ET CENSURARUM.—3. PŒNÆ CORPORALES AB ECCLESIA INFLICTÆ.—4. PŒNÆ SPIRITUALES.—5. DEPOSITIO, ET DEGRADATIO.

1.

Ecclesiam habere jus infligendarum pœnarum, et eam semper, quoties opus fuit, jus ipsum exercuisse, superiori loco demonstratum est. Sane hominum societas est Ecclesia, et regimen habet à Christo institutum. Ergo jus cogendi homines, qui hac societate continentur, habeat necesse est, cum nullum sine eo jure sit verum, et perfectum regimen; et vero Christus jus ipsum in eam contulit nominatim, dum ei claves dedit, quibus solveret, et ligaret, atque in sontes animadverteret (1).

(1) Matthæus XVIII, 15 seq. Quare divinæ institutioni adversantur Pfaffius, Bohemerus, et ceteri Protestantes, qui nullam à Christo jurisdictionem, et nullum sacrum imperium Ecclesiam habuisse contendunt, et pœnas ecclesiasticas initio non veras pœnas fuisse existimant, sed potius ex pacto, et

conventu pendentes, quoniam Christiani in societatem convenientes, sese pactis adstringebant ad illius leges observandas, atque ad eos, qui his legibus non parerent, jure fraternitatis, et officio privandos.

2. Ecclesiasticarum pœnarum omnium est finis unus, curare videlicet, ut reus criminis emendetur, et ceteri exemplo pœnæ in officio contineantur. Sed non una est earumdem pœnarum ratio; sicuti non unum forum, neque una Ecclesiæ potestas est. Ei nimirum duplex est forum, internum, atque externum, et duplex item potestas, altera, quam ipsa habet communem cum omni vera, ac perfecta republica, et altera spiritualis, quæ ejus tantum est propria, quoniam ei uni à Christo data est. Itaque jure veræ, perfectæque reipublicæ pœnas, quæ corpus, et jure spiritualis potestatis pœnas irrogat, quæ animum affligunt. Quæ ad corpus pertinent, proprio nomine dicuntur *pœnæ*, quæ animum attingunt, *censuræ* appellantur (1).

(1) Inter ecclesiasticas pœnas, atque censuras nullum initio discrimen fuisse, cunctasque Ecclesiæ pœnas fuisse tantum spirituales, quæ animum solum affligebant, non corpus castigabant, præter ceteros, putant Van-Espenius Jus Eccles. univers. par. 3 c. 1 n. 2 et seq., Petrus de Marca de collect. canon. c. 8 n. 6, Cavallarius Inst. Jur. can. par. 3 c. 34 §. 2 seq., Selvagius Antiquit. eccles. l. 4 c. 1 §. 2 seq. Eadem est sententia Joannis Morini, et ceterorum, qui Ecclesiam tantum internum, non item externum forum habuisse contendunt. Nam si tantum interni fori potestatem Ecclesiæ concedimus, consequens est, ut ea jus tantum habeat infligendarum pœnarum, quæ animum affligunt, nullam vero in repugnantes externam vim adhibere possit. Sed statis est demonstratum l. 3 tit. 1 §. 7 et seq. p. 5 et seq., Ecclesiam semper habuisse non internum modo, sed etiam externum forum, itemque habuisse potestatem, qua invitos, et repugnantes ad parendum cogeret; idque etiam præstiti l. 4 tit. 1 §. 2 not. 4 p. 2 et seq., ubi præterea dedi Joannis XXII constitutionem editam adversus Marsilium Patavinum. Ex quo efficitur, ut ei semper jus fuerit irrogandi pœnas, quæ animum, et quæ corpus attingerent. Nam ista sic reciprocantur, ut si Ecclesia tantum internum forum habuit, solum animis imperaverit, si utrumque habuit internum, externumque forum, tum in animum, tum in corpus pœnas constituere, et vim, quam coactivam dicimus, adhibere potuerit. Sane temporales, et corpus afficientes pœnæ sunt: mulcta pecuniaria, flagella, carcer, exilium, ceteræ generis ejusdem. Atqui has pœnas semper ab Ecclesia inflictas fuisse, inter omnes constat, idque à me demonstrantum est l. 4 tit. 1 §. 10 p. 11 et seq. Ac magnum semper Ecclesia discrimen constituit inter corporales, et spirituales pœnas, quas illis graviores habuit. Synodus Agathensis can. 41 concil. t. 5 col. 530 collect. Labbæi: quem (clericum) inquit, « ebrium fuisse consliterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum spatio à communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio. » Ex hoc Agathensis concilii canone manifestum est, Ecclesiam in criminosum clericum utramque constituisse pœnam, et spiritualem, qualis est ejectio à communione per triginta dies, et temporalem, cujusmodi est *corporale supplicium*; et vero utramque hanc pœnam non in interno, sed in externo foro irrogasse.

Nam ea plectit clericum, cujus crimen non in foro pœnitentiæ soli sacerdoti notum esset, sed imo quod omnibus esset exploratum, clericum nimirum, *quem ebrium fuisse constiterit*. Eadem est sententia Concilii Venetici can. 6 t. 5 col. 8, et eadem similiter Concilii Matisconensis I. can. 5 t. 6 col. 659, à quo etiam numerantur ictus, quos clericus criminosus accipere debet. Synodus quoque Epaonensis, can. 15 t. 5 col. 713, utramque pœnam discriminat, et spiritualem, qua majorem clericum plecti jubet, et temporalem, quam in minorem clericum constituit. «Si Superioris loci clericus, inquit, hæretici cujuscumque clerici concilio interfuerit, anni spatio pacem Ecclesiæ non habebit. Quod minores clerici si præsumpserint, vapulabunt.» Par est ratio Concilii Turonensis II., à quo can. 19 t. 6 col. 540, fustigationis pœna plectitur negligentia minoris clerici, Presbyteri autem negligentia privatione communionis per dies triginta. Quo in loco animavertendum est, hanc pœnam imponi non propter peccatum, quod esset ad forum pœnitentiæ deferendum, sed propter patentem cunctis negligentiam clerici, qui spreta synodi lege, *septimanam facere distulerat* cum alio clerico, quem eadem Synodus vitæ Archi-presbyteri testem esse voluerat. Sic quoque Concilium Narbonense an. 589 can. 1 t. 6 col. 726, clericum, qui purpureis uteretur vestibus, *velut transgressorem legis coercendum* statuit, unde intelligimus, quæ vis esset legis ecclesiasticæ, cujus *trasgressores pœnis coercendi* erant. Idemque Concilium can. 13 col. 708 statuit, Subdiaconos desides verbis corripiendos, aut stipendio privandos, reliquos vero clericos flagris coercendos. Quin etiam Abbates, propter jus, et potestatem, quam habebant in subditos suos, hoc est monachos, in eos tum spiritualibus, tum temporalibus animadvertebant pœnis, neque illis utebantur, nisi flagitium asperiori pœna coercendum videretur. Hinc Socrates histor. l. 4 c. 23 p. 238 ed. Cantabrig. 1720, de Arsenio Abbate Ægyptio narrat, cum grandiores ætate monachos, non item juniores, propter crimen, à communione separasse; quoniam ajebat, hos propter excommunicationem contumaces fieri, illos autem ejus metu, et dolore facile resipiscere. Idem quoque sancitum est in regula Isidori Hispalensis c. 17 apud Holstenium cod. Regul. t. 1 p. 195 ed. Augustæ Vindelic. 1759, ubi habentur hæc: *in minori ætate constituti non sunt coercendi sententia excommunicationis, sed pro quantitate negligentiæ concendi sententia excommunicationis, sed pro quantitate negligentiæ concendi sententia excommunicationis, sed pro quantitate negligentiæ conc

Præscr. hæretic, c. 30 p. 212 ed. Ven. 1744. An exilii loco habendum non est ejici ex Ecclesia, ac relegari? Tertullianus ib. De Cerdone confer Irenæum l. 3 contr. hæres. c. 4 n. 3 opp. t. 1 p. 178 et 179 ed. Ven. 1734. De pactione Schismaticorum Vide S. Cyprianum Ep. 59 ad Cornellium p. 259 ed. Amstel. 1700 et p. 260 seq. Age vero dejici de gradu, temporariæ pœnæ loco habendum non est? At eo sunt jure usi Episcopi III. sæculo, qua de re consuli poterit Cyprianus Ep. 67 ad Plebes Legionis, Asturic. etc. p. 289. et Ep. 68 ad Stephanum Papam p. 292 seq. An non pœnæ corporis afflictivæ erant fustigationes, carcer, exilium, similes, quibus omnibus Ecclesia usa est, multo ante quam Isidorianæ Decretales in manus hominum pervenirent? Eodem cum Van-Espenio ponendi sunt loco Cavallarius, et ceteri, qui cum eo sentiunt. Ex his autem, quæ supra dixi, manifestum est etiam, quam immerito à quibusdam reprehendatur Innocentius III, quasi ipse rem novam invenerit in cap. 20 de Verb. signific., cum respondit, censuras esse tantum tres: excommunicationem, suspensionem, et interdictum. Non enim ipse primus censuras à pœnis distinxit, quæ quidem distinctio ab antiquissimis usque temporibus semper in Ecclesia agnita, atque probata fuerat; sed tres illas numeravit censurarum species, seu pœnas, quæ proprio nomine censuræ appellantur.

3. Corporales pœnæ, quas ab antiquissimis usque temporibus Ecclesiam adhibuisse constat, præcipuæ sunt: ictus fustium, aut flagellorum, (*a*) detrusio in monasterium, aut in carcerem (1), exilium (2), mulcta pecuniaria (3). Ac de isto quidem postremo genere pœnæ cavendum est diligenter, ut omnis procul absit turpis quæstus, et avaritiæ suspicio, cum rei criminum pecuniariæ pœnæ subjiciuntur (4). Itaque huic quidem pœnæ locus esse non debet, cum ratio, ac natura criminis spiritualem postulat (5); et cum ipsa infligitur pœna pecuniaria, non in Episcopi, aut alius ecclesiastici judicis commodum, atque utilitatem convertenda, sed piis locis adscribenda est (6).

(*a*) (Tolet. Syn. XI can. 3 sancitur, ut Episcopus, Presbyter, aut Diaconus pro Baptismo, Chrismate, aut Ordinatione munera exigens, excommunicatione plectatur; *Subdiaconus vero, vel Clericus et competenti verbere, et debita excomunicatione feriatur.* Hinc colligas necesse est, flagellationis pœnæ *clericos* dumtaxat *inferiores* subjectos fuisse. Synod. Bracar. III can. 7, animadvertens, nonnullos Episcopos *tantis cædibus* in Clericos *effervescere, quantis poterant latrocinantium promereri personæ*, constituit, *ut exceptis gravioribus culpis, nullis debeant verberibus subjacere.* Eadem habet laud. Tolet. XI can. 7.—N. S.)

(1) Consule quæ dicta sunt l. 3 tit. 1 §. 21 not. 1 et l. 4 tit. 1 §. 10 not. 4. Apud Sozomenum hist. eccles. l. 2 c. 5 p. 72 ed. Taurini 1747, memorantur *vincula*, quibus S. Athanasius Ischyrionem Presbyterum detinuisse ferebatur. Siricius P. Ep. 1 c. 6 apud Constantium col. 629, monachos, et moniales, à quibus crimen in castitatem admissum fuerit, *in ergastulis* includi jubet, et Concilium Toletanum II. c. 6 apud Labbæum t. 7 col. 566, perpetuo

etiam *damnationis ergastulo* retineri vult Presbyterum, qui causam sanguinis agitaverit.

(N. S. Synod. Hispal. II can. 3 sic decernit: «Desertorem Clericum, Cingulo honoris, atque Ordinis exutum, aliquo tempore in Monasterio deligari convenit; nam non poterit in talibus prævagationis aboleri licentia, nisi fuerit in eis, propter correptionem disciplinæ, subsequuta censura. Et quæ sequuta sunt Concilia eamdem quoque pœnam infligendam frequenter constituunt; præcipue Tolet. an. 597 can. 1, quod statuit, ut Clericus de impudicitia convictus, *sit tali claustro conseptus, ut ceteros suo exemplo corrigat, et ille ex pœnitentia reviviscat; quia ob hanc causam* (ait Syn. Narbon. can. 6) *dirigitur* Clericus in Monasterium, *ut emendetur.*)

(2) «Potestatem habetis, inquit Carosus Monachus act. 4 Concil. Chalcedonen. apud Labbæum t. 4 col. 1422, Episcopi estis: vultis in exilium mittere, vultis damnare? Quidquid vultis suscipio à vobis.» Vide l. 4 tit. 1 §. 10 not. 1.

(3) In Comitiis Tridentinis cum Regis Catholici Oratores quererentur, sicuti ex actis Concilii in arce S. Angeli servatis constare testatur Fagnanus in C. *Licet, de pœnis*, n. ult., quod Episcopi nimia facilitate in laicos censuras ferrent, huic rei consultum est à Concilii Patribus, dicta lege, ut judices ecclesiastici ad continendos in officio subditos primum alias pœnas experirentur, antequam censuras infligerent. Nam sess. 25 c. 3 *de Reform.* sancitum est, ut iidem judices, «quandocunque executio realis, vel personalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se à censuris, seu interdicto; sed liceat eis contra quoscunque, etiam laicos, per mulctas pecuniarias..... seu per captionem pignorum, personarumque districtionem, per suos propios, aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque juris remedia procedere, et causas definire. Quod si executio realis, vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit, sitque erga judicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo, præter alias pœnas, ferire poterit.» Ex quo manifestum est, Tridentinam Synodum agnovisse, et confirmasse potestatem, quam habent Judices ecclesiastici, corporales pœnas infligendi.—Jure Decretalium, Judices Eccles. non vetantur pœnas pecuniarias imponere;—maxime cum pœna arbitrio Judicis infligenda, et in delictis, in quibus à Jure determinata non est: *Collect. Tarracon.* an. 1591, lib 5, tit. 15 cap. 2.—N. S.)

(4) Cap. 15 de Offic. ordin., cap. 3 de Pœnis.

(5) Confer Glossam in c. 3 de Pœnis, ibique etiam Fagnanum n. 3, et Covarrubiam Var. resol. l. 2 c. 9 n. 9.

(N. S. Certe ubi crimen spirituale à pœnam requirit, pœna pecuniaria abstinendum est: Glossa ad *indic.* cap. 3 Ad rem *Collect. Tarracon.* eod cap. 2: «Prohibemus remissiones pro delictis enormibus, præsertim parte non satisfacta, et spirituali pœnitentia non peracta, de pœna infligenda fieri, ne ubi exaggeranda est, ibi fallaci misericordia abroleatur. In levibus vero criminibus..... multæ pecuniariæ locus sit.» Merito igitur Concil. Trident. sess. 25 Ref cap. 3 decernit, ut Episcopi possint quidem etiam in causis civilibus *per multas pecuniarias procedere*; at statim subnectit: *quæ locis piis ibi exsistentibus, eo ipso, quod exactæ fuerint, adsignentur.* Eadem habent Concilia nostra, Hispal. an. 1512, cap. 62, Valent. an. 1565, sess. V tit. 4 cap. 20; et Tolet. ejusd. an. Act. II cap. 14.)

(6) Concilium Tridentinum sess. 25 c. 1, et sess. 25 c. 3 de Reform.

4. Graviores sunt pœnæ spirituales, quæ proprie *censuræ* di-

cuntur, et quarum triplex est genus: *excommunicatio*, *suspensio*, *interdictum*. Omnibus his pœnis Ecclesia non criminosi interitum quærit, neque illatas Reipublicæ injurias ulciscitur, quo pœnæ civilis Potestatis intendunt. Tantum illa curat, ut reus criminis emendetur, et ceteri exemplo pœnæ sese à criminibus abstineant; ideo procul habet pœnam sanguinis (1): et in pœnis, quas infligit, modum quemdam, et rationem adhibet, ut levioribus criminibus leviores, gravioribus autem graviores pœnas constituat. Ita excommunicatione, per quam aliquis à Christiana republica excluditur, non multat eum, qui propter levius crimen dignus quidem est, qui in exilium abeat, hoc est, qui ex una civitate, aut regione, non vero ex universa Christiana societate expellatur.

(1) Consule Joannis XXII. constitutionem adversus Marsilium Patavinum, et Joannem Jandunum, cujus supra facta mentio est.

(N. S. Censuris obstringi tantummodo possunt homines baptizati, viatores, rationis compotes, ac potestati eas infligentis subditi. Unde censuris plecti nequeunt 1 Pagani, Judæi, ac etiam Catechumeni, quum nondum per baptismum in Ecclesiam ingressi sint. *¿ Quid enim*, inquit Apostolus I ad Corinth. V, v. 12, *mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* In Hæreticos vero, Schismaticos, et Apostatas recte Ecclesia censuris animadvertit, ut ad fidem ac obedientiam, à qua turpissime defecerunt, redire inde incitentur.

Neque 2 Censuris directe adfici possunt mortui, quippe qui non sunt viatores. Unde Christus Dominus dixit: *Quæcunque adligaveritis super terram, et non sub terra; ostendens, quod nos de mortuis sententiam ferre non possumus*: Leo M. Epist. XC cap. 7. Potest tamen Ecclesia mortuum anathematizare, sive exsecrari, atque adeo etiam indirecte excommunicare, dum fidelibus interdicit illum Ecclesiastica donare sepultura, aut pro ipso preces, suffragia, aut sacrificia offerre: cujus disciplinæ frequentia occurrunt exempla in veteri Ecclesiastica Historia. Sic in Cod. Afric. Can. 81, adversus Episcopum, qui hæreticos, vel paganos hæredes suos constituere ausus fuerit, in hunc modum decernitur: *Post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur.* Et Syn. Brac. I cap. 16 *alias* can. 55: *Placuit, ut hi, qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat..... Similiter et de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur.*

Neque 3 Mentecapti, Furiosi, Infantes Censuris illigari possunt; quum enim usu rationis careant, ipsis peccata non imputantur: unde nihil ipsis causæ est, cur censuris plectantur.)

5. Inter ecclesiasticas pœnas recensentur etiam depositio, et degradatio; sed nos hanc tractationem primo libro occupavimus Itaque omnis nostra nunc erit de ecclesiasticis censuris disputatio

TITULUS XVIII.

DE EXCOMMUNICATIONE.

1. CENSURA QUID?—2. DIVISIO CENSURARUM.—3. POTESTAS EXCOMMUNICANDI A CHRISTO ECCLESIÆ DATA.—4. EXCOMMUNICATIO MORTALIS, ET MEDICINALIS.—5. IN QUOS MEDICINALIS EXCOMMUNICATIO FERENDA SIT?—6 IN QUOS EXCOMMUNICATIO MORTALIS?—7. MAJOR, MINORQUE EXCOMMUNICATIO, ET ANATHEMA.—8. EXCOMMUNICATIO LATÆ, VEL FERENDÆ SENTENTIÆ.—9. EFFECTUS EXCOMMUNICATIONIS MAJORIS.—10. EXCOMMUNICATUS VITANDUS.—11 AN HÆRETICI, SCHISMATICI, SIMILES VITANDI SINT?—12. SUMMUS PONTIFEX, ET EPISCOPI CENSURAS FERUNT.—13. IN QUOS FERATUR EXCOMMUNICATIO, ET QUOMODO EA AB OMNIBUS METUENDA SIT?—14. QUIBUS DE CAUSIS IRROGETUR?—15. PRÆMITTENDÆ MONITIONES.—16. EXCOMMUNICATUS A SUO EPISCOPO UBIQUE EXCOMMUNICATUS HABENDUS EST.

1.

SPIRITUALES pœnas proprio nomine *censuras* appellari diximus. Censura apud Romanos erat nota censoria, per quam aliquis gradu, vel dignitate movebatur. Nam quem Censores in censu, sive descriptione Senatorum, Equitum, Civium præteriissent, is infamia notatus habebatur, ac si Senator esset, à Senatu ejiciebatur, si Eques, publicum equum amittebat, denique si Plebejus, in Cæritum tabulas referebatur. Idem hoc nomen suis quoque pœnis, quæ aliquem vel ex Christiana republica expellunt, vel communione precum, et Eucharistiæ, vel dignitate privant, Ecclesia accommodavit.

2. Dividuntur censuræ in excommunicationem, suspensionem, interdictum. Cunctis gravior est *excommunicatio*, quæ ipsa vi nominis eadem est, ac ejectio de corpore Ecclesiæ, vel participatione sacramentorum, atque in antiquis monumentis *segregatio*, *abstensio*, *abjectio*, similibusque nominibus appellatur. Quod cujusque societatis jus est, id Ecclesiæ quoque jus esse debet, ut noxios homines ejiciat. Sane non solum Hebræi gravissimi criminis reos infamia notatos, è Synagoga, et communione sacrorum ejiciebant, sed etiam ethnici hoc genus hominum Diris devovebant, sive exsecrabant, quod nos dicimus excommunicare, eosque sacrificiis interdicebant, et civium commercio privabant (1).

(1) Insigne est, quod de Druidis Galliæ sacerdotibus narrat Cæsar de *Bello Gallic.* l. 6 c. 13 p. 299 et 300 ed. Lugdun. Batav. 1737. « Si quis, inquit, privatus, aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicunt.

cuntur, et quarum triplex est genus: *excommunicatio*, *suspensio*, *interdictum*. Omnibus his pœnis Ecclesia non criminosi interitum quærit, neque illatas Reipublicæ injurias ulciscitur, quo pœnæ civilis Potestatis intendunt. Tantum illa curat, ut reus criminis emendetur, et ceteri exemplo pœnæ sese à criminibus abstineant; ideo procul habet pœnam sanguinis (1): et in pœnis, quas infligit, modum quemdam, et rationem adhibet, ut levioribus criminibus leviores, gravioribus autem graviores pœnas constituat. Ita excommunicatione, per quam aliquis à Christiana republica excluditur, non multat eum, qui propter levius crimen dignus quidem est, qui in exilium abeat, hoc est, qui ex una civitate, aut regione, non vero ex universa Christiana societate expellatur.

(1) Consule Joannis XXII. constitutionem adversus Marsilium Patavinum, et Joannem Jandunum, cujus supra facta mentio est.

(N. S. Censuris obstringi tantummodo possunt homines baptizati, viatores, rationis compotes, ac potestati eas infligentis subditi. Unde censuris plecti nequeunt 1 Pagani, Judæi, ac etiam Catechumeni, quum nondum per baptismum in Ecclesiam ingressi sint. *¿ Quid enim*, inquit Apostolus I ad Corinth. V, v. 12, *mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* In Hæreticos vero, Schismaticos, et Apostatas recte Ecclesia censuris animadvertit, ut ad fidem ac obedientiam, à qua turpissime defecerunt, redire inde incitentur.

Neque 2 Censuris directe adfici possunt mortui, quippe qui non sunt viatores. Unde Christus Dominus dixit: *Quæcunque adligaveritis super terram, et non sub terra; ostendens, quod nos de mortuis sententiam ferre non possumus*: Leo M. Epist. XC cap. 7. Potest tamen Ecclesia mortuum anathematizare, sive exsecrari, atque adeo etiam indirecte excommunicare, dum fidelibus interdicit illum Ecclesiastica donare sepultura, aut pro ipso preces, suffragia, aut sacrificia offerre: cujus disciplinæ frequentia occurrunt exempla in veteri Ecclesiastica Historia. Sic in Cod. Afric. Can. 81, adversus Episcopum, qui hæreticos, vel paganos hæredes suos constituere ausus fuerit, in hunc modum decernitur: *Post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur.* Et Syn. Brac. I cap. 16 *alias* can. 55: *Placuit, ut hi, qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat..... Similiter et de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur.*

Neque 3 Mentecapti, Furiosi, Infantes Censuris illigari possunt; quum enim usu rationis careant, ipsis peccata non imputantur: unde nihil ipsis causæ est, cur censuris plectantur.)

5. Inter ecclesiasticas pœnas recensentur etiam depositio, et degradatio; sed nos hanc tractationem primo libro occupavimus Itaque omnis nostra nunc erit de ecclesiasticis censuris disputatio

TITULUS XVIII.

DE EXCOMMUNICATIONE.

1. CENSURA QUID?—2. DIVISIO CENSURARUM.—3. POTESTAS EXCOMMUNICANDI A CHRISTO ECCLESIÆ DATA.—4. EXCOMMUNICATIO MORTALIS, ET MEDICINALIS.—5. IN QUOS MEDICINALIS EXCOMMUNICATIO FERENDA SIT?—6 IN QUOS EXCOMMUNICATIO MORTALIS?—7. MAJOR, MINORQUE EXCOMMUNICATIO, ET ANATHEMA.—8. EXCOMMUNICATIO LATÆ, VEL FERENDÆ SENTENTIÆ.—9. EFFECTUS EXCOMMUNICATIONIS MAJORIS.—10. EXCOMMUNICATUS VITANDUS.—11 AN HÆRETICI, SCHISMATICI, SIMILES VITANDI SINT?—12. SUMMUS PONTIFEX, ET EPISCOPI CENSURAS FERUNT.—13. IN QUOS FERATUR EXCOMMUNICATIO, ET QUOMODO EA AB OMNIBUS METUENDA SIT?—14. QUIBUS DE CAUSIS IRROGETUR?—15. PRÆMITTENDÆ MONITIONES.—16. EXCOMMUNICATUS A SUO EPISCOPO UBIQUE EXCOMMUNICATUS HABENDUS EST.

1.

SPIRITUALES pœnas proprio nomine *censuras* appellari diximus. Censura apud Romanos erat nota censoria, per quam aliquis gradu, vel dignitate movebatur. Nam quem Censores in censu, sive descriptione Senatorum, Equitum, Civium præteriissent, is infamia notatus habebatur, ac si Senator esset, à Senatu ejiciebatur, si Eques, publicum equum amittebat, denique si Plebejus, in Cæritum tabulas referebatur. Idem hoc nomen suis quoque pœnis, quæ aliquem vel ex Christiana republica expellunt, vel communione precum, et Eucharistiæ, vel dignitate privant, Ecclesia accommodavit.

2. Dividuntur censuræ in excommunicationem, suspensionem, interdictum. Cunctis gravior est *excommunicatio*, quæ ipsa vi nominis eadem est, ac ejectio de corpore Ecclesiæ, vel participatione sacramentorum, atque in antiquis monumentis *segregatio*, *abstensio*, *abjectio*, similibusque nominibus appellatur. Quod cujusque societatis jus est, id Ecclesiæ quoque jus esse debet, ut noxios homines ejiciat. Sane non solum Hebræi gravissimi criminis reos infamia notatos, è Synagoga, et communione sacrorum ejiciebant, sed etiam ethnici hoc genus hominum Diris devovebant, sive exsecrabant, quod nos dicimus excommunicare, eosque sacrificiis interdicebant, et civium commercio privabant (1).

(1) Insigne est, quod de Druidis Galliæ sacerdotibus narrat Cæsar de *Bello Gallic.* l. 6 c. 13 p. 299 et 300 ed. Lugdun. Batav. 1737. « Si quis, inquit, privatus, aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicunt.

Hæc pœna apud eos est gravissima; quibus ita est interdictum, ii numero impiorum, ac sceleratorum habentur; iis omnes decedunt, aditum eorum, sermonemque defugiunt; neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.»

3. Præceptum autem interdicendi criminosis omnem communionem, et societatem, tam sacrarum, quam civilium rerum, nos ab ipso Christo, accepimus (1), et à Paulo (2), qui nos cum scelestis communi mensa uti vetat, ac nullam vult esse societatem cum eo, qui Dei verbum non audit, ut pudore afficiatur, atque ita ad bonam frugem redeat. Quem deinde morem Ecclesia perpetuo retinuit; et certe ab Ecclesia exsecrati, non modo sacris interdicti, sed etiam ab omnium aditu, et sermone semper exclusi fuerunt (3).

(1) Matthæus, VIII, 17.

(2) Paulus I. ad Corinth. V, 11, et II. Thessalonic. III, 14. Multi sunt ex hæreticis, et aliqui item, qui Catholicorum nomen præseferunt, sed tamen cum illis revera sentiunt, qui jus excommunicandi, quod habet Ecclesia, tantum juri humano, non item juri Divino tribuendum putant. Cathari, et Albanenses, teste Prateolo de *Vitiis hæretic.* l. 1 tit. 22, negarunt, adesse institutam potestatem infligendi censuras, quos quidem refellit Moneta l. 5. Adv. Cathar. c. 5 § 6 p. 439 ed. Romæ 1743, et his Wicleffus, et Joannes Husius adhæserunt ex testimonio Concilii Constantiensis sess. 8 err. 30. et sess. 15 err. 19 t. 16 Concil. col. 121, 249 collect. Labbæi. Ex Wicleffo Lutherus sumpsisse videtur articulum suum 18, quo inquit, excommunicationes esse tantum pœnas externas, nec privare hominem bonis spiritualibus. Erasmus, colloq. inquisit. de Fid., hæreticorum more, petulanter excommunicationem irridet. Seldenus, de Synedr. Hæbr. l. 1 c. 9, juris Divini esse negat in aliquem excommunicatione animadvertere; quem graviter ad hunc locum exagitat Calmetus; et aliud quoque sentiunt Hammondus, et Clericus in Comment. ad Matth. XVIII, 17 et 18, licet hæretici, qui jus ferendi censuras referunt ad clavium potestatem, quæ Apostolis, eorumque successoribus data est. Pfaffius etiam, similiter hæreticus, Seldeno adversatur Orig. jur. eccl. art. 2 p. 66 ed. Tubingæ 1736, ac jus ferendi excommunicationem continenti statuit eo Pauli præcepto I. ad Corint. V, 13: *auferte malum de medio vestri*; licet deinde potestatem illam ad jus extraordinarium, vel solum collegiale referendum putet. Bohemerus jus eccles inst. l. 5 tit. 39 §. 6 et seq. jus excommunicandi non à Christo repetit, sed ortum putat ex mutuo fœdere, atque ex conjunctione Ecclesiarum, ut scilicet collegii status integer servaretur. Id vero consentaneum est paradoxo, quod ipse tuetur, de Ecclesiæ collegio; atque hinc §. 17 cum Basnagio Diss. de Excom. Christian. §. 15 in t. 2 annal. putat, per excommunicationem tantum adimi externam communionem. Petrus Giannonius histor. l. 1 c. ult. n. 6 existimat, ad similitudinem censuræ Romanorum, apud Christianos excommunicationem humano jure inductam fuisse. Auctor libelli «La Chiesa e la Republica dentro i loro confini,» satis indicat, sese ab humano jure ortam excommunicationem credere. Canonicus Litta in libro «Del Diritto d' imporre gl' impedimenti, e di dispensarne,» ad jus, et sistema societatis, humanamque institutionem Chris-

tianorum, excommunicationem commode referri posse arbitratur. Huc etiam spectant ceteri, qui omnem Ecclesiæ adimunt potestatem, per quam ipsa repugnantes ad parendum cogat. Sed jus infligendi censuras à Christo Ecclesiæ datum, tam certum, tamque exploratum est, ut illud in discrimen revocare insignis impudentiæ sit. Nam, ut mittam ligandi, et solvendi potestatem, qua certe etiam excommunicatio comprehenditur, ejusdem excommunicationis pœna diserte, et perspicue designatur iis verbis, quibus Christus *tamquam ethnicum, et publicanum* haberi voluit eum, qui Ecclesiam non audiret. Quibus quidem verbis excommunicationem intelligi, non solum omnes Patres, atque Interpretes sentiunt, sed etiam patet ex more Hebræorum, qui ab externæ gentis, ac religionis hominum consortio sese penitus abstinebant ex divino præcepto in Exod. 34, 12, 15, 16, quod tam diligenter observabant, ut ceteras nationes exsecrarentur, sicuti præ ceteris observavit Tacitus histor. l. 5 n. 5 opp. t. 3 p. 797 ed. Ven. 1708. Nec minus Hebræi odio habebant eos, qui cum essent Judaicæ nationis, publica vectigalia redimebant, sive quod lucri faciendi studio fratres usuris vexarent, sive quod externis gentibus tributa libero populo imponentibus obsequerentur; quod utrumque contra Divinæ legis præceptum erat. Atque hanc quidem à Christo acceptam potestatem non semel et verbis, et facto ostendit Paulus, cujus in primis celebris est pœna ab eo constituta in Corinthium civem, quem sacrorum communione prohibuit, et Satanæ etiam tradidit, ut pœnæ mœrore confectus resipisceret. Quam gravis autem hæc pœna habita fuerit, ostendit mœror, quo non tantum ipse Corinthius, in quem illa fuerat constituta, sed etiam ceteri affecti sunt, uti patet ex II. ad Corint. II, 10 seq. Atque omnes quidem Patres potestatem ferendi censuras, quam habet Ecclesia, à Christo repetunt. Ne longus sim, indicabo Cyprianum Ep. 55 ad Antonian., et Ep. 59 ad Cornelium p. 246 et 261 ed. Amstelæd. 1700, Tertullianum Apolog. c. 39 p. 31 ed. Paris. 1675, Jo. Chrysostomum hom. 4 in Ep. ad Hebr. opp. t. 12 p. 49 ed. Paris. an. 1735, cujus hæc verba sunt: *Nemo contemnat vincula ecclesiastica, non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit*; Hieronymum in Matth. c. 18 n. 18 opp. t. 7 col. 141 ed. Vallarsii Veronæ, Augustinum Ep. 250 ad Auxilium opp. t. 2 col. 873 ed. Ven. 1729, Gregorium Nyssenum *in Orat. advers. eos qui ægre ferunt reprehens.* opp. t. 2 p. 746 ed. Paris. 1615. Quanti autem Christiani omnes semper excommunicationem fecerint, ostendunt Eusebius *Histor.* l. 6 c. 34 p. 298 ed. Cantabrig., Basilius Ep. 61 ad S. Athanasium p. 156 opp. t. 3 ed. Paris. 1730, Ambrosius Ep. 13 ad Theodosium Imp. n. 5 seq. opp. t. 6 p. 11 ed. Ven. 1781, Jo. Chrysostomus Orat. in S. Babylam contra Julianum et contra Gentiles n. 6 opp. t. 2 p. 545 ed. Paris. 1718, Paulinus in Vit. S. Ambrosii n. 24 opp. Ambros. t. 7 p. 7, Synesius Ep. 58 p. 201, et Ep. 67 p. 208 seq. ed. Paris. 1640, Gelasius P. Ep. 7 ad Episc. Dardan. t. 5 Conc. col. 329 collect. Labbæi, Theodoretus histor. ecclesiast. l. 5 c. 18 p. 216 ed. Cantabrig. 1720., Concilium Valentinum an. 584 t. 6 Concil. col. 669 collect. cit., Concilium Toletanum III, an. 589 can. 25 t. 6 col. 702, Concilium Toletanum XII. an. 681 c. 4 t. 7 col. 1436., Concilium Toletanum XIII. an. 683 can. 9 t. 7 col. 1474., Acta Cleri Gallicani t. 12 p. 40 ed. Paris. an. 1740 et p. 569 seq. Ceterum nomen ipsum *censuræ*, cujus species est *excommunicatio*, à Romanis arreptum haberi potest, non item res ipsa, ut recte observat Bianchius in Giannonium t. 3 l. 1 c. 5 §. 2 p. 435 cum longe dissimilis sit vis, ac ratio Christianæ censuræ, et censuræ Romanorum. Omnis sane Respublica jus habet expellendi sontes è societate sua; sed Ecclesiæ eadem est potestas, non tantum quia jus habet veræ, et perfectæ Reipublicæ, sed etiam quia

illam à Christo potestatem accepit. Si Ecclesia tantum esset Respublica, ejus censura vim eamdem haberet, quam habent censuræ ceterarum Rerumpublicarum. Sed quoniam ei sunt jura Reipublicæ, et est etiam spiritualis potestas à Christo data, consequens est, ut in ejus censura non tantum vis insit, quæ Reipublicæ propria est, sed etiam potestas spiritualis, quæ animum afficiat. Consule, præter Interpretes ad c. 18. Matthæi, et I. ad Corinth c. 5, Suarezium de Censur. disp. 1 sect. 1, Theophilum Rainaudum de Monit. eccles. par. 2 c. 15 n. 6 seq. opp. t. 14 p. 490 ed Lugd. 1665, Gregorium de Valentia Theol. t. 4 disp. 7 qu. 17 punct. 1, Coletum Th. mor. tr. de cens. qu. 1, Michaelem Amatum Pougetum Inst. Cathol. de Sacr. Pœnit. c. 9 de cas. reser. et censur. Les conferences de Luçon, t 7 conf. 20 qu. 1 p. 341 et seq., Bianchium l. c., Mamachium ad auctorem op. *Quid est Papa?* Ep. 4 n. 2 t. 2 p. 7 et seq., et Zaccariam tum in libro *Le storte idee raddrizzate* c. ult., tum Diss. 3 *Della forza obligatoria della disciplina* n. 23.

(3) Cum iis, qui ab Ecclesia exsecrati sunt, hoc est mortali, aut majori excommunicationi subjecti, civile quoque commercium semper interdictum fuisse constat; et id quidem sumptum videtur ex iis Pauli verbis I. ad Corint. V, 4 « Nunc scripsi vobis, ne commisceamini. Si quis, cum frater nominatur, sit scortator aut alieni avidus, aut idololatra, aut convitiator, aut ebriosus, aut rapax; cum ejusmodi, inquam, ne edatis quidem. » Et iterum ad Roman. 16, 17: « Precor, vos fratres, ut observetis dissidiorum, et offendiculorum auctores, contra doctrinam, quam vos didicistis; et declinetis ab eis. » Et 2 ad *Thessalonic. III.* 14: « Si quis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate, et ne commercium habete cum eo, ut erubescat. » Itemque ex illis Joannis, II, 10, 11. « Si quis venit ad nos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis; qui enim dicit ei ave, communicat operibus ejus malignis. » Secundum has regulas multis Ecclesiæ legibus sancitum est, ut Christiani omnem aditum, sermonemque defugiant eorum, qui mortali excommunicatione tenentur, ne quid ex contagione incommodi accipiant. Canon 8. Apostolorum apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 443 ed Amstelæd. vetat, ne quis etiam in domo privata cum excommunicato preces fundat. Concilium Toletanum I. can. 7, 15, 16, 18 t. 2 concil. col. 1472 et seq. collect. Labbæi, nec cibum, aut potum sumi, neque ullam prorsus societatem cum excommunicato haberi permittit. Eadem sententia est Concilii Carthaginensis IV. can. 73 t. 2 col. 1443 collect. Labbæi, Arelatensis II. can. 8 t. 5 col. 3 ib., Concilii Venetici can. 3 id. col. 8, Ilerdensis can. 4 t. 5 col. 752, Turonensis I can. 8 ib. col. 76, Aurelianensis I. can. 3 ib. col. 544. Idem quoque docent antiqui Patres, atque Scriptores, quos ne omnes percenseam, contentus ero testimoniis S. Irenæi contr. hæres. l. 3 c. 3 opp. t. 1 p. 175 ed. Ven. 1734, S. Epiphanii Hæres. 30 Ebionit. opp. t. 1 p. 148 ed. Colon. 1682, S. Basilii Ep. 61 ad Athanas. opp. t. 3 p. 156 ed. Paris. 1730, S. Leonis M. Ep. 52 *ad Faustum etc.* opp. n. 1 col. 859 ed. Ballerin. Ven. 1755, S. Innocentii Ep. ad Carthag. *Concilii Patres inter epistolas Augustini* Ep. 181 opp. August. t. 2 col. 658 ed. Ven. 1720, S. Ambrosii Ep. 40 ad Theod. opp. t. 6 p. 154 ed. Ven. 1781, S. Augustini contr. Ep. Parmenian. l. 3 n. 13 col. 64 opp. t. 9 ed. cit., S. Hilarii in Fragm. 2 oper. histor. n. 8 col. 628 t. 2 ed. Veronæ 1730, Eusebii Histor. l. 3 c. 28 p. 123 ed. Cantabrig., Synesii Ep. 58 p. 201 ed. Paris. 1655.

(N. S. Ille semper in Ecclesia, ex Christi præscripto (*Matthæi V*, v. 23) servatus Canon est, ut fratres dissidentes, pauperum oppresores, aliique hujus furfuris homines, munera altari offerre vetarentur: Auctor Const. lib. 4 cap. 6, Concil. Carthag. IV can. 93 et 94; Catholici, qui filios suos hæreticis baptizandos tradiderint: Concil. Ilerd. can. 13; et in universum omnes non communicantes: Illiberit. can. 28.

In fideles, qui enorme aliquod scelus perpetrassent, ea excommunicationis pœna animadvertebat, qua ab omni prorsus communione alieni habebantur: qua de re eosdem omnes abhorrebant, nemo convivio, adloquio, atque adeo etiam adspectu dignos judicabat: Concilium Toletanum I can. 15, Conc. Aurelian. I. can. 13 et Tolet. II can. 5.

Potamius Bracarensis Episcopus, sponte se ob lapsum carnis à communione sejunxit, et pœnitentiæ se addixit: Videsis Conc. Tolet. X *Decr. pro Potam*).

4. Vetus Ecclesiæ disciplina duplicem habuit excommunicationem: mortalem, et medicinalem (1). Hæc pro levioribus criminibus, et in eos infligebatur, qui peccata sua agnoscebant, et pœnitentiam, pacemque postulabant. Hujusmodi excommunicatio *separatio* dicebatur, eaque duos gradus habebat. Alii enim à sola Eucharistiæ participatione, et alii etiam à fidelium precibus excludebantur, ac tantum cum catechumenis preces fundere debebant (2). Horum neuter arcebatur ab Ecclesia; quæ gravior erat majori excommunicationi affixa pœna.

(1) Mortalem, et medicinalem excommunicationem apposite distinguit Augustinus Serm. 351 de Pœnit. opp. t. 5 part. 2 col 1559 ed. cit. his verbis: « Nos vero à communione prohibere quemquam non possumus (quamvis hæc prohibitio nondum mortalis sit, sed medicinalis) sed nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum .... Cujusmodi regulam etiam Paulus Apostolus in eadem ad Corinthios epistola insinuasse intelligitur, cum quibusdam talibus commemoratis criminibus, ecclesiastici judicii formam ad omnia similia ex quibusdam daret. Ait enim: *scripsi vobis in epistola, non commisceri fornicariis* etc. Quibus verbis satis ostendit, non temere, aut quomodolibet, sed per judicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione; ut si per judicium auferri non possunt, tolerentur potius, ne perverse malos quisque evitando, ab Ecclesia ipse discedens eos, quos fugere videtur, vinciat ad gehennam. » Locus hic Augustini duo in primis ostendit evidenter; alterum est, quod externum forum haberet Ecclesia, alterum autem, quod minor excomunicatio non solum in foro pœnitentiæ, sed etiam in foro externo infligeretur. Nam inquit Augustinus, tum *mortalem*, tum *medicinalem* excommunicationem non esse irrogandam, nisi adversus *sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum*. Quotusquisque ad forum pœnitentiæ referendam putet pœnam inflictam adversus eum, qui *in sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatus atque convictus sit*? Magnus est etiam error illorum, qui medicinalem excommunicationem cum publica pœnitentia confundunt, quasi nullum inter unam, atque alteram discrimen intercedat. Omnis quidem publica pœnitentia erat medicinalis excommunicatio, quoniam utraque in pœnæ genere conveniebat; sed non omnis medicinalis excommunicatio erat publica pœnitentia, aut eam necesario secumferebat. Patet id ex Concilio Eliberitano can. 11, cujus hæc verba sunt: « Virgines, quæ virginitatem suam non custodierint, si

eosdem, qui eas violaverint, duxerint, et tenuerint, eo quod solas nuptias violaverint, post annum sine pœnitentia reconciliari debebunt.» Hæ mulieres medicinali excommunicatione tenebantur, ideoque Eucharistiæ participes esse non poterant; et tamen nullam publicam pœnitentiam agere debebant, ut recte illum canonem interpretatur Albaspinœus p. 165 ed. Neap. 1770, sed *post annum sine pœnitentia reconciliari* debebant.

(2) Theodoretus, Ep. 77 *ad Eulalium* opp. t. 3 p. 947 ed. Paris. 1642, «Arceantur, inquit, à participatione sacrorum mysteriorum, à catechumenorum autem oratione non prohibeantur, neque Divinarum Scripturarum auditione, neque magistrorum auditione.» Eodem spectant Gregorius Thaumaturgus Ep. canon. can. 5 et 8 p. 40 ed. Paris. 1621, Basilius Ep. canon. 1 ad Amphiloch. can. 4 opp. t. 3 p. 271 et 272 ed. Paris. 1730, Concilium Herdense can. 4 concil. t. 5 col. 752 collect. Labbæi, et Eliberitanum can. 21 t. 1 col. 994, ex quibus vis, et ratio medicinalis excommunicationis intelligitur.

5. Erat etiam medicinalis, aut minoris excommunicationis loco, illa unius Episcopi, aut Ecclesiæ ab alio Episcopo, Ecclesiaque separatio, per quam fiebat, ut duo Episcopi inter se neque darent, neque acciperent literas formatas, neque alter alterius ab se separatæ Ecclesiæ filios ad communionem admitteret. Hujusmodi excommunicatio locum habebat, si aliqua Ecclesia, aut Episcopus aliam Ecclesiam in fidem, aut in disciplinam peccare intelligeret (1). Sed mutua hæc excommunicatio, si Ecclesiæ sibi invicem subjectæ non essent, proprie ecclesiastica censura non erat; sed tantum erat divisio, et separatio communionis, quam una Ecclesia, alteri, cui non subesset, denegare poterat

(1) Ita S. Epiphanius, uti patet ex ejus Ep. ad Joan. Episc. Hierosol. opp. t. 2 p. 312 ed. Colon. 1682, Joan. Episcopi Hierosolymitani communionem rejecit, quod eum Origenis errores defendere intellexerat.

6. Mortalis excommunicatio ferebatur in reos graviorum criminum, atque in illos, qui sui sceleris pœnitentiam agere detrectabant. Hæc in antiquis canonibus *omnimoda separatio*, et *anathema*, nimirum *execratio* appellatur, quod esset maxima execratio, quæ adversus homines componi poterat. Qui ita erant execrati, ab Ecclesia penitus ejiciebantur, ac non solum ab Eucharistia, sed etiam à fidelium precibus, atque ab audiendis Scripturis in ecclesiastico conventu excludebantur (1).

(1) Formulam hujus excommunicationis describit Synesius Ep. 58 p. 201 ed. Paris. 1653. Unde intelligimus, quod cum in aliquem lata erat mortalis excommunicatio, vicinæ Ecclesiæ, et interdum etiam omnes per totum orbem Ecclesiæ, ejus rei certiores fiebant per literas, ut omnes id ratum habe-

rent, et excommunicatum ab omni communione repellerent, et exsecratum haberent, omnique aditu, et sermone prohiberent. Quæ omnia, pluribus ex antiquitate collectis monumentis, fuse describit Binghamus Orig. eccles. l. 16 c. 2 §. 8 et seq. t. 7 p. 84 et seq. ed. Halæ Magdeburg. 1761.

7. Nunc excommunicatio alia major, alia minor appellatur. Minor excommunicatio est, per quam aliquis à suscipiendis sacramentis, obtinendisque beneficiis arcetur, eamque contrahit, qui cum homine majori excommunicationi subjecto extra crimen communicat; nam qui criminis particeps est, et ipse majori excommunicatione implicatur (1). Major excommunicatio est, quæ hominem prorsus ejicit ab Ecclesia, atque à societate, et communione Christianorum. Hæc excommunicatio proprio nomine *anathema* appellatur (2), cum in ea ferenda publicæ, ac solemnes cæremoniæ adhibentur, quæ pœnam augent, non vi separationis, sed horrore solemnitatis, qua illa constituitur (3).

(1) Cap. 29 et 55 de Sentent. excomm.

(2) Anathema ab excommunicatione differt propter solemnitates, et cæremonias, quæ in eo ferendo adhibentur, quæque describuntur in can. 106 c. 11 qu. 3; reipsa utrumque unum, et idem est. Hinc olim excommunicationis, et anathematis vocabulum promiscue accipiebatur. Sed recentiori ætate anathema ab excommunicatione distingui cœpit. Gratianus, can. 12 c. 3 qu. 4, refert Engeltrudam, uxorem Bosonis, *non solum excommunicatione, sed etiam anathemate crebro percussam* fuisse. Similiter anathema ab excommunicatione distinguitur in can. 41 c. 11 qu. 3, à Concilio Turonensi II. can. 24 apud Labbæum t. 6 concil. col. 546 ed. Ven., et ab Adriano II. Ep. 15 apud eumdem t. 10 col. 419. Pontificale Romanum par. 3 tit. 17 §. 1 p. 168 ed. Catalani Romæ 1740, respectu habito ad solemnitates, quæ anathema, et excommunicationem discriminant, tres excommunicationes numerat: minorem, majorem, et anathema. Illud hoc loco animadvertendum videtur, quod excommunicatio etiam inter pœnas monachorum recensetur in Regula S. Benedicti c. 25 et seq. apud Hostienium cod. Regul. t. 1 p. 124 ed. August. Vindelic. 1759, in Regula S. Isidori c. 16 et 17 p. 195, in Regula Magistri c. 19, 23, 80 p. 251, 254 278. Erat autem hæc excommunicatio interdum à *mensa*, interdum ab *oratorio*: illa pro levioribus, hæc pro gravioribus culpis infligebatur. Confer Regulam S. Benedicti l. cit. c. 24, 25, 44 p. 124, et 128. A mensa excommunicatum, *sequestratum à mensa* appellat Regula Magistri l. cit. c. 23 p. 254; nam qui hoc pœnæ genere tenebatur, cum reliquis Monachis ad mensam ire non poterat, uti excommunicatus ab oratorio repellebatur, in quo ceteri Monachi preces fundebant.

(3) In antiquis canonibus, atque in omnium damnatione hæreticorum sane frequens est anathematis nomen. Concilium Gangrense singulos canones suos concludit his verbis *anathema sit*; hoc est ab omni Ecclesiæ communione sejunctus, et ab omnibus exsecratus habeatur, qui Conciliі legibus non obtemperaverit. Iisdem pleraque Concilia verbis utuntur; id autem sumptum videtur ex ea Pauli formula ad Galat. I. 8. *etiamsi nos, aut Angelus è cælo evangelizet vobis præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema sit.* Verum ipse Apostolus I. ad Corint. XVI, 22, vocabulo *Anathema*, addit et

alterum *Maranatha*, quod et interdum veteres Synodi præstiterunt. De hujus vocabuli *Maranatha* significatione magna opinionum dissensio est. S. Joannes Chrysostomus Hom. 44 in I. ad Corint. n. 3 opp. t. 19 p. 410 ed. Paris. 1732, hoc vocabulum Hebræum esse dicit, et significare *Dominus noster venit*. Quod Hebraica voce Apostolum expressise censet, tum ut «dispensationis Domini sermonem confirmaret, quod ex iis maxime composuerit semina resurrectionis, tum ut eos pudore afficeret, quasi diceret: communis omnium Dominus tantum dignatus est descendere; vos autem in iisdem estis, et perseveratis peccare.» S. Hieronym. Ep. 26 *ad Marcellam* n 4 opp. t. 1 col. 131 ed. Vallarsii Veronæ, verbum *Maranatha* magis Syrum, quam Hebræum putat, eoque Apostolum Hebræis perversitatem suam exprobasse inquit: «ut sit sensus: si quis non amat Dominum Jesum, anathema sit, et illo completo deinceps inferatur, Dominus noster venit Quo superfluum sit adversus eum odiis pertinacibus velle contendere, quem venisse jam constet.» Eadem est sententia Hilarii Diaconi, cujus opera olim Ambrosii nomine circumferebantur, in I. ad Corint. XVI. vers. 22 in append. opp. S. Ambrosii t 7 p. 198 ed. Ven. 1781. S. Agustinus *Maranatha* Syrum vocabulum esse affirmat Ep. 20 n. 15 opp. t. 2 col. 964 ed. cit., et significare *donec Dominus redeat*. Henricus Hammondus, pluresque alii recentiores Interpretes, uti patet ex Poli Synops. critic. in I. ad Corint. XVI., 22, verbum hoc ita explicant, *Dominus veniet ad judicium*, quemadmodum Judas Apostolus ait: «ecce veniet Dominus cum sanctis millibus, ut ferat judicium adversus omnes, et redargnat quicumque ex iis sunt impii.» Atque id quidem simile esse statuunt gravissimæ excommunicationi, qua Hebræi utebantur, quamque *schammatha* appellabant. Inquiunt enim, ab Hebbræis tres excommunicationes adhibitas fuisse: *Niddui*, *Cherem*, et *Schammatha* Postrema hæc excommunicatio omnium gravissima erat, ac per eam reus criminis post omnia humana remedia, cum execrationibus à reipublicæ, et fidelium communione sine spe veniæ ejiciebatur, et soli Divino judicio relinquebatur. Memorat *Anathema maranatha* Concilium Toletanum IV, c. 75 t. 6 conc. col. 1471 collect. Labbæi; eoque verbo hoc significari docet, ut *perditio in adventu Domini sit*. Cui simile est decretum Concilii Toletani XVI c. 10 t. 8 concil. col. 69 ib., et *anathema maranatha* est etiam excommunicatio lata à Concilio Remensi anni 900 t. 11 col. 672 adversus eos, qui Fulconem Remensem Archiepiscopum, rerum ecclesiæ suæ defensorem, jussu Balduini Flandriæ Comitis interfecerant. Late ea de re disputant Baronius ad an. 57 n. 175 t. 1 p. 475 ed. Lucæ, Binghamus Orig. eccles. l. 16, c. 2 § 16, 17 t. 7 p. 115 et seq. ed. cit., et Selvagius *Antiquit. Christian.* I. 4 c. 1 §. 8.

8. Est item excommunicatio vel latæ, vel ferendæ sententiæ. Hæc à judice per sententiam irrogatur; illa autem nullam judicis sententiam postulat, sed à jure ipso infligitur, eique locus est *ipso facto*, nimirum statim ac aliquis crimen admisit, et canonis decreta violavit. Ex formulis, quæ in Ecclesiæ legibus usurpantur, facile intelligitur, quæ ferendæ, quæ latæ sententiæ excommunicatio sit. Illa enim concepta est verbis, quæ pœnam infligendam ostendunt, qualia sunt *excommunicetur*, *segregetur* vel *præcipimus sub pœna excommunicationis*, hæc autem ipsa verborum formula significat pœnam solo juris ministerio constitutam,

uti sunt verba *excommunicatus sit ipso jure*, *vel facto excommunicationem incurrat*. Formula hæc excommunicationis, quam statim ipsa violatio legis infligit, non recentioris disciplinæ, ut quidam putant, sed antiquissima in Ecclesia est (1).

(1) Godescalcus Rosemundus Lovaniensis Theologus Confess. c. 20 é medio tolli vellet excommunicationes latæ sententiæ, et eas contra perpetuum usum totius Ecclesiæ perniciosas audacter prædicat, quem novi quidam è turba Ultrajectinorum Quesnelli asseclarum sequuntur. Suam vero sententiam tueri conatur potissimum auctoritate Gersonis, qui tamen in Tract. de Vita spiritual. animi lect. 4 corollar. 14 opp. t. 3 p. 49 ed. Antuerp 1706, minime hoc genus excommunicationis improbat, tantum monet, excommunicationem latæ sententiæ hoc efficere, ut absque processu alio judiciali, aut nova constitutione possit judex statim, probato facto, vel confessato, ferre juris sententiam, et eamdem publicare: non sic ubi canones essent solum ferendæ sententiæ; quoniam monitiones, et processus secundum terminos juris prærequirerentur multiplices.» Quod quidem est consentaneum juris disciplinæ, quæ requirit sententiam, qua crimen declaretur; quoniam in foro externo nemo excommunicatione implicatus haberi potest, nisi primum constet, eum esse reum criminis, cui censura ipso jure adjuncta est. Verum in foro interno nulla requiritur judicis declaratio, sed qui crimen patravit, cui conjuncta censura est, statim coram Deo, cui nota, et perspicua sunt omnia, excommunicatus efficitur. Suam enim contumaciam, et Ecclesiæ contemptum satis aperte declarat, qui peccat in legem, à qua scit illico, et *ipso facto* constitutas esse censuras adversus illos, qui ei non obtemperant Ita vere, et solide argumentatur Suarezius de Censur. disp. 3 sect. 8 n. 3, et Gonzalezius in c. 48 de Senten. excom. n. 6, omnium vero accuratissime ea de re disputat Theophilus Raynaudus de Monit. eccl. part. 2 c. 20 opp. t. 14 p. 514, quo quidem loco graviter, et egregie refutat Ayalam improbantem censuras latæ sententiæ, quod nullam canonicam admonitionem sequuntur, atque ostendit, admonitionis loco esse ipsam legem, quæ omnibus objecta est, quæque inflicta censuræ pœna aliquid fieri jubet, aut vetat. Van-Espenius Jur. eccles. univers. par. 3 tit. 11 c. 6 n. 19, Cavallarius Instit. canonic. par 3 c. 55 §. 7, aliique expresse quidem improbare non audent excommunicationem latæ sententiæ, sed eam recentiori ætate inventam fuisse, ac tantum 11, aut 12 Ecclesiæ sæculo usurpari cœpisse arbitrantur. Sed qui ita sentiunt, sese omnis antiquitatis plane rudes, et imperitos fateantur necesse est. Nam excommunicatio latæ sententiæ originem repetit ab ipso Apostolo, cujus hæc verba sunt ad Galathas I. 8: *Si quis verbis evangelizaverit, præterquam quod accepistis, anathema sit*. Ergo hæreticus non hominis sententia, sed ipso facto anathema est, statim ac doctrinam tradit, quæ Pauli doctrinæ adversetur. Ipse Paulus ad Titum III. 10 et 11, post unam, et alteram correptionem scelestum devitari jubet, *sciens*, inquit, *quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus*. Quem Pauli locum ita interpretatur Augustinus in can. 29 caus. 24 qu. 3, *quia subversus est hujusmodi, et peccat, et est à semetipso damnatus*. Hæreticus, quem defugere oportet, quia proprio judicio, vel *à semetipso* damnatus est, nonne est hæreticus, qui propter ipsum crimen, non propter hominis sententiam huic pœnæ subjicitur? S. Judas Apostolus Epist. canon. vers. 19 memorat hæreticos, et scelestos, qui *segregant semetipsos*, *animales*, *spiritum non habentes*. Certe hi homines non per judicis sententiam, sed per crimen *semetipsos* se-

gregant à fidelium communione; quæ latæ sententiæ excommunicatio est. S. Justinus Martyr. in Dialog. cum Tryphone Judæo n. 35 p. 132 ed. Paris. 1742 de schismaticis, et hæreticis inquit: *cum horum nemine communicamus; cum atheos, et impios esse, ac injustos, et exleges sciamus.* Cur Christiani cum schismaticis, et hæreticis non communicabant? Propter ipsum crimen, quod ab iis admissum fuisse sciebant, non propter aliquam hominis sententiam, quæ contra eos lata fuisset. Ætate martyrum Christianos, qui à fide defecerant, *ipso facto* ab Ecclesiæ unitate, et communione excidisse, ostendunt in primis tum S. Cypriani ad Clerum Romanum, et Antoninum, tum Cleri Romani ad eumdem Cyprianum literæ, quæ extant p. 241, 206, 209 opp. Cypriani edit. Amstel. 1700 Concilium Eliberitanum can. 1, 2, 3 t. 1 conc. col. 992 collect. Labbæi ed. Ven. eos, qui post Baptismum Idolis immolassent, *ipso facto* à fidelium communione rejicit. Sane adversus Christianos, qui Idolis sacrificium obtulissent, non propria confessione, non testibus, non probationibus, non sententia opus fuisse, sed eos *facto ipso* in excommunicationem incidisse, rectissime animadvertunt Cavæus Prim. Christ. part. 3 c. 5, et Binghamus Orig. eccl. l. 16 c. 3 §. 10 t. 7 p. 163 ed. cit. Eadem est ratio Synodi Ancyranæ can. 1 et seq. t. 1 col. 1487, et eadem etiam concilii Antiocheni, quod can. 1 t. 2 col. 576, *ipso facto excommunicatos, et Ecclesia ejectos* statuit eos, qui contra Nicæni concilii decreta Pascha celebraverint, similiter propter idem facinus ipso facto alienos ab Ecclesia judicat Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, eosque deponit, atque eamdem pœnam ad eos quoque producit, *qui audent iis communicare post depositionem.* Synodus Gangrensis omnes canones, qui sunt viginti numero, conclusit verbis *anathema sit*, uti patet ex t. 8 concil. col 569, quibus quidem verbis excommunicatio ipso jure contra repugnantes constituta significatur. Similiter Synodus Turonensis 1. can. 8 conc. t. 5 col. 76, et Venetica can. 3 t. 5 col. 80, contra criminosos quosdam ipso jure excommunicationem ferunt, eamdemque excommunicationem memorat Concilium Constantinopolitanum S. Flaviani Act. 2 col. 963, 966, 970, 971 t. 4 conc. Synodus Tolet. IV. can. 75 conc. t. 6 col. 1471, contra rebelles, et regni proditores *ipso facto* anathema constituit his verbis: *qui contra hanc nostram definitionem præsumpserit, anathema maranatha, hoc est perditio in adventu Domini sit.* Sola *præsumptio contra synodi definitionem* satis est, ut quis *anathema maranatha sit.* Quid aliud latæ sententiæ excommunicatio est? Qui dicam de duodecim anathematismis à S. Cyrillo Alexandrino adversus Nestorium conscriptis, quos probarunt Ephesini, et Chalcedonensis Concilii Patres? Quid de testimonio Auctoris operis *de Vita contemplativa*, quem alii fuisse putant Prosperum Aquitanicum, qui medio sæculo V. florebat, alii Julianum Pomerium, qui eodem sæculo vitæ usura fruebatur? Is autem lib. 2 cap. 7 diserte tradit, ea ætate clericos grave aliquod crimen admittentes statim in foro conscientiæ, et coram Deo in suspensionem incidisse, quam quidem excommunicationis speciem fuisse, recte animadvertunt Albaspinæus Observ. l. 1 c. 2, et Sviccrus Thesaur. Eccles. t. 1 p. 601.

9. Jamvero mortalis, seu major excommunicatio hominem plane separat, atque distrahit ab Ecclesiæ communione, ita ut non amplius ejus membrum, sed tamquam ethnicus, et publicanus habeatur. Itaque cadit omni jure, quod per Baptismum acquisiverat, sacramentis, sacris officiis, ecclesiastica potestate,

communibus suffragiis, atque omni fraternitatis jure privatur (1). Interim Ecclesia, seu Christiani pro eo preces fundere possunt, ut redeat ab bonam mentem; quoniam hoc merum est officium misericordiæ, nullam autem in sacris communionem inducit (2).

(1) Solebant Apostoli Christianos excommunicatos tradere *Satanæ in interitum carnis*, uti patet ex 1. ad Corint. V. 5, II. ad Corint. XII 21, I. ad Timoth. I. 20. Hinc à viris doctis quæsitum est, quid per hanc hominis traditionem Satanæ intelligi debeat? Alii autem sunt, qui eam fuisse putant excommunicationem, quæ hoc quoque nomine appellabatur, quæque solum animum, non corpus afficiebat. Alii contra existimant, excommunicatos, ac Satanæ traditos non solum spiritualem pœnam pertulisse, sed etiam corpore à Satana fuisse vexatos. Atque hæc quidem sententia est Joannis Chrysostomi, Ambrosii, Hieronymi, et Augustini. Sed hæc extraordinaria potestas fuit, quæ Apostolis à Christo data est, quæque post eorum mortem desiit. Fuse hanc controversiam expendit Binghamus Orig. eccl. l. 16 c. 2 §. 15 t. 7 p. 106 et seq. ed cit.

(2) S. Thomas in 4 sentent. dist. 11 qu. 1 art. 4. Et merito à Leone X. const. Exurge 44 t. 3 par. 3, 487 Bullar. Roman. ult. ed. damnatus est error Lutheri art. 23 ajentis, quod *excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.* S. Cyprianus Ep. 62 ad Pompon. col. 244 ed. Venet. 1758, excommunicationem vocat *spiritualem gladium, quo superbi, et contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit.* Confer etiam S. Augustinum in Deuteron. l. 5 qu. 59 colun. 749 opp. t. 3 et in Evang. Joan. tract. 50 n. 11 col. 858 t. 4 edit. Ven. 1756. S. Innocentium I. Ep. 29 ad concil. Carthag. n. 8 apud Coustantium col. 894.

10. Verum in nova disciplina magna ex parte mitigatus est rigor, per quem omnem plane cum excommunicatis societatem, et communionem defugere jubemur. Scilicet Martinus V., ut mala, et pericula removeret, quæ vetita communicatio cum omnibus excommunicatis attulisset, sapienter constituit (1), ut eos tantum evitemus, in quos excommunicationis sententia *à judice publicata, vel denunciata specialiter, et expresse* est, itemque eos, qui palam in clericum sacrilegas manus injecerunt, quos etiam à judice non denunciatos devitare debemus. Hinc ortum discrimen inter excommunicatos *vitandos*, *et toleratos*; et inde illorum, non autem horum vetita communicatio est (2).

(1) Martinus V. P. in Extravag. Ad evitanda, quam integram describit S. Antoninus in Summa Theolog. tit. 25 c. 3 par. 3 col. 1414 ed. Veronæ 1740. Sunt qui hujus decreti veritatem in discrimen revocant, quoniam, ajunt, nulla ejus mentio est in actis Concilii Constantiensis, atque ejus veritas tantum nititur testimonio S. Antonini, aliorumque scriptorum, qui Antonini fidem sequuti sunt. Ita, præter ceteros, Van-Espenius Jus eccl. part. 3 tit. 11 c. 5

§. 15. Sed, ut recte observat Benedictus XIV. de Synod. Diœc. l. 12 c. 5 n. 4, Antonini fides nutare non potest, quoniam ejus ætate decretum illud Martini V. in hominum manibus versabatur, et plures erant, qui illud in Constantiensi Concilio propositum quidem, sed rejectum, aut saltem ad quinquennium arctatum contendebant; contra quos ipse Antoninus ostendit, decretum Concilio fuisse probatum, eique vim perpetuam attributam, ac testem appellat Julianum tunc Auditorem Generalem Cameræ Apostolicæ, deinde Cardinalem, ea ætate insignem doctrina virum. Accedit, quod decreti veritatem ostendunt certa, et authentica documenta edita à Dumontio cod. jur. gent. diplom. t. 2 part. 2 p. 111, ab Hermanno Vonder Hardt t. 1 Concilii Constantiensis p. 1055 ed. 1710, qui ex tribus Mss. Cæsareæ Brunsvicensis Bibl. Codicibus Concilio coævis illa edidit, Senkebergero Recess. Imper t. 1 p. 111 et seq. ed. Francofurt. 1747, et Hartzeim t. 5 Concil. Germaniæ p. 127 et seq., et p. 142 et seq. ed. Coloniæ 1765. Hæc autem monumenta in Germania reperta sunt, præsertim in Civitate Magdeburgensi, aliisque, uti Hartzheimius ostendit, neque sunt Bullæ *sub plumbo*, sed capitula pacti conventi, sive concordati inter Martinum V., et Nationem Germanicam in Concilio Constantiensi an. 1415 firmata; cujus quidem concordati illud est caput VII. Hæc autem concordata Romæ servabantur in Cancellaria Cardinalis Joannis Episcopi Ostiensis, et Vice-Cancellarii, qui ex voluntate ipsius Martini, præcipientis, « quod capitula prædicta et quodlibet eorum dentur cuilibet ea habere volenti communiter, seu divisim in authentica forma sub sigillo D. Vice-Cancellarii cum subscriptione notarii; sic quod fidem faciant exhibita ubicumque, » ea distribuit. Revera eadem concordata cum illa forma, quam Martinus præscripserat, descripta extant apud Hartzheimium *cit. loc.* Hujus quoque decreti veritatem ostendunt Concilium Basileense sess. 20 c. 2 t. 17 conc. col. 315 collect. Labbæi, Gallicanus conventus Bituricensis an. 1438 n. 36 apud Cabassutium, Concilium Lateranense V. sess. 11 §. Statuimus insuper t. 19 conc. col. 958, in quibus ejusdem decreti mentio est; denique consensus omnium, à quibus illud ubique receptum est.

(2) Martini decretum perpetuum esse, atque ad universam Ecclesiam pertinere, duo sunt, quæ invicte demonstrant. Primum educitur ex testimoniis, quæ paulo ante descripsi, alterum ex totius Ecclesiæ consuetudine, quæ optima legum interpres est. Porro S. Antoninus loc. cit. testatur, sese à Juliano Cæsarinio Cardinali intellexisse, decretum illud esse perpetuum; et Andreas Episcopus Posnaniensis cum anno 1423 Senis Concilii causa moraretur, Martinum ipsum rogavit, ut decretum suum prorogaret, sed ei responsum est à Cardinali Juliano, suam illam petitionem inutilem esse, quoniam Pontifex idem decretum perpetuum esse voluerat. Ac totius Ecclesiæ consuetudinem pluribus allatis testimoniis, confirmant Suarezius de censur. disp. 9 sect. 2 n. 5 Cardinalis Petra ad const. 18 Innocentii IV. t. 3 Comment. ad const. Apostol., Cabassutius Notit. eccles. de Concil. Basil. p. 534 ed. Lugd. 1680, Benedictus XIV. de Synod. diœc. l. 12 c. 5 n. 4.

11. Itaque cum hæreticis, schismaticis, ceterisque similibus, qui expresse, ac speciatim excommunicati non sunt (1), vetita in re civili communicatio non est (2). Hi quidem devitandi sunt, sicuti demonstratum supra est, propter periculum, atque discrimen, in quod vocantur, qui ex eorum societate, et consortio iisdem infici erroribus possunt, quibus illi infecti sunt, non au-

tem sunt devitandi propter excommunicationem, qua generatim hæretici, et schismatici obligantur. Itaque cum his hominibus caute, et prudenter, tamquam cum malis, agere debemus memores omnium, quæ de vetita eorum tolerantia sancita sunt; at si quis ob justam aliquam causam cum iis sermones conferat aut etiam eorum templa curiosus ingrediatur, minime incidit in excommunicationem, quæ adversus eos, qui cum excommunicato vitando communicant, est constituta.

(1) Sunt qui constitutionem Martini V. ad hæreticos, atque schismaticos pertinere inficiantur, et sunt qui huic constitutioni derogatum putant à Concilio Lateranensi V. sess. 11 §. Statuimus, à quo confirmatum est id, quod pridem à Basileensi Synodo sess. 20 §. 2 sancitum fuerat. Ita, præter ceteros, sentiunt Sotus in 4 dist. 25 qu. 1 art. 1 et 3, Bellarminus de Roman. Pont. l. 2 c. 30 §. Neque valet opp. t. 2 p. 544 ed. Ven. 1721, Turrecremata Sum. Eccles. Pot. l. 4 part. 2 c. 20. Auctor libri Traité Theologique, ou l'on demonstre, que les fideles ne peuvent communiquer en matiere de religion avec les ennemis declarez de la B. Unigenitus, Fagnanus in c. 1 n. 53 de Schism. Sed Martini decretum loquitur universe de omnibus excommunicatis *cujuscumque sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ ab homine, vel à jure*, ac tantum excipit nominatim illos, in quos sententia excommunicationis à *Judice publicata, vel denunciata specialiter, et expresse est*, quique palam in clericum sacrilegas manus injecerunt. Ergo si tantum certi excommunicati sunt excepti, non ceteri *cujuscumque sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ ab homine vel à jure*, quibus verbis etiam hæreticos, et schismaticos comprehendi nemo inficiabitur, manifestum est, eos etiam, cum speciatim excommunicati non sunt, ad Martini decretum pertinere. Adde quod novum illud jus à Martino V. constitutum est, ut devitarentur scandala, quæ orirentur ex consortio hæreticorum, et schismaticorum, quorum magnus erat numerus, cum Constantiensis Synodus habita est. Illa autem Basileensis, et Lateranensis Concilii decreta, quibus jus à Martino inductum, è medio sublatum fuisse videtur, minime observata monet Benedictus XIV. de Synod. diœc. l. 6 c. 5 n. 2. Confer etiam Suarezium de Fid. disp. 21 sect. 3 n. 2, Sanchezium de præcept. decal. l. 2 c. 9 n. 3, Pirhinghium Jus canon. l. 5 tit. 39 sect. 4 §. 1., Azorium Inst. moral. l. 8 c. 11, Card. de Lugo de Virt. disp. 22 sect. 1 n. 1, Card. Petram ad constit. Apostol. t. 3 n. 39 p. 185, Amortum Theolog. moral. t. 1 tract. 5 sect. 2 §. 2, Ballerinium in Not. ad S. Antoninum l. et edit. cit. col. 1414 et seq. At enim duæ sunt ejusdem Martini constitutiones, altera *In eminenti*, quæ extat apud Labbæum t. 16 Concil. col. 768, et altera *Inter cunctas*, quæ ab eodem Labbæo descripta est l. c. col. 756, et in his quidem constitutionibus omnis videtur cum hæreticis vetita communicatio. Idem quoque à Martino V. decretum est in Concilio Senensi an. 1423 apud Labbæum t. 17 Concil. col. 99; atque à Paulo IV. in const. *Cum ex Apostolatus* 27 t. 4 part. 1 p. 554 Bullar. Roman. Verum recentiores hæ constitutiones, quibus Martini V. constitutioni *Ad evitanda* derogatum videtur, nihil obstant, quoniam, ut testatur Benedictus XIV. de Synod. Diœces. l. 6 c. 5 n. 2, eadem constitutio *in suo semper vigore permansit, non obstantibus subsequentibus Constitutionibus etc.* Accedit quod duæ illæ ipsius Martini constitutiones *In eminenti, et Inter cunctas*, antiquiores sunt extravaganti *Ad evitanda*, et ideo recentiori constitutione jus com-

prehensum antiquioribus, si forte obstat, è medio sublatum est. Quamquam si recte expendatur Constitutio *In eminenti* Martini V., ea forte pertinet ad illos, qui hæreticorum errorum participes fuerint, aut vetat communionem cum hæreticis, qui uti tales denuntiati sunt apud judices, qui in eam rem inquirere jubentur. Eodem etiam decretum Concilii Senensis, et constitutio Pauli V. referri commode possunt. Mirum vero non est, quod in Martini constitutione *Inter cunctas* hæretici in Ecclesiis catholicorum sepulturam habere prohibeantur; neque vero effici ex eo potest, quod ut catholici sepulturam, ita societatem, et communionem cum hæreticis habere nequeant. Nam illa, quæ catholicis permissa est, communicatio cum hæreticis sine metu excommunicationis, commodum respicit, et utilitatem Catholicorum, qui liberati sunt à metu, quo tenebantur, contrahendæ excommunicationis, si cum hæreticis ita, ut supra monui, communicarent. Verum sepultura ecclesiastica cedit in commodum hæreticorum, atque in dedecus Ecclesiæ; et ideo vetita hæreticis ecclesiastica sepultura argumento esse non potest, quod etiam catholicis sub pœna excommunicationis vetita sit cum hæreticis communicatio. Comprehendam paucis. Constitutio *Ad evitanda* hoc habet propositum, ut Catholici, qui communicant cum hæreticis nominatim non excommunicatis, omnem abigant contrahendæ excommunicationis metum. Cum hoc vero quid habet commune ecclesiastica sepultura, à qua hæretici repelluntur?

(2) Sunt, qui non tantum in humanis, sed etiam in divinis, et sacris, catholicis cum hæreticis communicationem permissam putant. Ego ea de re sententiam exponam sapientissimi Pontificis Benedicti XIV de Synod. diœces. l. 6 c. 5 n. 2. Ipse autem inquit: «quamvis per canonem Concilii Constantiensis, qui incipit *Ad evitanda*, quique in suo semper vigore permansit, non obstantibus contrariis subsequentibus Constitutionibus Concilii Basilensis, et Lateranensis, nonnihil relaxata fuerit disciplina in eo, quod pertinet ad conversandum, atque etiam in divinis communicandum cum hæreticis, qui toleruntur... non idcirco tamen arbitrari debent catholici, fas sibi esse indistincte cum hæreticis, quamvis non denunciatis, in rebus sacris, et divinis communicare; siquidem Paulus V, post maturam rei discussionem, nentiquam licere definivit Catholicis regni Angliæ hæreticorum templa adire, ritibusque interesse, quos inibi exercent. Tum ostendit, non deesse Theologos, qui alicujus culpæ reos negant esse catholicos, qui cum hæreticis, et schismaticis nominatim non denunciatis in divinis communicant, atque ab iis etiam sacramenta percipiunt; modò id faciant ob gravissimam, aut necessariam causam, sacramenta administrentur ritu plane catholico ab hæreticis, aut schismaticis valide ordinatis, communicatio in divinis neque ullum præbeat indicium, aut conjecturam faciat erroris à catholico homine approbati, neque scandalum, aut offensionem pariat. Monet tamen ipse Benedictus, primum, quod huic sententiæ quamplurimi adversantur; deinde, quod etiamsi vera habeatur, tamen *cum omnes enumeratæ circumstantiæ simul, et conjunctim adesse debeant... fere impossibile est*, quod catholici, qui se cum hæreticis in sacris, divinisque commiscent, culpa vacare possint. Quare Urbis Congregationes, inquit, «illicitam semper reputarunt communicationem, de qua est sermo, doctamque concinnarunt instructionem ad Missionarios, ubi opus fuerit, transmittendam, ubi rationes expenduntur, propter quas vix unquam accidere potest, ut in praxi sit innoxia catholicorum cum hæreticis communicatio in divinis.» Confer etiam Giraldum Exposit. Jur. Pontific. l. 5 tit. 39 sect. 926 p. 761 et seq., à qua sacrarum quoque Urbis Congregationum ea de re declarationes describuntur. Si qui tamen catholicus hæreticorum, aut schismaticorum tem-

pla ingrediatur, ut ea curiosus inspiciat, atque etiam sacris eruditionis causa intersit, non ut eorum sit particeps, aut quidquam approbet, quod catholicæ veritati adversetur, is minime in sacris, atque divinis communicare dicitur, neque culpæ reus haberi potest.

12. Potestas ferendi excommunicationem à Christo data est Ecclesiæ Præpositis, hoc est Episcopis, atque in primis Summo omnium capiti Romano Pontifici, in quos ipse contulit clavium potestatem (1). Hi suo jure (2) excommunicationis pœna animadvertunt in Christianos, qui gravius deliquerunt, atque huic pœnæ subjecti sunt omnes, qui Ecclesiæ potestati subsunt, sive divites, sive pauperes sint, sive alieno pareant, sive summo potiantur imperio (3). Nam hi quoque Ecclesiæ legibus parere debent, quamquam eorum summa sit in re civili potestas; ipsis vero non licet aut censuras ferre, aut in earum justitiam inquirere (4), quoniam ea res tota tantum sacræ potestati commissa est.

(1) Cum Romano Pontifice, quem Christus constituit unitatis centrum, atque Ecclesiæ fundamentum, convenire omnes debent, qui catholici haberi, ac revera esse volunt. Ex quo facile intelligitur, quæ sit vis excommunicationis, quæ à Summo Pontifice lata est. Nimirum cum ille, qui jus in omnes catholicos habet, aliquem excommunicatione, et anathemate plectit, eum non solum à sua, et Romanæ particularis Ecclesiæ communione sejungit, verum etiam ejicit, atque præcidit ab unitate, et communione totius Ecclesiæ catholicæ, quæ ipsi tanquam capiti, et catholicæ communionis centro adhæret, ac jure Primatus adhærere debet; nec fieri potest, ut quis ab eo præcisus non sit etiam præcisus ab ipsa Ecclesia, quæ ex divina institutione cum ipso unitatis centro anexa, et conjuncta est. Hinc *jura communionis* ab unitate cum Sede Apostolica *dimanare* S. Ambrosius cum Aquilejensi Synodo docuit Ep 6 opp. t. 3 col. 850 ed. Ven. 1751, et excommunicationes ab aliis Episcopis latæ nullius momenti sunt, cum eos, qui ab aliquo etiam majorum Sedium Antistite excommunicati fuerunt, suæ communionis participes, et *sibi inconvulse unitos Apostolica judicavit auctoritas*, ut inquit Vigilius P. in constit. apud Labbæum t. 5 Concil. col. 1548 ed. Ven. Hinc merito S. Cyrillus Alexandrinus Episcopus, etsi Nestorii Constantinopolitani errorem, ac pertinaciam exploratam haberet, tamen ab ejus communione discedere noluit, nisi primum Cælestini Romani Pontificis sententiam audiret, apud Coustantium int. Cælest. Ep. 8 col 1085, ipse autem Cælestinus aliorum Episcoporum sententias haud metuendas dixit, si ab ipsis excommunicati, vel depositi, in Apostolicæ Sedis communione permaneant. Confer ejusdem Cælestini Ep. 11 n. 3 Ep. 12 n. 2. Ep. 14 n. 7 apud Coustantium col 1106, 1111, 1146. Quare perperam, ac nimio abreptus æstu Firmilianus Ep. 75 inter opp. S. Cypriani col. 556 ed. Ven. 1758, schismatis accusat Stephanum Pontificem, qui plures Episcopos, in controversia de baptismo hæreticorum, communione privasse credebatur, dum Stephanum his verbis alloquitur: «Excidisti enim te ipsum; noli te fallere; siquidem ille est vere schismaticus, qui se à communione ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit.» Perperam, inquam; nam Summus Pontifex excommunicatione in aliquos animadvertens, sese quodammodo ab illis quidem separat, sed cum eosdem præcidat à centro unitatis,

quod sibi adbæret ex divina institutione, non se, sed illos à communione ecclesiasticæ unitatis, et ab Ecclesia amputat, atque secernit; et ideo recte S. Irenæus, qui non eo, quo Firmilianus, æstu rapiebatur, plane intellexit fore, ut Asiani Episcopi ab Ecclesia præcisi, et amputati haberentur, si à Summo Pontifice propter controversiam de Paschate excommunicarentur, cum Victorem rogavit, « ne tam multas Ecclesias omnino, propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illos usurpatæ observationem, à corpore universæ Ecclesiæ penitus amputaret; » uti testatur Eusebius hist. eccles. l. 5 c. 24 p. 213 ed. Taurin. 1746. Quod autem objicitur de viris quibusdam pietate præstantibus, qui floruerunt in schismatibus Meletii Antiocheni, et Acacii Constantinopolitani, quique Apostolicæ Sedis communione caruerunt, egregie diluitur à Petro Ballerinio de Vi ac ration. Prim. R. Pont. in append. ad §. 1 c. 11 p. 327 seq. ed. Aug. Vindel. 1770 At Febronius Romani Pontificis excommunicationes metuendas, atque eas ad jurisdictionem referendas negat. Inquit enim, quod « antiqua ratio excommunicationis, ejusque jus non erant effectus jurisdictionis respectu excommunicati. » Nimirum, sicuti olim communio concedebatur, cum quis etiam alienos subditos suæ communionis participes faciebat, ita excommunicatio, quæ communioni opponitur, nihil aliud erat quam aliquem à sua communione repellere; quod cum fieri posset etiam in eos, qui subditi non sunt, et in quos nulla propria jurisdictio est, hinc excommunicatio ad jurisdictionem haud pertinere videtur. Tunc videlicet proprie Episcopi jurisdictionem exercent, cum suos subditos excommunicatione plectunt, non item cum animadvertunt in eos, qui sibi subjecti non sunt. Ita argumentatur Febronius, qui Summo Pontifici subesse negat eos, qui aliis Episcopis subsunt; quod sane idem est ac tollere primatum jurisdictionis, quem Summum Pontificem in totam Ecclesiam habere, inter catholicos omnes constat. Sane si hæc jurisdictio sese effundit in Ecclesiam universam, si quotquot in ea versantur Romano Pontifici subjiciuntur, si ipse Christi institutione præest omnibus tum Episcopis, tum ovibus gregis dominici, manifestum est, quod cum ipse fert excommunicationem, non in alienos subditos, sed in eos, quos sibi vere, et proprie jure primatus subjectos habet, sententiam dicit. Itaque quemadmodum excommunicatio Episcopi in suos diœcesanos verus est actus jurisdictionis, quoniam in eos imperium, et potestatem habet, ita excommunicatio Romani Pontificis in omnes Christianos, verus, et proprius est jurisdictionis actus, quoniam ita fert indoles, et natura Primatus, ut omnes ei subjiciantur. Ex quo facile evertitur quod Febronius dicit de non metuendis Romanorum Pontificum excommunicationibus. Nam si Pontifex jurisdictionem in omnes Christianos habet, omnes certe tenentur excommunicatione, quæ ab eo lata est. Ineptissima est autem distinctio inter Papam, et Curiam Romanam, cum excommunicatio non à Curiæ, sed à Summi Pontificis auctoritate vim habeat; eodemque habenda loco est altera distinctio inter Sedem Romanam, eique præsidentem Summum Pontificem, quam distinctionem late refutat Ballerinius de Vi ac ration. Primat. c. 14 § 5 n. 25 seq. p. 241 seq. ed. cit.

(2) Quesnellus in Proposit 90, quam tum ceteris damnavit Clemens XI. Constit. *Unigenitus* 187 p. 340 t. 10. Bullar. Roman., Ecclesia, inquit, « auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores, de consensu, saltem præsumpto, totius corporis. » Idem cum eo sentit Van-Espenius de Censur. c. 2 §. 1, eodemque recidit sententia Dupinii de Antiq. Eccles. discipl. Diss. 4 c. 1, Febronii de Statu Eccles. c. 1 §. 6, ceterorum, qui damnatam Edmundi Richerii sententiam sequuntur, et clavium potestatem collectim membris Ecclesiæ omnibus inesse arbitrantur, sed ejus usum,

et exercitium, ad Episcopos, et Sacerdotes pertinere. His vero præivit Lutherus, qui in nefario opere, quod Captivitatem Babylonicam inscripsit, opp. t. 2 p. 65 ed. Wittemberg. 1562: omnes, inquit, « summus sacerdotes, quotquot Christiani sumus; sacerdotes vero, quos vocamus, ministri sunt ex nobis electi, qui nostro nomine omnia faciant, et Sacerdotium aliud nihil est, quam ministerium .... Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu; et quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fit. » At innumera sunt testimonia Patrum, qui uno omnium consensu docent, clavium, seu ligandi, solvendique potestatem Ecclesiæ Pastoribus à Christo datam fuisse, illorum autem nemo omnino est, ut animadvertit Bossuetius de l'Histoire des Variation. liv. 15 num. 120 et 121, qui hanc potestatem cunctis Ecclesiæ membris sive disjunctim, sive collectim traditam existimet. Id nosci potest ex Clemente Romano Petri auditore Ep. 1 ad Corint. n. 40 apud Constantium Ep. Rom. Pontif. col. 28, Ignatio Ep. ad Ephes. n. 6 apud Cotelerium PP. Apost. t. 2 p. 15 ed. Amstelæd. 1724, Irenæo, cujus ex l. 3 Contr. hæres. c. 3 seqq. descripsit, egregieque illustravit loca Renatus Massuet Diss. 3 in Oper. S. Irenæi art. 3 n. 16 seqq. t. 2 p. 105 ed. Ven., Polycrate Ephesio, cujus ex epistola sententiam refert Eusebius Histor. l. 5 c. 24 p. 243 ed. Cantabrig., Clemente Alexandrino Pædagog. l. 1 c. 6 p. 120 ed. Ven. 1757, Origene Hom. 22 in Numer. n. 4 t. 2 opp. ed. Maurin. Paris. et Comment. in Matth. tract. 12 n. 14 t. 3 p. 529, Saturnino Tolosatium Episcopo apud Ruinartium Act. martyr. n. 1 seqq. p. 109 seqq. ed Veron. 1731, Demetrio Alexandrino, Alexandro Hierosolymitano, Theoctisto Cæsariensi, Babyla Antiocheno, Dionysio Alexandrino apud Eusebium hist. l. 6 c. 8, 10, 11 p. 265 seq. c. 27 p. 292, c. 34 p. 298, c. 44 et 46 p. 316 et 319 l. 7 c. 5 p. 325, c. 7, 9, 11 p. 327, 329, 334, Cornelio Romano Ep. ad Cyprianum apud Constantium Ep. Rom. Pont. col. 135 seq., Cypriano Ep. 3 ad Rogat. p. 172 ed. Amstelæd. 1700, Ambrosio de Pœniten. l. 1 c. 2 n. 7 p. 253 t. 5 ed. Ven. 1781, Athanasio Ep. ad Constant. in Hist. Arianor. ad Monach. n. 44 opp. t. 1 p. 295 ed. Patavii 1777, Gregorio Nazianzeno Orat. 1 p. 31 ed. Colon. 1690, Orat. 9 p. 158 et Orat. 17 p. 271 Basilio Ep. 42 ad Chilonem n. 4 opp. t. 3 part. 1 p. 128 Ep. 69 ad Athanas. n. 1 p. 161 ep. 161 ad Amphiloch. n. 2 p. 250, Ep. 289 p. 427 ed. Maurin. Paris. 1730, Paciano Ep. 1 ad Sympronian. in Biblioth. PP. t. 4 p. 306 et seq. ed. Lugd. 1677., Optato Milevitano Contr. in Biblioth. PP. t. 4 p. 306 et seq. ed. Lugd. 1677., Optato Milevitano Contr. Donatist. l. 2 c. 4 et seq. p. 35 et l. 7 c. 3 p. 111 et seq. ed. cit., Joanne Chrysostomo de Sacerdot. l. 2 n. 2 opp. t. 1 p. 372 ed. Montfaucon. Paris., et l. 3 n. 5 p. 383 Homil. 5 ad Pop. Antiochen. n. 2 t. 2 p. 58. Mitto ceteros Ecclesiæ Patres, ut aliquem faciam scribendi modum, et mitto auctoritatem tot Conciliorum, quot usque ad hanc nostram ætatem numerantur, quæ semper ab Episcopis habita sunt, et in quibus contra hæreticos lata est excommunicatio, legesque ecclesiasticæ ab Episcopis constitutæ. Placet tamen adhuc pauca quædam seligere ex innumeris, quæ dari possent, Gallicanæ Ecclesiæ testimonia. Anno 1728 cum ex voluntate Ludovici XV. Christianissimi Regis Parisiis Episcopi 31 ad habenda comitia convenissent, de consultatione quadam sententiam rogati dixerunt, fundamenta impeti fidei nostræ, oppugnarique principia, quæ nos ab hæreticis discernunt, opinione eorum, qui spiritualem potestatem à Christo Ecclesiæ datam residere defendunt in integra societate, ab eaque committi, credique Pastoribus usum, et exercitium hujus potestatis. Vide opusculum inscriptum « Representations justes, et respectueuses à Nosseigneurs les Cardinaux, Archevêques, et Evêques assemblés extraordinairement à Paris par les ordres du Roy, pour donner à

Sa Majesté leur avis, et jugement sur un ecrit imprimé, qui à pour titre *Consultation* » etc. His autem Episcopis 31 præiverant Antistites centum, qui anno 1720, et antea quadraginta, qui anno 1713 et 1714, Parisiis comitia celebrarant, quibus porro alii plus sexaginta adhæserant. Horum autem doctrina fuit. «Il est vrai, que le pouvoir d'excommunier à été donné à l'Eglise en la personne des Premiers Pasteurs, et si la proposition n'alloit pas plus loin, elle seroit orthodoxe; mais il n'est pas vrai, que les Premiers Pasteurs le reçoivent du corps de l'Eglise, c'est à dire des fideles. Le pouvoir d'excommunier fait partie des clefs, que Jesus Christ même donna aux Apôtres immediatement, et dans leurs personnes aux Evêques, qui sont leurs successeurs.» Consule les Conferences de Luzon t. 7 Conf 19 qu. 1 p. 299, L'instruction Pastorale approuvée par l'assemblée de Mésseigneurs les Cardinaux, Archevêques etc. proposeé à Messeigneurs les Prelats absens in Process. verbal. Cleri an. 1713 et 1714 p. 111 ed. an 1714, item Le Memoire presenté au Roy par l'Archevêque de Cambray l'an 1734. et Declarationes Regis 4 Aug. 1720, et 24 Martii 1730 t. 12. Actor. Cleri Gallic. p. 1642 et 1645. Alia bene multa Gallicanæ Ecclesiæ, quin etiam Ecclesiarum omnium, Patrumque ea de re testimonia habet Mamachius, qui totum hoc argumentum innumeris prope collectis monumentis solide, copioseque tractavit Ep. 3 ad Febron. per tot l. 2 §. 1 et seq. p. 27 et seq. Videndi sunt etiam ipse Mamachius Antiq. Christian. t. 5 p. 259 et seq., Petavius de Hierarch. Eccles. l. 3 c. 14 et seq. t. 6 p. 165 seq. ed. Ven. 1757, P. la Fontaine Constit. Unigenitus theol. prop. 3 col. 1139, Niccolius in lib. Les pretend. reformez convainc. de schisme, Bossuetius Histor. Variat. l. 15 n. 120 et seq., Jo. Baptista Faure Diss. advers. Richeristas in thesaur. theolog. t. 12 op. 4 p. 263 ed. Ven. 1763, Ballerinius de Potest. eccles. Sum Pont. et conc. gener. c. 1 §. 1 seqq. p. 1 seqq. ed. Augustæ Vindelic. 1770. Veith. peculiari libro, cui titulus Richerii systema confut., Zaccaria in Anti-Febron. t. 1 c. 4 Diss. 1 et Diss. 3 della Forza obbligatoria della disciplina.

(3) Magistratus, ac Principes ecclesiasticis censuris fuisse subjectos eodem modo, quo reliqui omnes subjiciebantur, late ostendit Binghamus *Orig. eccles.* l. 16 c. 3 §. 5 t. 7 p. 130 et seq. ed. cit. Præcipua ejus rei testimonia sunt in Concilio Eliberitano can 2, 5, 55, 56, t. 1 concil. col. 992 et 998 Collect. Labbæi; in Concilio Valentino II t. 6 col. 669; Arelatensi I. can 7 t. 1 col. 1451; apud Synesium Ep 58 p. 201 ed. Paris. 1633; Basilium ad Athanas. Ep. 61 p. 155 t. 3 ed. Paris. 1730; Ambrosium Ep. 40 n 17 ad Thod. opp. t. 6 p. 134 ed. Ven. 1781; Eusebium *Histor. eccles.* l. 6 c. 34, ibique Valesium in Not. p. 298 ed. Cantab; Jo. Chrysostomum *in S. Babylam, Contr. Julian. et gentil.* n. 6 opp. t. 2 p. 545 ed. Montfauconii Paris.; Paulinum in *Vit. Ambrosii* n. 19, opp. Ambrosii t. 7 p. 6 ed. cit., Theodoretum *Histor.* l. 5 c. 18 p. 1 ed. Cantabrig. Confer etiam *Acta Cleri Gallicani* t. 12 p. 10 et p. 569 seq. ed. Paris. 1740. Henricus, Hungariæ Rex, ab Innocentio III. P. petiit, atque impetravit, ut ejus consiliarii, et familiares, *nisi pro manifesta, et rationabili causa, et canonica monitione præmissa*, excommunicatione non afficerentur; sicuti patet ex ejus Ep. 511 l. 1 t. 1 p. 295 ed. Baluzii Paris. 1682. Quin etiam Galliarum Regibus à Romanis Pontificibus concessum est, ut in terra Regia, nemo sine speciali mandato Sedis Apostolicæ, excommunicationem, vel interdictum ferre posset; sicuti constat ex literis Philippi VI. an. 1335, apud de Lauriere t. 2 *Ordinat. Reg. Franc.* p. 103.

* Huc referri potest quod *Dict. Jur. Can.* sæpe citat. Matrit. edit. tom. 2 pag. 280 habetur: videlicet: « Los AA. galicanos, entre otros Durand de Maillane, dicen que, por un privilegio incontestable, los reyes de Francia no pueden ser escomulgados, ni sus magistrados en el ejercicio de las funciones de sus destinos. Sin embargo, la historia de los tiempos pasados desmiente este privilegio: y en nuestros dias, el Papa Pio VII, de inmortal memoria sin consideracion á estos privilegios, lanzó una bula de *escomunion* contra el mas poderoso y atrevido de los monarcas que ha tenido la Francia. La bula de escomunion dada por Pio VII contra Napoleon, publicada y fijada en Roma el dia 10 de junio de 1809, que principia: *Quum memoranda illa die*, es uno de los monumentos gloriosos, que acreditan los sagrados é incontestables derechos de la autoridad Pontificia.»

De gravi autem quæstione, de qua in præcedenti nota versatur Cl. Auctor, habenda præ oculis sunt, quæ celeb. opere *De Papa, lib. 2 cap. 8*, tradit comes Josephus de Maistre, quæque ex manusc. versione transcribimus, ita:

« Grande responsabilidad han echado sobre si esos escritores (franceses los mas), que cuestionan si el Sumo Pontifice tiene el derecho de escomulgar á los soberanos, y declaman en general contra el *escándalo de las escomuniones*. Los sabios han adoptado por mejor partido, dejar ciertas cuestiones en una saludable oscuridad; mas cuando son atacados los principios, á la misma sabiduría la es forzoso responder; y hay en ello un mal grave, bien que la imprudencia haya traido esa necesidad. Cuanto mas se profundiza en el conocimiento de las cosas, tanto mas clara se descubre la utilidad de no discutir, en especial por escrito, aquello que es imposible definir por leyes; dado que no cabe decidir sino el principio, y toda la dificultad consiste en la aplicacion, que no admite decision escrita.

« Fenelon dijo laconicamente, en una obra no destinada á la luz pública: « La Iglesia puede escomulgar al Príncipe; y el Príncipe puede dar muerte al »Pastor. Asi el uno como el otro no debe usar de su derecho, á no ser *en el »último estremo;* pero tal derecho es positivo.» (*Hist. de Fenelon*, t. 3 *piec. justif. du liv.* 7, *Mem.* n. 8, pag. 479).

« Hé aqui la verdad incontestable; pero ¿cuál es el último estremo? Es imposible definirle. Preciso es convenir en el principio, y callar sobre las reglas de aplicacion.

« Con justicia se ha censurado la exagerada doctrina de los que pretendian sustraer al órden sacerdotal de toda jurisdiccion temporal; con no menor justicia podremos censurar la doctrina contraria, que intenta sustraer al poder temporal de toda jurisdiccion espiritual.»

Quod vero excommunicationem spectat à Pio VII latam an. 1809, cujus nuper citato loco meminit presb. Andrè, animadvertere oportet, non prius à Ven. Pont. in lucem missas fuisse Literas, queis continebatur, quam præliator, qui Galliæ solium occupabat, Sanctitatis Suæ à temporali Rom. Stat. dominio destitutionem pronuntiasset. Nec tamen illo decreto Pius VII specialiter invasorem nominat. Par fuit S. N. D. Papæ regnanti Pio IX rerum conditio, quum an. 1848 Cajetam confugere compulsus fuit. Utrumque, tali in casu, temporalem Romæ Principatum censuris defendentem, nonnisi vere *in extremis*, juxta comitis de Maistre phrasim, egisse, affirmare absque difficultate possumus.»

(4) Marsilius Patavinus in Defensor. Pacis sæculo XIV. aliquem excommunicare, atque à Divinis officiis arcere, sine *fidelis Legislatoris*, hoc est, sine Principis auctoritate, nulli Episcopo, aut Sacerdoti, vel eorum collegio licere existimavit. Quotquot sunt Protestantes, qui vel Anglicano schismati adhærent, vel Principi in sacra jus omne tribuunt, vel Ecclesiam collegium

merum esse arbitrantur, et ceteri, qui ei cogentem potestatem adimunt, quique supra descripti sunt, Marsilii errorem sequuntur. Sed antea etiam Petrus de Corbaria Anti-Papa, aliique, quorum meminit Joannes XXII. in Extravag *Dudum ad audientium* apud S. Antoninum 4 2 Theol. tit. 11 c. 7 §. 5, asseruerunt, omnem jurisdictionem, quam Prælati habent, majorem, quam alii, ab Imperatore procedere, quod est à Principe etiam jus excommunicationis repetere. Idem est error Valdensium, Wicleffi, Joannis Hussi, Lutheri, Calvini, Melanctonis, Van-Espenius de Censur. c. 2 §. 5 laici Principis in judicio censurarum auctoritatem tuetur. Auctor anonymus opusculi, cui titulus La Chiesa e la Repubblica dentro i loro limiti, Principes jus habere contendit cognoscendi justitiam, aut injustitiam excommunicationis, idemque sentiunt Manettus, Continius Auctor libri Riflessioni sulla Bolla Cœnæ. Pereira Dottrina dell' antica Chiesa intorno la suprema potestà de Re. Antonius Genovesius, de Jure et offic. c. 8 §. 58, *in externis actionibus, quæ is divina jura propagantur, et in Republica administrantur, Sacerdotium imperio civili subjectum* putat. His præiverunt Paulus Sarpius, Fevretus, Simon Vigorius, Du-Pinius, Giannonius, ceteris similes. Sed horum deliramenta late refutarunt M. Antonius Capellus Minorita in lib Bononiæ edito an. 1610. Advers. præt. primat. Reg. Angliæ c. 13 et seq., Altaserra Eccles jurisdict. vindic advers. Fevretum, Bianchius Adversus Giannonium t. 4 p. 608 et seq., Duvalius de Supr. Pontif. in Eccles. potest. in Bibliot. Pontif. Rocaberti t. 3 p. 405 et seq., Franciscus Antonius de Simeonibus de Rom. Pontif. judiciar. potest. t. 2 c. 21, de Marca, in libello, quem an. 1646 Barcinone edidit, atque iterum impressit Baluzius in *prolegomenis* ad opus *de Concord. Sacerdot., et Imper.*, Cardinalis Tencin Arch. Ebredunensis Mandement. contre le memoire des MM. les 40 Avocats de Paris pour le Sieur Samson p. 17. Auctor tractatus de la Jurisdiction ecclesiastique in t. 6. Actor. Cleri Gallicani, Archiepiscopus Parisiensis Beaumont in Celebr. Instruction. an. 1756. *De l' autorité de l' Eglise*, Auctor operis *Des deux Puissances*, virique clarissimi Gerbertus princ. Theol. can. sect. 1 de Jur. Sacr. p. 22 seq. et c. 3 sect. 2 §. 65 et seq. Princip. Theolog exerg., Zaccaria de Disciplin. diss. 2 et 3, et Anti Febron. vindic. Diss. 12 c. 1, Mamachius ad Febron. Ep. 1 §. 19 t. 1 p. 501 et seq. Sane Christus non Principibus, sed solis Apostolis, atque in primis Petro tribuit excommunicandi potestatem, quæ in potestate ligandi fundata est, eam ab uno Christo Paulus repetit, eaque semper Ecclesia usa est jure suo, neque ullæ unquam in eo negotio partes laici Principis fuerunt. Sunt autem prope innumera testimonia Patrum, qui laicos Principes in res omnes ecclesiasticas imperium aliquod, et auctoritatem habere negant; atque hi, præter ceteros, sunt Athanasius Histor. Arianor. ad Monach. n. 11 p. 277 n. 14 et 15 p. 278 n. 17 p. 279 n. 33 p. 287 et n. 52 p. 297 opp. t. 1 ed. Patavii 1777, Osius Cordubensis apud Athanasium ib. n. 44 p. 292, Lucifer Calaritanus l. 1 pro Athanas. p. 61 ed. Ven. 1778, Hilarius Pictaviensis l. 1 ad Constant n. 1 t. 1 col. 535 ed. Veronæ 1730, Liberius Papa apud Athanasium Histor. Arian. n. 36 p. 288, et apud Constantium Ep. Rom. Pontif. col 451 et seq., Basilius M. Ep 225 p. 344 t. 3 ed. Paris. 1730, Gregorius Nazianz. Orat 17 opp. t. 1 p 271 ed. Coloniæ 1690, Gregorius Nyssenus opp. t. 3 p. 306 ed. Paris. an. 165., Ambrosius Ep. 20 n. 19 p. 48 et Ep. 21 ad Valentinian. p. 52 opp. t. 6 ed. Ven. 1781 et Serm. contr. Auxent. n. 5 p. 36, et n. 39 et seq. p. 62 et n. 36 p. 65 t. 6, Martinus Turonensis apud Sulpitium Severum l. 2 Histor. eccles. p. 318 t. 6 Biblioth. PP. ed. Lugd. 1677, Hieronymus in Isaiam c. 17 v. 10 opp. t. 4 col. 725. ed. Vallarsii Veron. et Ep. 11 ad Heliodor. n. 8 col. 33 t. 1, Joannes Chrysostomus Hom. 3 ad

Pop. Antiochen. p. 38 t. 2 opp. ed. Paris. 1718 l. 5 de Sacerd. c. 14 p. 390 t. 1 et Ep. ad Episc. et Presbyteros detrusos in carcer. t. 3 p. 226 et Ep. ad Innocentium I. P. p. 5, 7 t. eod., Optatus Milevitanus de Schism. Donatis. n. 15 p. 14 ed. Antuerp. 1702, Augustinus Ep. 43 ad Glorium et Eleusium n. 20 col. 97 op. t. 2 ed. Maurin. Ven. 1729, Isidorus Pelusiotes l. 3 Ep. 249 p. 259 ed. Ven. 1745, Gelasius P. Ep. ad Anastas. Imp. apud Labbæum t. 5 conc. col. 308, Felix III. P. Ep. ad Zenonem Imp. apud eumdem ib. col. 147, Joannes Damascenus de Imag or. 2 § 16 opp. t. 1 p. 339 ed. Le-Quienii Paris. 1712 Idem quoque agnoverunt, ad diserte confessi sunt pii Imperatores Constantinus post habitum Concilium Arelatense (vide Augustinum cit. Ep. 43), Theodosius Ep. ad Synod. Ephesin. an. 431. Par. 1 c. 55 ejusd. Conc. apud Labbæum t. 3 conc. col 990 ed. cit., et Valentinianus apud Sozomenum Hist. l. 6 c. 7 p. 227 ed. Cantabrig., et Ambrosium Ep. 21 ad Valentinian. opp. t. 6 p. 52 ed. Ven. 1781. Vide etiam Concilium Tridentinum sess. 25 c. 3 de Reform.

13. Excommunicatio tantum fertur in Christianos, quoniam ex Eccclesia expelli non possunt infideles, qui jam extra Ecclesiam sunt (1); et vero fertur à legitima Potestate in eos, qui sibi subjecti sunt. Quare excommunicatio Episcopi illos afficit (2), qui in ejus diœcesi sunt, excommunicatio Summi Pontificis omnes obstringit, quotquot Ecclesiæ in orbe Christiano subsunt, quoniam ejus potestas et jurisdictio complectitur Ecclesiam universam. Parere autem excommunicationi, etiam injustæ, quæ tamen à legitima Potestate lata sit, Christiani omnes debent (3); quoniam subjectorum est obedire legibus, quæ à Præpositis feruntur, neque ipsis de earum justitia agere judicium licet.

(1) *Quid mihi de his, qui foris sunt, judicare?* Inquit Apostolus I. ad Corinth. V. 12.

(2) Ad Episcopos, qui sunt Apostolorum successores, pertinet jus excommunicandi. Præclare S. Thomas in 4 Sent. dist. 18 qu. 2 art. 2 quæstiunc. 1, « In foro conscientiæ, inquit, causa agitur inter hominem, et Deum; in foro autem exterioris judicii causa agitur hominis ad hominem, et ideo absolutio, vel ligatio, quæ unum hominem obligat quoad Deum, tantum pertinet ad forum pœnitentiæ. Sed illa, quæ hominem obligat in comparatione ad alios homines, ad forum publicum exterioris judicii pertinet; et quia per excommunicationem homo à communione fidelium separatur, ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet, et illi solum possunt excommunicare, qui habent jurisdictionem in foro judiciali, et propter hoc soli Episcopi propria auctoritate, majores Prælati possunt excommunicare, non Presbyteri Parochiales » Hinc in can 1 c. 16 qu. 2 excommunicatio *Mucro Episcopi* appellatur Paulus Mengonius dissertatione Florentiæ edita an. 1752 de *Eminentiori Parochorum dignitate supra canonicos*, nixus Decretali Alexandri III, in c. 3 de Offic. judic. ordin., demonstrare conatur, etiam Parochos ordinariam in foro externo jurisdictionem habere, eosque idcirco ferre excommunicationem posse. Sed eum refutavit Jo. Dominicus Larius alia dissertatione Pisis edita ann. 1755. Revera Parochos ea potestate carere, inter omnes constat, idque, præter ceteros, late ostendit Gonzalez in cit. c. 3 n. 2. Illa

autem Alexandri constitutio, qua Mengonius nititur, pertinet ad Parochum, qui non ordinario, sed extraordinario jure, videlicet ex peculiari privilegio, aut ex præscripta consuetudine, vel ex alio simili jure excommunicationem inflixerat.

(3) S. Gregorius M. Hom. 26 in Evang. S. Joann. n. 6 opp. t. 1 col. 1556 ed. Paris. 1075, « Is autem, inquit, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel juste, vel injuste, nec Pastoris sui judicium temere reprehendat, ne etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat. » Confer etiam S. Augustinum *de Baptismo Contr. Donatist.* l. 1 c. 17 opp. t. 9 col. 95 ed. Ven. 1755, Nicolaum I. P. ad Episc. et Cleric. Patriach. Constantinop. Ep. 10 n. 6 apud Labbæum t. 9 concil. col. 1381, et Concilium Quintilineburgense an. 1085 can. 1 apud eumdem t. 12 col. 651. Id vero est intelligendum de excommunicatione, quæ evidenter injusta non sit. Nam excommunicatione, quam injustam esse manifesto constat, neque in interno, neque in externo foro aliquem obstringi, fere omnes sentiunt, ut ostendit Fagnanus in c. 11 de Solut. n. 10 et seq. Sed Quesnellus Prop. c. 1, 92, 93, generatim statuit, omnem injustam excommunicationem non esse metuendam, quoniam per eam ab Ecclesia non eximus, sed potius est imitari S. Paulum et Jesus sanat vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato. Petrus de Marca Concord. Sacerd. et Imper. l. 1 c. 3 §. 6 et 7, crimina ecclesiastica, ac sæcularia distinguit, et pro his postremis nonnisi injuste, et illegitime censuras infligi posse contendit. Doctrinam hanc, quam pridem Jo. Parisiensis, Gersonius, et quidam alii tradiderant, arripuit Giannonius à Bianchio notatus, et arripuit etiam Pereira in libro Doctrina della Chiesa etc. Continius, Auctor libri *Riflexioni sulla Bolla Cœnæ*, excommunicationem tantum propter hæresim, morumque doctrinam ferri posse asseverat, planeque despicit censuras, quæ propter disciplinam in causis temporalibus, aut mixtis infliguntur. In idem fere recidit sententia Febronii c. 9 §. 7 n. 8 de Stat. Eccles., et Auctoris libri La Chiesa é la Repubblica dentro i loro limiti p. 127. Adversus hos omnes copiose, accurateque scripserunt Paulus à Lugduno Anti-Exap prop. 91 et seq. t. 2, Viva Thes. Quesnell. prop. cit., Fontana Const. *Unigenit.* theolog. prop. t. 3 et 4 cit. prop., Languetius Prem. Avertissem. aux Appellan. an. 1718 n. 15, Bianchius in Giannonium t. 2 l. 6 §. 3 n. 5. p. 411, Cl. Zaccaria Diss. 3 della Forza obbligatoria della disciplina p. 279, et Anti-Febron. t. 3 Diss. 3 c. 2. Videndæ sunt etiam les Conferences de Luzon Conf. 19 qu. 3 p. 333 et seq. t. 7. Sane Christus, qui *Ecclesiam non audierit, tamquam ethnicum, et publicanum* haberi voluit: et hoc quidem loco habere potestatem etiam Ecclesiam constituendi disciplinam, inter Catholicos omnes constat. Paulus I ad Corint. V. 5, excommunicavit incestum Corinthium propter publicum scandalum, quod ad disciplinam pertinet. Sunt autem prope innumera ex antiquitate ecclesiastica monumenta excommunicationum, quæ propter disciplinam in rebus temporalibus, aut mixtis inflictæ sunt. Seligam S. Leonem M. Ep. 4 t. 1. col. 616 ed. Ballerin. Ven., cujus hæc verba sunt: « Hoc itaque admonitio nostra denunciat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, à suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. » Patres Concilii Arelatensis an. 314 contra Donatistas habiti can. 7 t. 1 Concil. col. 1451 Collect. Labbæi, « de Præsidibus, inquiunt, qui fideles ad Præsidatum prosiliunt, placuit, ut cum promoti fuerint, literas accipiant ecclesiasticas communicatorias, ita tamen, ut in quibuscumque locis gesserint, ab Episcopo ejusdem loci cura de illis

agatur, et cum cœperint contra disciplinam agere, tum demum à communione excludantur. » Similiter adversus eos, qui violarent disciplinam in rebus temporalibus, aut mixtis, statuta est excommunicatio à Concilio Carthaginensi IV. c. 93 t. 2 concil. col. 1444 Collect. ejusd., à Concilio Aurelianensi III. Can. 22 et 23 t. 5 col. 1230, à Concilio Arvernensi an. 535 can. 15 t. 5 col. 952, Matisconensi II. anni 585 can. 5 t. 6 col. 675, à Concilio Trullano seu Quini-Sexto can. 69, 71, 74, 96 t. 7 col. 1379 et seq., Constantinopolitano IV. Œcumenico can. 17 t. 10 col. 644 ed. Ven.

14. Quando autem excommunicatio gravissima est inter pœnas ecclesiasticas, nonnisi ob grande crimen irrogari debet; cum nihil pejus Christiano homini possit accidere, quam ab Ecclesia separari, eique interdici sacris, atque aditu, congressuque orthodoxorum. Hinc cum ferenda est excommunicatio, primum expendere oportet genus criminis, ut noscatur, num illud tam gravi pœna sit dignum (1); deinde monendus est criminosus, ut se colligat, atque à pravo instituto removeatur (2). Quæ monitio bis, ac tertio repetitur, eaque *competens* et *canonica* appellatur (3), quoniam ex ea satis constat criminosum in peccatis obfirmato animo hærere.

(1) Can. 41, 42, 43 c. 11 qu. 3. Vide etiam Augustinum de Fid. et oper. c. 19 et 26 opp. t. 11 col. 559 et 563 ed. Ven. 1767, et S. Leonem M. Ep. 10 c. 8 opp. t. 1 col. 640 ed. Ballerin. Ven. 1755.

(N. S. Item Collect. Tarracon. Lib. V Tit. 17 *de Sent. Excomm.* cap. 41: « Quum in Ecclesia Dei non sit major pœna, excommunicationis sententia, caveant Ordinarii, et alii quibus competit, ne illam passim proferant.... ne tam gravis pœna pro levibus delictis prolata, in diès vilescat. » Consonat Tolet. an. 1582. Act. 3 Decr. 4.

Præter mortale peccatum, illudque enorme, gravis quoque requiritur causa, ut excommunicationis sententia legitime simul, et prudenter infligatur. Neque enim, nisi ubi vulneri medela frustra aliunde petita sit, spiritualis excommunicationis gladius est adnibendus. Ad rem S. Ambrosius lib. 1 Offic. cap. 27: « Cum dolore enim amputatur etiam quæ putruit pars corporis, et diu tractatur, si possit sanari medicamentis; si non possit, tunc à medico bono abscinditur. Sic Episcopi affectus boni est, ut optet sanare infirmos, serpentia auferre ulcera, obducere aliqua, non abscindere, postremo quod sanari non potest, cum dolore abscindere. » Eadem habet S. Leo M. Epist. 95.

Hinc 1 in Universitatem, vel Collegium excommunicationis sententia proferenda non est, *quum nonnunquam* contingat *innoxios hujusmodi sententia irretiri; sed in illos dumtaxat de Collegio, vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit*: Concil. Lugdun. in Cap. 5 §. *ult. de Sent. Excomm. in* 6.

2. Ubi universa quædam multitudo deliquerit, licet crimen sit enorme, plerumque tamen satius est ab vibrando excommunicationis gladio abstinere. Episcopis cavendum quam quod maxime, ne per excommunicationem eradicando zizania, eradicent simul et triticum, pluribus demonstrat Augustinus lib. 3 *contra Parmenianum* cap. 2.

3. Ubi gravia, ac publica timeantur mala, ab distringendo anathematis mucrone aliquantum temperare, omnis œconomiæ ratio postulare videtur. Ad rem S. Augustinus ibid. « Quum anathematis quis dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est.... Quando ita cujusque crimen notum est, et omnibus exsecrabile adparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ. » Unde Constantium, et Valentem Arianos, Arianorumque fautores, et Catholicis infestos, publico judicio anathematizandos, et ingressu Ecclesiæ privandos, nunquam censuerunt veteres illi SS. Ecclesiæ Episcopi, quod inde gravia in Ecclesiam mala imminere perspexerant.

4. In causis judicialibus æque civilibus, ac criminalibus, ubi executio realis, vel personalis haberi potest, tam in procedendo, quam in definiendo, ab censuris Ecclesiasticis abstinendum, præscribit Synod. Trident. Sess. 24 *Ref.* Cap. 3).

(2) Concilium Tridentinum sess. 25 c. 3 de Reform., Can. 42 c. 111 qu. 3,
(3) Cap. 48 de Sentent. excomm., c. 5 eod. in 6.

15. Synodus Lugdunensis, quæ habita est Gregorio X. Pontifice, judicibus sive tres admonitiones, sive unam pro omnibus adhibere permisit; verum una hæc admonitio instar omnium est; nam aliquot dierum intervalla sunt observanda, antequam sententia feratur, nisi aliud necesitas fieri jubeat (1). Tridentina Synodus (2), ut coerceret arbitrium judicum, qui etiam non admonitos excommunicabant, duas saltem monitiones emittendas statuit, antequam ea pœna irrogetur.

(1) Cap. 9 eod. in 6.
(2) Concilium Tridentinum loc. cit.

16. Excommunicatus à suo Episcopo ab alio absolvi nequit (1), excepto Summo Pontifice, qui ab aliis inflictam excommunicationem, ex ampla, quam habet in tota Ecclesia, jurisdictione, removere potest (2). Lata vera ab una Ecclesia excommunicationis sententia, in aliis quoque servanda est (3). Nam ea pœna territorio non circumscribitur, sed criminosum sequitur, quocunque ipse venerit (4); ac præterea mutuum fœdus, et conjunctio Ecclesiarum ita postulat, ut ab aliis quoque Ecclesiis ratæ firmæ habeantur pœnæ, quas una Ecclesia in sontes constituit. Hinc mos inolevit, ut Ecclesiæ per literas encyclicas certiores facerent ceteras Ecclesias de iis, quos communione prohibuerant (5); neque alia nunc disciplina est (6).

(1) Can. 2 c. 11 qu. 3. Concilium Carthaginense II. c. 7 apud Labbæum t. 2 concil. col. 192 ed. Ven., Lugdunense II. can. 4 t. 6 col. 550, Ivo Carnotensis Ep. 76 opp. par. 2 p. 58 ed. Paris. 1647. Vide Fagnanum in c. 12 de Pœniten. et remiss. n. 80.

(2) Confer S. Leonem M. Ep. 52 opp. t. 1 col. 859 et seq. ed. Ballerin. Ven. 1755. Mitto reliqua exempla, quorum ecclesiasticæ historiæ plenæ sunt.
(3) Cap. 1 *de Tregua et pace* Consule præterea Canones Apostolorum 10 et 25 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 445 et 446 ed. Amstelæd., Concilium Eliberitanum can. 55 t. 1 concil. collect. Labbæi col. 998, Arelatense I. can. 16 ib. col. 1452, Nicænum can. 5 t. 2 ib. col. 65, Antiochenum can. 6 eod. t. 2 col. 537 ib., Sardicense Can. 15 eod. t. 2 col. 637, Cesaraugustanum can. 5 t. 2 col. 1196, Milevitanum can. 18 t. 3 col. 384.
(4) Adi-sis Fagnanum in c. 1 *de Tregua et pace* n. 6 et 7.
(5) Can. 20 c. 11 qu. 3. Vide etiam S. Cyprianum Ep. 59 col. 56 *ad Cornelium* p. 259 ed. Amstelæd. 1700, S. Augustinus Ep. 255 al. 74. *ad Deuterium* opp. t. 2 col. 848 ed. cit., Socratem Histor. l. 1 c. 6 p. 10 ed. Cantabrig., Concilium Toletanum I. can. 11 t. 2 concil. col. 1472 collect. cit.
(6) Consule Pontificale Romanum. tit. 17 par. 3 §. 12 p. 181 ed. Catalani Romæ.

TITULUS XIX.

DE INTERDICTO.

1. INTERDICTUM LOCALE, PERSONALE, MIXTUM —2. GENERALE VEL PARTICULARE.—3. QUOD GENERALE, QUOD PARTICULARE SIT.—4. ET 5. GENERALIS INTERDICTI MODUS.—6. IN QUOS FERATUR INTERDICTUM?—7. PŒNÆ EORUM, QUI INTERDICTUM VIOLANT.—8. CESSATIO A DIVINIS.

1.

Interdictum est censura, qua quibusdam locis, aut personis Divinis officiis, Sacramentis, atque usu ecclesiasticæ sepulturæ interdicitur. Est autem vel locale, quod locum ipsum afficit, ita ut eo quidem loco abstinere se quisquis debeat à divinis officiis, à Sacramentis, ab usu Ecclesiasticæ sepulturæ, non item cum non amplius in eo loco versatur; vel personale, quod personam attingit, et quocumque eat persona, eamdem sequitur; vel mixtum, quod et locum, et personam comprehendit.

2. Est item tum locale, tum personale interdictum, generale, vel particulare. Locale interdictum generale est, quod ad integram nationem, regnum, provinciam, civitatem, diœcesim pertinet. De utroque hoc interdicto notandum est, quod interdicta civitate, etiam *suburbia, et continentia ædificia*, interdicta Ecclesia, etiam *Capellæ, et Cœmeterium Ecclesiæ contigua* interdicta censentur (1).

(1) Cap. 10 et 17 de Sentent. excomm. in 6.

3. Personale interdictum generale fertur vel in totum Cle-

3. Ubi gravia, ac publica timeantur mala, ab distringendo anathematis mucrone aliquantum temperare, omnis œconomiæ ratio postulare videtur. Ad rem S. Augustinus ibid. « Quum anathematis quis dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est.... Quando ita cujusque crimen notum est, et omnibus exsecrabile adparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ. » Unde Constantium, et Valentem Arianos, Arianorumque fautores, et Catholicis infestos, publico judicio anathematizandos, et ingressu Ecclesiæ privandos, nunquam censuerunt veteres illi SS. Ecclesiæ Episcopi, quod inde gravia in Ecclesiam mala imminere perspexerant.

4. In causis judicialibus æque civilibus, ac criminalibus, ubi executio realis, vel personalis haberi potest, tam in procedendo, quam in definiendo, ab censuris Ecclesiasticis abstinendum, præscribit Synod. Trident. Sess. 24 *Ref.* Cap. 3).

(2) Concilium Tridentinum sess. 25 c. 3 de Reform., Can. 42 c. 111 qu. 3,
(3) Cap. 48 de Sentent. excomm., c. 5 eod. in 6.

15. Synodus Lugdunensis, quæ habita est Gregorio X. Pontifice, judicibus sive tres admonitiones, sive unam pro omnibus adhibere permisit; verum una hæc admonitio instar omnium est; nam aliquot dierum intervalla sunt observanda, antequam sententia feratur, nisi aliud necesitas fieri jubeat (1). Tridentina Synodus (2), ut coerceret arbitrium judicum, qui etiam non admonitos excommunicabant, duas saltem monitiones emittendas statuit, antequam ea pœna irrogetur.

(1) Cap. 9 eod. in 6.
(2) Concilium Tridentinum loc. cit.

16. Excommunicatus à suo Episcopo ab alio absolvi nequit (1), excepto Summo Pontifice, qui ab aliis inflictam excommunicationem, ex ampla, quam habet in tota Ecclesia, jurisdictione, removere potest (2). Lata vera ab una Ecclesia excommunicationis sententia, in aliis quoque servanda est (3). Nam ea pœna territorio non circumscribitur, sed criminosum sequitur, quocunque ipse venerit (4); ac præterea mutuum fœdus, et conjunctio Ecclesiarum ita postulat, ut ab aliis quoque Ecclesiis ratæ firmæ habeantur pœnæ, quas una Ecclesia in sontes constituit. Hinc mos inolevit, ut Ecclesiæ per literas encyclicas certiores facerent ceteras Ecclesias de iis, quos communione prohibuerant (5); neque alia nunc disciplina est (6).

(1) Can. 2 c. 11 qu. 3. Concilium Carthaginense II. c. 7 apud Labbæum t. 2 concil. col. 192 ed. Ven., Lugdunense II. can. 4 t. 6 col. 550, Ivo Carnotensis Ep. 76 opp. par. 2 p. 58 ed. Paris. 1647. Vide Fagnanum in c. 12 de Pœniten. et remiss. n. 80.

(2) Confer S. Leonem M. Ep. 52 opp. t. 1 col. 859 et seq. ed. Ballerin. Ven. 1755. Mitto reliqua exempla, quorum ecclesiasticæ historiæ plenæ sunt.
(3) Cap. 1 *de Tregua et pace* Consule præterea Canones Apostolorum 10 et 25 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 445 et 446 ed. Amstelæd., Concilium Eliberitanum can. 55 t. 1 concil. collect. Labbæi col. 998, Arelatense I. can. 16 ib. col. 1452, Nicænum can. 5 t. 2 ib. col. 65, Antiochenum can. 6 eod. t. 2 col. 537 ib., Sardicense Can. 15 eod. t. 2 col. 637, Cesaraugustanum can. 5 t. 2 col. 1196, Milevitanum can. 18 t. 3 col. 384.
(4) Adi-sis Fagnanum in c. 1 *de Tregua et pace* n. 6 et 7.
(5) Can. 20 c. 11 qu. 3. Vide etiam S. Cyprianum Ep. 59 col. 56 *ad Cornelium* p. 259 ed. Amstelæd. 1700, S. Augustinus Ep. 255 al. 74. *ad Deuterium* opp. t. 2 col. 848 ed. cit., Socratem Histor. l. 1 c. 6 p. 10 ed. Cantabrig., Concilium Toletanum I. can. 11 t. 2 concil. col. 1472 collect. cit.
(6) Consule Pontificale Romanum. tit. 17 par. 3 §. 12 p. 181 ed. Catalani Romæ.

TITULUS XIX.

DE INTERDICTO.

1. INTERDICTUM LOCALE, PERSONALE, MIXTUM —2. GENERALE VEL PARTICULARE.—3. QUOD GENERALE, QUOD PARTICULARE SIT.—4. ET 5. GENERALIS INTERDICTI MODUS.—6. IN QUOS FERATUR INTERDICTUM?—7. PŒNÆ EORUM, QUI INTERDICTUM VIOLANT.—8. CESSATIO A DIVINIS.

1.

Interdictum est censura, qua quibusdam locis, aut personis Divinis officiis, Sacramentis, atque usu ecclesiasticæ sepulturæ interdicitur. Est autem vel locale, quod locum ipsum afficit, ita ut eo quidem loco abstinere se quisquis debeat à divinis officiis, à Sacramentis, ab usu Ecclesiasticæ sepulturæ, non item cum non amplius in eo loco versatur; vel personale, quod personam attingit, et quocumque eat persona, eamdem sequitur; vel mixtum, quod et locum, et personam comprehendit.

2. Est item tum locale, tum personale interdictum, generale, vel particulare. Locale interdictum generale est, quod ad integram nationem, regnum, provinciam, civitatem, diœcesim pertinet. De utroque hoc interdicto notandum est, quod interdicta civitate, etiam *suburbia, et continentia ædificia*, interdicta Ecclesia, etiam *Capellæ, et Cœmeterium Ecclesiæ contigua* interdicta censentur (1).

(1) Cap. 10 et 17 de Sentent. excomm. in 6.

3. Personale interdictum generale fertur vel in totum Cle-

rum, quo nomine reliquus populus minime continetur, vel in populum, et hoc quidem interdicti genus non comprehendit clerum, nisi aliud cautum nominatim sit (1). Particulare autem personale interdictum certos obstringit homines nominatim expressos, ceteros non obstringit. Generalium interdictorum non recens, ut quidam putant (2), ratio, institutioque est. Nam antiquissima ætate interdicto quandoque subjecta constat universa collegia, et civitates, et provincias, et regna ipsa, ob atrox aliquod Regum, et magistratuum facinus, ut populus, interdicti tedio victus, suo luctu, et querelis Principem ad officium revocaret (3).

(1) Cap. 16 de Sentent. excom. in 6.

(2) Rousselius lib. 8 Pontif. jurisd. c. 1 n. 31, nondum constare inquit, quonam tempore generalis interdicti usus invaluerit. Morinus l. 2 Exercit. c. ult. à sæculo X ejus initium repetit; eademque est sententia Van-Espenii Jus Eccl. univers. par. 3 tit. 11 c. 9 §. 19. Claudius Fleuryus Inst. Canon. par. 3 c. 21 § 2, primum generalis interdicti exemplum se deprehendisse inquit sæculo VI., sed tamen generales excommunicationes, et interdicta tantum post S. Gregorium VII. invaluisse. Binghamus Orig. Eccles. l. 16 c. 3 §. 7 p. 156 et seq. t. 7 ed. cit. multis exagitat generalia interdicta, neque alia est sententia Cavallarii Inst. Canonic. par. 3 c. 36 § 4 et 5. Continuus Auctor delle Riflessioni sulla Bolla Cœnæ p. 18, interdictum vocat, Nuovo metodo di scomuniche, che per mille anni era stato ignoto nella Chiesa. Ante hos Apostata M. Antonius de Dominis de Republ. l. 5 c. 9 n. 38, et Paulus Sarpius in Tract. sept. Theolog. Ven., et peculiari opere dell' Interdetto, multa contra generale præsertim, ac locale interdictum scripserunt. Graviter tamen, ac solide contra hostes interdicti disserunt Bellarminus Risposta al trattato dei sette teologi di Venezia sopra l' interdetto di N. S. P. Paolo V., Rutilius Benzonius de Justit. Pontific. interdict., Baronius Parænæs. ad Rempubl. Ven., Fagnanus de Justit. et validit. censur. Pauli V. Videndi sunt etiam Auctor operis: «Conferences Ecclesiastiques d' Angers pour l' anné 1712» t. 1 p. 524, et Cl. Zaccaria Diss. 3 «della Forza obbligatoria della disciplina» num. 37.

(3) Generalis interdicti satis clarum exemplum est in Canone 29 Apostolorum apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 447 ed. cit., cujus hæc verba sunt: «Si quis ordinatus Episcopus, administrationem, et curam populi sibi traditam non susceperit, hic sit segregatus.... Sin vero profectus Episcopus non recipiatur, sed propter populi malitiam, ipse quidem sit Episcopus, Clerus vero civitatis segregetur, quia ejusmodi populi contumacis non fuerunt correptores.» Habes hic generale interdictum in totum clerum constitutum. Etiam Basilius Ep. 270 opp. t. 3 p. 417 ed. Paris. 1730, integrum pagum, quod raptorem cum rapta puella susceperat, neque eam restituerat, interdicto subjecit. Generalis quoque interdicti exempla sunt apud S. Gregorium Turonensem Histor. Franc. l. 8 c. 31 col. 404 ed. Paris. 1699, et in Concilio Agathensi an. 506, cujus decretum extat in c. 2 de Purgat. canonic., ubi *populus banno Christianitatis constrictus* memoratur. Nam *bannus Christianitatis* eo loco est interdictum, quod in can. 6. Synodi Confluentinæ dici-

tur *bannus Dei*, et in concilio Tiburiensi can. 8, *bannus Episcopalis*. Confer Gonzalezium in cit. c. 2, et Cironium Observat. jur. canon. l. 1 c. 16. Recentiori ætate generalia interdicta occurrunt in Constitutionibus Synodalibus Gualterii Archiepiscopi Senonensis, quæ editæ sunt an. 828, ubi interdictum comprehenditur his verbis: *antiquum statutum Concilii provincialis renovantes*: Harduinus t. 6 concil. par. 1 col. 566; item apud Muratorium Annali d' Italia an. 872 t. 5 par. 1. p. 155 ed. Romæ 1752, qui narrat Hadrianum II. P., Neapolitanam Civitatem interdicto obnoxiam fecisse, apud Hincmarum Remensem Ep. 30. 31, 32 opp. t. 1 p. 591 et seq. ed. Paris. 1645, qui interdictum memorat initio sæculi IX. ad Hincmaro Laudunensi latum adversus Ecclesiam suam, apud Nicolaum II. Ep. 3 in Histor. Franc. Duchesnii t. 4 p. 1199 ed. Paris. 1741, in Concilio Lemovicensi II. Sess. 2 t. 11 concil. collect. Labbæi col. 1244 ed. Ven., apud Ivonem Carnotensem Ep. 50, 121 et 264 opp. t. 2 p. 23, 54, 115 ed. Paris. 1647, apud S. Gregorium VII. l. 1 Ep. 81 et l. 2 Ep. 5 t. 12 concil. ejusd. collect. Labbæi col. 294 et 302, apud Alexandrum III. in c. 11 de Sponsal., et in c. 22 de Offic. et potest. jud. deleg., in Chronico Mauriniacensi l. 3 apud eumdem Duchesnium Histor. Franc. t. 4 p. 387. Qui minus probant generalia interdicta, laudant S. Augustinum Ep. 250 *ad Auxilium* opp. t. 2 col. 878 ed. cit., qui reprehendit Auxilium juvenem Episcopum, quod inconsulto, ob Classicani peccatum, totam ejus domum anathemati subjecerat. Sunt autem hæc Augustini verba: «Audisti fortasse aliquos magni nominis sacerdotes quemquam cum domo sua anathematizasse peccantium. Sed forte si essent interrogati, reperirentur idoneam reddere inde rationem. Ego autem, quoniam si quis ex me quærat, utrum recte fiat, quid ei respondeam, non invenio; numquam hoc facere ausus sum de quorumdam facinoribus unanimiter adversus Ecclesiam perpetratis, nisi gravissime commoverer.... Quomodo vel Deo, vel hominibus justam possumus reddere rationem, si animas innocentes pro scelere alieno spirituali, supplicio puniamus?» Quibus quidem verbis non negat Augustinus, quandoque *magni nominis* Episcopos ob crimen pa risfamilias totam ejus domum anathemati subjecisse, idque eos fecisse justis de causis, adeout *idoneam* reddere sui facti rationem possent; quamquam ipse nunquam eorum exempla sequutus fuerit. Ergo ex hoc Augustini testimonio manifestum est ea ætate generalia interdicta adhiberi; et vero justis de causis, ab egregiis Episcopis adhiberi consuevisse. Damnat deinceps ipse Augustinus abusum generalis anathematis, quo parvulis etiam domus excommunicatæ baptismus, aliisque innocentibus sacra mysteria cum æternæ salutis periculo adimebantur; sed non item damnat minores censuras, et interdicta sacrorum, quamquam generalia, cum nimirum publica ratio ea postularet, ad contaminatæ domus, aut gentis flagitia coercenda, vel spes ad meliorem frugem revocandi principes familiarum peccantes, productis pœnis ad filios, et subditos, sive ii criminis essent participes, sive flagitio implicati non essent. Sane quæ Augustinus dicit, ad generalis tantum anathematis abusum pertinent. Species quædam generalis interdicti continetur in can. 8 c. 17 qu. 4, quem canonem Gratianus tribuit Augustino Ep. 187 ad Bonifac. Verum hæc epistola Augustini revera non est, eamque idcirco post Erasmum, et Lovanienses Theologos repudiarunt PP. Maurini, atque inter spuria Augustini opera descripserunt in Append. Ep. 6 t. 16 opp. col. 157 ed. Ven. 1768. At enim per generale interdictum etiam qui criminis rei non sunt, pœnam perferre coguntur. Principio novum, atque insolens non est, quod pro alicujus crimine tota familia puniatur, quod multis ex Sacris Literis petitis exemplis, ostendit Gratianus initio qu. 3 caus. 24, et in L. 5 cod. ad L. Jul. Majest. etiam filii pro

patris scelere pœna afficiuntur. Confer etiam Herodotum l. 3 c. 118, 119 p. 203 ed. Londini 1679., Q. Curtium Histor. Alex. M. l. 6 c. 11 n. 20 p. 411. et l. 8 c. 6 n. 23 p. 553 ed. Lugduni Batav. 1658, Justinum l. 10 c. 2 p. 169 ed. Amstelæd. 1669, Ammianum Marcellinum l. 23 c. 6 p. 296 ed. Lugdun. Batav. 1693. Producitur autem pro crimine ejus, qui familiæ, aut societati præest, pœna etiam ad totam familiam, ad societatem, ut ille hujus saltem amore, ac pietate motus, aut victus querelis, sese à scelere facilius abstineat, aut redeat ad bonam mentem, cum crimen perpetravit. Atque hoc quidem generale interdictum extremi remedii loco est, et quasi cogente necesitate emittitur, cum scilicet personale interdictum prorsus inutile fore prospicitur, aut experiundo deprehensum est. Ita necessitas, quæ hoc extremum remedium adhiberi jubet, injustitiæ notam absterget. Accedit, quod si per generale interdictum etiam insontes pœnæ subjiciuntur, eam quidem perferunt tamquam membra societatis, in quam merito pœna constituitur. Fac duas esse respublicas, quarum altera sese alteri res quasdam, quibus ea caret, daturam promiserit, modo ipsa certa servet pacta, quæ mutuo conventa sunt. Negligunt hæc pacta ii, qui reipublicæ sunt præpositi; quare altera respublica nihil præstat eorum, quæ servatis pactis præstare debuisset. Magnum exinde capiunt detrimentum non solum reipublicæ Præfecti, qui pacta contempserunt, sed etiam ceteri, qui eadem republica continentur, quoniam carent rebus, quibus omnino indigent; et hi quidem quamquam nulla propria culpa teneantur, pœnam tamen perferunt propter culpam Præfectorum suorum. Quis jure reprehendat rempublicam, quæ alteri non dedit res necessarias, quas tantum servatis pactis dare debuisset? Omne vitium est Præfectorum, qui pactis defuerunt, quod omnes eorum reipublicæ subjecti, quamquam insontes, damnum capiunt; sed nullum est vitium alterius reipublicæ, à qua spretis, contemptisque pactis, nihil dandum est. Simili modo inter ecclesiasticam, civilemque rempublicam pactum conventum videtur, ut altera alteri præbeat sacramenta, et cetera ad æternam salutem necessaria; modo hæc sacros ministros alat, Ecclesiæ legibus obediat, cetera absolvat, quæ ad æternam salutem consequendam ab Ecclesia necessaria judicantur. Si ii, qui præsunt civili reipublicæ, eamque repræsentant, Ecclesiam contemnunt, neque mutuis pactis obtemperant, reprehendendam putabimus Ecclesiam, quod negat civili reipublicæ ea, quæ tantum sub certis pactis danda sunt, præsertim cum id faciat Ecclesia, ut populi salutem curet? Adde denique quod, ut generale interdictum minus lædat innocuos, provisum est, ut pueri, atque ad vitæ exitum properantes ea habeant, quæ ad æternam salutem necessaria sunt.

(N. S. Interdicti, etiam Localis, ac Generalis, haud levia in veteri Ecclesiastica Historia vestigia occurrere, eruditi observant Canonistæ; præcipue vero apud Gregor. Turon. lib. 8 Hist. Franc. cap. 5; ubi narrat, Leodovaldum Episcopum, ob necem S. Prætextato Episcopo Rothomagensi in ipsa sua Ecclesia illatam, Epistolas per omnes Sacerdotes direxisse, et accepto consilio, Ecclesias Rothomagenses clausit, ut in his populus sollemnia divina non spectaret, donec indagatione communi reperiretur hujus auctor sceleris. Et in Conc. Tolet. XIII can 7; ubi reprehenduntur quidam Sacerdotes, eo quod privati odii desperatione permoti, altaria denudarent, luminaria Ecclesiæ extinguerent, et divina Officia interdicerent. Verum iidem illi Canonistæ censent oppido rara ejusmodi antiquitus fuisse exempla: atque X. vel XI. sæculo Interdicti generalis usum primum frequentari cœpisse. Unde Ivo Carnotensis Ep. 94 Interdictum generale vocat *Remedium insolitum*).

4. Generale interdictum, ne asperius videretur, quod omnes nullo discrimine comprehendat, Romani Pontifices certis cohibere legibus, et emollire studuerunt. Ergo non tantum parvulorum baptismus, et morientium pœnitentia generali interdicto excepta est (1), sed etiam data facultas, ut interdicti tempore divinum verbum populo nuncietur, et pueris baptizatis Confirmatio tribuatur (2). Similiter concessum est viaticum decedentibus, et ecclesiastica sepultura clericis, qui interdictum servarunt, et pœnitentia ad sacra bella profecturis, crucisque signum recipientibus, et aliis peregrinis, quamquam integra valetudine uterentur (3).

(1) Cap. 12 de Sponsal. et matrim.
(2) Cap. 43 de Sentent. excom.
(3) Cap. 11 de Pœniten. et remiss. Confer etiam Benedictum XIV. const. *Quoniam* 86. §. 5 t. 1 ejus Bullar. p. 174 ed. Rom. seu Venet. 1754.

(N. S. Adhæc, et in Hispania, ex *Bulla S. Cruciatæ*, concessum est, ut interdicti tempore, Presbyteri possint Missam, et divina officia celebrare, tam in oratoriis privatis, quam in reliquis ecclesiis, una etiam hora ante auroram, et altera post meridiem, excepto Paschatis die; laicisque permissum eis adsistere, sacram Eucharistiam sumere, et in loco sacro sepeliri, modo causam interdicto non dederint, nec excommunicati adesse permittantur.

Inter interdicti effectus numeratur prohibitio Ecclesiasticæ sepulturæ, quæ denegatur omnibus, etiam parvulis. Non prohibentur tamen ii, qui nec speciatim interdicti sunt, nec interdicto causam dederunt, in loco non interdicto humari: atque adeo ejusdem conditionis Clerici in loco etiam interdicto recte sepeliuntur, nulla tamen adhibita sollemnitate: eod. cap. 11.—In Hispania, fideles omnes, tam Clerici, quam Laici, ex concessione *Bullæ S. Cruciatæ*, in loco sacro, modica etiam adhibita sollemnitate, sepeliri possunt, dummodo excommunicati non sint, nec interdicto causam dederint.)

5. Præterea Gregorius IX permisit, ut in unaquaque hebdomada privata Missa celebraretur, exclusis tamen excommunicatis, atque interdictis, campanisque silentibus, et clausis januis, ac submisa voce, atque ut conficeretur corpus Domini, quod decedentibus in Pœnitentia conceditur (1). Denique Bonifacius VIII magis etiam temperavit, atque lenivit generale interdictum, lata lege, qua sancitum est, ut sanis omnibus, modo excommunicati non sint, pœnitentia tribuatur; ut in cunctis ecclesiis, et monasteriis in loco interdicto sitis, modo ipsa speciatim interdicta non sint, neque ullam interdicto causam dederint, Missa quotidie celebretur, aliaque divina officia peragantur, submissa tamen voce, portis clausis, non pulsatis campanis, et exclusis interdictis; ut in festis Natalis Christi, Paschæ, Pente-

costes, Assumptionis Mariæ Virginis (quibus Martinus V (2) festum Corporis Christi, ejusque octavam addidit)—et pro Hispania, festum *Conceptionis* ejusd. B. M. V. à Leone X additum esse creditur à Selvag. Adnot.—solemniter divina officia celebrentur, exclusis excommunicatis, et admissis interdictis, modo ii, qui sua culpa causam interdicto dederunt, ad altare non appropinquent (3).

(1) Cap. 57 de Sentent. excommunic.
(2) Martinus V. Const. Ineffabile 23 p. 471 t. 5 part. 2 Bullar Roman.
(3) Cap. 24 de Senten. excommunic. in 6. Clemens autem VIII. Const. Sacræ, apud Giraldum Exposit. Jur. Pontific. par. 1 l. 5 tit. 38 sect. 911 p. 745, Fratribus Minoribus S. Francisci etiam diebus festis Ss. Francisci, Bonaventuræ, Antonii Patavini, Ludovici, Bernardini, Claræ, Elisabeth, ac Martyrum ejusdem Ordinis, Didaci, et Portiunculæ Missam solemniter celebrare permisit.

6. Interdictum nonnisi ob gravem culpam est ferendum (1), neque comprehendit Episcopos, aliosque superiores Prælatos, quamquam generale sit, nisi expressa eorum mentio facta fuerit (1). Emissum autem ab Episcopo interdictum etiam à Regularibus observandum est (3).

(1) Confer Benedictum XIV. de Synod. Diœces. l. 10 c. 1 n. 3.
(2) Cap. 2 de Sentent. excommunicat. in 6.
(3) Concilium Tridentinum sess. 25 c. 12 de Regul.

7. Violantes interdictum gravis criminis rei sunt, quoniam Ecclesiæ auctoritatem contemnunt. Clerici, qui scienter in loco interdicto divina officia celebraverint, irregulares fiunt, eaque irregularitas tantum à Summo Pontifice tolli potest (1). Item qui interdictos in loco sacro sepeliunt, excommunicationem contrahunt, cujus absolutio Episcopo reservata est (2). Excommunicantur quoque Regulares, etiam exempti, qui generale, aut locale interdictum à Summo Pontifice vel ab Episcopo inflictum non servaverint (1).

(1) Cap. 18 §. 1 de Sentent. excommun. in 6, quæ decretalis tametsi loquatur de sola celebratione, quæ ad celebrationem Missæ referenda videretur, tamen Interpretum sententia ad omnia divina officia producitur.
(2) Clement. 1 de Sepultur.
(3) Clem. 1 de Senten. excom.

8. Locale interdictum *cessatio à divinis* interdum appellatur (1); quoniam divina cessant in locis interdictis. Sed proprie

cessatio à divinis sine judicis decreto ipso jure inducitur, ac per eam prohibentur clerici divina officia peragere, ac sacramenta administrare in aliqua peculiari ecclesia, quæ homicidio, aut adulterio, aut alio crimine polluitur (2); ut salutaris populo terror, et criminis horror incutiatur. Non est tamen censura, cum non sit pœna, quæ ad emendationem irrogetur, sed potius gravis ab Ecclesia concepti doloris indicium est. Itaque ejus violatio gravis quidem culpa est, haud tamen irregularitatem inducit (3). Verum Regulares eam violantes excommunicantur (4).

(1) Clement. 1 de Sentent. excom.
(2) Cap. ult. de Consecr. Eccles.
(3) Cap. 18 de Senten. excommunic. in 6.
(4) Clem. 1 de Senten. excom.

TITULUS XX.

DE SUSPENSIONE.

1. SUSPENSIO QUID, ET QUOMODO A RELIQUIS CENSURIS DIFFERAT?—2. QUOTUPLEX SUSPENSIO EST?—3. SUSPENSIO GENERALIS, ET PARTIALIS, ITEM PERPETUA, AC TEMPORARIA.—4 QUANDO, ET QUOMODO SUSPENSIO IRROGANDA?—5 ET 6. QUOMODO SUSPENSIO TOLLATUR.—7. PŒNA CLERICI VIOLANTIS SUSPENSIONEM.

1.

Suspensionis vocabulo intelligimus illud censuræ genus, quo clericis ob proprium delictum ecclesiasticæ potestatis, et jurisdictionis usu interdicitur. Ex quo noscitur discrimen, quod inter suspensionem, aliasque censuras intercedit. Nam hæ pertinent ad omnes fideles, illa autem tantum adversus clericos constituitur, quoniam eorum tantum est propria ecclesiastica potestas, et jurisdictio. Etiam excommunicatio aliquem privat ecclesiastica potestate, verum id facit propter communionem cum reliquis fidelibus, à qua excommunicatus repellitur; at suspensio adimit potestatem, quæ cum officio, et beneficio conjuncta est. Distat etiam ab interdicto suspensio, quod per illud clerici prohibentur usu rerum sacrarum, sed ea ratione, quod hæ fidelibus omnibus communes sunt; at vero suspensis earum usu interdicitur, quod ab officio, aut beneficio dependent.

2. Triplex suspensio est: nimirum ab officio, à beneficio, atque ab utroque simul. Suspensio ab officio clericum exercere vetat universa ecclesiastica officia, quæ vel ab ordine, vel à

costes, Assumptionis Mariæ Virginis (quibus Martinus V (2) festum Corporis Christi, ejusque octavam addidit)—et pro Hispania, festum *Conceptionis* ejusd. B. M. V. à Leone X additum esse creditur à Selvag. Adnot.—solemniter divina officia celebrentur, exclusis excommunicatis, et admissis interdictis, modo ii, qui sua culpa causam interdicto dederunt, ad altare non appropinquent (3).

(1) Cap. 57 de Sentent. excommunic.
(2) Martinus V. Const. Ineffabile 23 p. 471 t. 5 part. 2 Bullar Roman.
(3) Cap. 24 de Senten. excommunic. in 6. Clemens autem VIII. Const. Sacræ, apud Giraldum Exposit. Jur. Pontific. par. 1 l. 5 tit. 38 sect. 911 p. 745, Fratribus Minoribus S. Francisci etiam diebus festis Ss. Francisci, Bonaventuræ, Antonii Patavini, Ludovici, Bernardini, Claræ, Elisabeth, ac Martyrum ejusdem Ordinis, Didaci, et Portiunculæ Missam solemniter celebrare permisit.

6. Interdictum nonnisi ob gravem culpam est ferendum (1), neque comprehendit Episcopos, aliosque superiores Prælatos, quamquam generale sit, nisi expressa eorum mentio facta fuerit (1). Emissum autem ab Episcopo interdictum etiam à Regularibus observandum est (3).

(1) Confer Benedictum XIV. de Synod. Diœces. l. 10 c. 1 n. 3.
(2) Cap. 2 de Sentent. excommunicat. in 6.
(3) Concilium Tridentinum sess. 25 c. 12 de Regul.

7. Violantes interdictum gravis criminis rei sunt, quoniam Ecclesiæ auctoritatem contemnunt. Clerici, qui scienter in loco interdicto divina officia celebraverint, irregulares fiunt, eaque irregularitas tantum à Summo Pontifice tolli potest (1). Item qui interdictos in loco sacro sepeliunt, excommunicationem contrahunt, cujus absolutio Episcopo reservata est (2). Excommunicantur quoque Regulares, etiam exempti, qui generale, aut locale interdictum à Summo Pontifice vel ab Episcopo inflictum non servaverint (1).

(1) Cap. 18 §. 1 de Sentent. excommun. in 6, quæ decretalis tametsi loquatur de sola celebratione, quæ ad celebrationem Missæ referenda videretur, tamen Interpretum sententia ad omnia divina officia producitur.
(2) Clement. 1 de Sepultur.
(3) Clem. 1 de Senten. excom.

8. Locale interdictum *cessatio à divinis* interdum appellatur (1); quoniam divina cessant in locis interdictis. Sed proprie

cessatio à divinis sine judicis decreto ipso jure inducitur, ac per eam prohibentur clerici divina officia peragere, ac sacramenta administrare in aliqua peculiari ecclesia, quæ homicidio, aut adulterio, aut alio crimine polluitur (2); ut salutaris populo terror, et criminis horror incutiatur. Non est tamen censura, cum non sit pœna, quæ ad emendationem irrogetur, sed potius gravis ab Ecclesia concepti doloris indicium est. Itaque ejus violatio gravis quidem culpa est, haud tamen irregularitatem inducit (3). Verum Regulares eam violantes excommunicantur (4).

(1) Clement. 1 de Sentent. excom.
(2) Cap. ult. de Consecr. Eccles.
(3) Cap. 18 de Senten. excommunic. in 6.
(4) Clem. 1 de Senten. excom.

TITULUS XX.

DE SUSPENSIONE.

1. SUSPENSIO QUID, ET QUOMODO A RELIQUIS CENSURIS DIFFERAT?—2. QUOTUPLEX SUSPENSIO EST?—3. SUSPENSIO GENERALIS, ET PARTIALIS, ITEM PERPETUA, AC TEMPORARIA.—4 QUANDO, ET QUOMODO SUSPENSIO IRROGANDA?—5 ET 6. QUOMODO SUSPENSIO TOLLATUR.—7. PŒNA CLERICI VIOLANTIS SUSPENSIONEM.

1.

Suspensionis vocabulo intelligimus illud censuræ genus, quo clericis ob proprium delictum ecclesiasticæ potestatis, et jurisdictionis usu interdicitur. Ex quo noscitur discrimen, quod inter suspensionem, aliasque censuras intercedit. Nam hæ pertinent ad omnes fideles, illa autem tantum adversus clericos constituitur, quoniam eorum tantum est propria ecclesiastica potestas, et jurisdictio. Etiam excommunicatio aliquem privat ecclesiastica potestate, verum id facit propter communionem cum reliquis fidelibus, à qua excommunicatus repellitur; at suspensio adimit potestatem, quæ cum officio, et beneficio conjuncta est. Distat etiam ab interdicto suspensio, quod per illud clerici prohibentur usu rerum sacrarum, sed ea ratione, quod hæ fidelibus omnibus communes sunt; at vero suspensis earum usu interdicitur, quod ab officio, aut beneficio dependent.

2. Triplex suspensio est: nimirum ab officio, à beneficio, atque ab utroque simul. Suspensio ab officio clericum exercere vetat universa ecclesiastica officia, quæ vel ab ordine, vel à

jurisdictione pendent, modo sint vera officia ecclesiastica; non enim suspensi ab iis repelluntur, quæ etiam laicis sunt communia, uti sunt ingressus in ecclesiam, publicæ preces, sacramenta. Suspensio à beneficio clericum excludit à percipiendis beneficii fructibus, atque aliis, quæ ab eo pendent, non tamen ab officio repellit; quoniam angustior in odiosis significatio, et interpretatio est (1). Denique suspensio à beneficio simul, et officio facit, ut clericus beneficii fructibus carere debeat, et simul ecclesiastica munera exercere prohibeatur (2).

(1) Quæstio tamen est, num suspensio ab officio secumferat etiam suspensionem à beneficio, quod propter officium datur. Plerique id negant, quia si suspensus ab officio etiam à beneficio suspensus haberetur, frustra in jure suspensiones modo ab officio, modo à beneficio infligerentur.

(2) Suspensionis pœna antiquissima in Ecclesia est, eaque à Patribus *abstinendi*, *interdicendi*, aut *prohibendi* vocabulis significatur. Confer S. Cyprianum Ep. 4 ad Pompon., et Ep. 34 ad Presbyt. et Diacon. p. 174 et 217 ed. Amstel. 1700, S. Ambrosium Serm. 2 in psalm. 118 n. 24 opp. t. 3 p. 244 ed. Ven. 1781, Concilium Eliberitanum can. 50 t. 1 concil. col. 998 collect. Labbæi, Carthaginense IV. can. 68 ib. t. 2 col. 1444, et vide etiam Beveregium in can. 11 Apost. apud Cotelerium PP. Apost. t. 1 p. 467 ed. cit., item Concilium Ancyranum in can. 32 dist. 50. Quin etiam vetus est distinctio suspensionis à jure percipiendi reditus ecclesiasticos, et à jure ecclesiastica officia exercendi. S. Cyprianus cit. Ep. 34 ad Presbyt. p. 218 de quibusdam inferioribus clericis, qui deliquissent, inquit: «Interim se à divisione mensura tantum contineant, non quasi à ministerio ecclesiastico privati esse videantur.» Quibus verbis hi clerici tantum à reditibus ecclesiasticis, non item ab ecclesiastico officio excluduntur. Similiter S. Gregorius Turonensis hist. l. 8 c. 20 col. 392 ed. Par. 1699 narrat, Ursicium Cadurcensem Episcopum ab Episcopali ordine fuisse suspensum, sed ei tamen relictam Ecclesiæ rerum administrationem. Synodus autem Aurelianensis I. in can. 14 dist. 81 universam suspensionem ob graviora crimina irrogatam nominatim expressit.

(N. S. Discrimen inter Suspensionem ab Officio, et Suspensionem à Beneficio, olim ignotum fuisse, res est quam testatissima. Et sane, bonis Ecclesiæ in titulos, sive in beneficia non adhuc erectis, jus percipiendi fructus ex reditibus Ecclesiasticis, Ordinis exercitio adeo erat adnexum, ut suspensio ab Ordine, suspensionem à jure participandi ex bonis Ecclesiæ comitem nunquam non haberet.—Hinc est, quod licet frequens in Conciliis nostris de Suspensione occurrat mentio, eam tamen semper ab Officio, numquam vero à Beneficio inflictam invenies, ut in Syn. Brac. III can. 1, Tolet. III can. 11, aliisque sexcentis.—Verum jure *Decretalium* ejusmodi discrimine inducto, suspensus à Beneficio nonnisi ejusdem fructibus, ac temporali administratione privatur. Ceterum neque amittit jus eligendi, sive præsentandi, quod ipsi fortasse intuitu Beneficii conveniat, neque redditur inhabilis ad aliud consequendum Beneficium. At vero generatim à Beneficio suspensus censetur suspensus ab omni Beneficio, nisi aliunde constet aliam fuisse ferentis censuram voluntatem: *Cap. 8 de Ætat. et qualit. et ordin. præf.*c.)

3. Generalis suspensio tum officium, tum beneficium complectitur, quique ea pœna affectus est, eorum, quæ ad alterutrum pertinent, quidquam agere, aut attingere prohibetur. Sed interdum aliquis tantum pro parte suspenditur, et hic quidem ea, quibus ei interdictum est, gerere nequit, non item reliqua; veluti si quis prohibitus sit confessiones excipere, is recte exercet cetera, quæ suspensionis pœna comprehensa non sunt. Suspensio hæc *partialis* dicitur, cui *plena*, seu *generalis* opponitur. Est item suspensio perpetua, ac temporaria; illa clericum perpetuo, salva tamen dignitate, à sacris officiis excludit, hæc tantum ad certum tempus, ultra quod pœna non profertur. Quævis autem suspensio, sicuti excommunicatio, vel latæ, vel ferendæ sententiæ est, quarum altera juris auctoritate ipso facto, altera judicis sententia irrogatur.

4. Nulla suspensio sine causa ferenda est, quamquam ea non ita gravem requirat culpam, qualem excommunicatio, atque interdictum postulant (1). Quæ causa exprimenda est in scriptis, in quibus suspensio infligitur (2); verum in suspensionibus latæ sententiæ lex ipsa judicis instar est (3). Est autem à Prælato ferenda suspensio tantum in suos subditos, atque ab uno Episcopo suspensus tamquam suspensus ab omnibus habendus est donec legitime à proprio Episcopo absolvatur.

(1) Clericos ob culpas non ita graves suspensos fuisse, constat ex Concilio Epaonensi can. 4 t. 5 conc. col. 712 collect. Labbæi.

(2) Cap. 1 de Sentet. excom. in 6. Id vero locum habet, quando suspensio adhibita judiciali methodo infligitur. Non enim prohibetur Episcopus ob causas sibi notas, quæ in foro externo ex actis judiciariis minime patent, suspensionem infligere, et vero clerici, qui huic Episcopi mandato non obtemperant, irregulares evadunt. Quod quidem consentaneum est Tridentini Concilii legibus in c. 1 sess. 13 de Reform. Consule Benedictum XIV. de Synod. Diœces. l. 12 c. 8 n. 3, 4, 5.

(3) Suspensionum latæ sententiæ plura in jure exempla sunt. Huc enim spectant c. 3 de Usur., c. 3 de Clandestin. despons., c. 7 §. ult., c. 25 c. 45 c. 44 de Elect., c. 14 de Vit. et honest. Cleric., Concilium Tridentinum c. 1 et 6 sess. 24 de Reform. matrim., aliaque similia.

5. Indicta ad certum tempus suspensio, eo elapso, expirat ipso jure, neque opus habet hominis sententia, à qua removeatur. Sed suspensio, quæ nullo definito tempore inflicta est, relaxari debet ab eo, qui eamdem inflixit; relaxatur autem, si suspensus resipuerit.

6. Nunquam autem suspensio, quamquam nullo certo tempore obstricta sit, spem veniæ, ac restitutionis excludit, in eoque

differt à depositione, quæ perpetuam, ac sine ulla spe veniæ, exercitii, atque usus ordinum privationem inducit. Accedit, quod clerici sacris officiis, aut ecclesiasticis stipendiis suspensi, dignitatem, et beneficium non amittunt, sed tantum privantur fructibus beneficii, aliisque inde pendentibus, suique ordinis, ac dignitatis munera exercere prohibentur. Verum depositio non solum clericum ab omni munere ordinis, ac beneficii repellit, sed eum etiam officio, et beneficio omnino privat, titulumque aufert, ita ut ad illud sine nova collatione redire nequeat.

7. Clericus suspensus, si quo interim fungatur munere, unde prohibitus est, irregularis efficitur (1). Nullam tamen irregularitatem contrahit, si quid gerat eorum, quæ ab ordine necessario non pendent, et id porro gerat non ex officio clericali, sed tamquam laicus quilibet, uti sunt quædam minorum ordinum munera, quæ in ecclesiis ex recepta consuetudine etiam à laicis exercentur (2).

(1) Cap. 1 de Senten. et re judic. in 6.
(2) Consule Fagnanum in cap. 2 n. 15 et seq. de Cleric excommun. ministran.

TITULUS XXI.

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

1. ABSOLUTIO A CENSURIS QUID?—2. QUOTUPLEX?—3 ET 4. QUIS CENSURAS TOLLAT?—5. ABSOLUTIO AD CAUTELAM.—6. ABSOLUTIO AD REINCIDENTIAM.—7. CENSURÆ IN MORTUOS, EARUMQUE RELAXATIO.

1.

SEMEL inflicta censura per absolutionem, aut relaxationem tollenda est; ut quis potestatem, gradum, locumque recuperet, unde dejectus fuit. Est autem absolutio à censuris, quæ in antiquis monumentis *pax*, *relaxatio*, *venia*, *communio* appellatur, relaxatio pœnæ, sive vinculi, quæ præscripta ab Ecclesia forma conceditur. Danda est hæc venia, seu relaxatio non facile, et imprudenter, sed cum ejus, qui pridem deliquerat, comperta emendatio est (1).

(1) Can. 33 caus. 23 qu. 4.

2. Et quoniam duplex est Ecclesiæ forum, interius, et exterius, ac censuræ in utroque irrogantur, duplex item est absolutio, altera, quæ in foro interiori, altera quæ in foro exteriori conceditur. Absolutio in foro interiori datur à Sacerdote, qui Pœnitentiæ sacramentum administrat, eaque hominem Deo reconciliat; absolutio in foro exteriori tribuitur à judice, qui censuram inflixit, eaque post sententiam, externam pacem restituit. Utraque absolutio suis finibus continetur. Itaque qui in interno, aut externo foro solutus censura est, non item in altero foro solutus habetur.

3. Abrogat autem, tollitque censuras Judex, qui easdem inflixit, aut ejus in munere successor, aut delegatus, aut superior (1). Quæ vero à lege sunt constitutæ, vel ab Episcopo, vel etiam à Sacerdote, qui potestatem habet administrandi sacramentum Pœnitentiæ, tolli possunt (2); unde fere generalis omnium censurarum absolutio præmitti solet. Sed Presbyter removere nequit censuras, quæ Summo Pontifici, aut Episcopo reservatæ sunt; nisi ei facultas hæc speciatim concessa fuerit.

(1) Cap. 20 de Offic. Jud. ordin. Vide etiam Concilium Nicænum can. 5 t. 1 Concil. col. 35 collect. Labbæi.
(2) Cap. 29 de Sentent. excommun.

4. Excommunicatio minor à quovis Presbytero pro excipiendis confessionibus approbato tolli potest (1); et quivis Presbyter, etiamsi approbatus non fuerit, in articulo mortis, ut dimittendi peccata, ita relaxandi censuras habet potestatem (2). Verum qui ita absoluti sunt, sublato mortis periculo, in quo antea versabantur, sistere se Romano Pontifici, aut ejus Legato debent, mandata accepturi; secus, eamdem excommunicationem contrahunt (3). Sed et in iis, quæ Summo Pontifici reservata sunt, suam interdum Episcopus potestatem exercet. Nam ipse suos subditos absolvit à casibus occultis Pontifici reservatis (4), tollitque censuras etiam Papæ reservatas, quibus obstricti sunt ii, qui Romanum iter suscipere nequeunt, quales sunt mulieres, senes, valetudinarii (5).

(1) Confer Giraldum Exposit. Jur. Pontif. par. 1 l. 5 tit. 39 sect. 941, p. 772.
(2) Concilium Triaentinum sect. 14 de Sacram. pœnitent. c. 7.
(3) Cap. 22 de Sentent. excommun. in 6.
(4) Concilium Tridentinum sess. 24 c. 6 de Reform.
(5) Cap. 13 de Sentent. excommunic.
(N. S. A Censura ab homine *per sententiam particularem* lata, ille absolvit, qui eam inflixit: Synod. Illiberit. can. 55: *Placuit cunctis, ut ab eo*

Episcopo quis recipiat communionem, à quo abstentus in crimine aliquo fuerit.—Et quidem *Dominus par jus et solvendi esse voluit, et ligandi, qui utrumque pari conditione permissit*: can. 51 de Pœnit. Dist. 1: vel ejus Successor: can. 3, 5, 40 caus. 11 *Quæst. III*; aut ejus Delegatus: cap. 20 *de Offic. Ordin.*: aut denique Superior, uti Metropolita: Syn. Tolet. XIII can. 12, cui tamen servanda sunt, quæ Innocentius III præscribit in cap. 8 *ibid.* scilicet, ut neminem, qui apud ipsum de injuste ab Episcopo lata excommunicatione conqueratur, absolvat, nisi legitime, ac plene ipsi constiterit Episcopalis censuræ iniquitas: alioquin, eum ad Episcopum absolvendum remittat, nisi periculum in mora esse videatur, vel Suffraganeus absolutionem satisfacere parato impendere nolit. In quo sane veteris disciplinæ vestigia apparent, ex cujus præscripto, qui se à proprio Episcopo inique censura innodatum crederet, in Concilio Provinciali se sistere debebat, suam querimoniam expositurus, ut ibi de Censuræ justitia, vel iniquitate judicium ferri posset.

Quod vero attinet ad Censuras latas à jure, vel ab homine per sententiam generalem, iis exceptis, quas sibi earundem auctor reservavit, ab ipsis poterit quis absolvi vel ab Episcopo, vel à proprio Sacerdote: cap. 29 *de Sent. Excomm.* Nomine *proprii Sacerdotis* venire Parochum, vel etiam quemcumque Sacerdotem ad excipiendas confessiones legitime adprobatum, quippe qui in hoc adimplendo munere Parochi vices subeat, docet Suarezius «de Censuris» *Disput. VII, Sect. 4 num. 9*, aliique.)

5. Præter absolutionem à censuris, quæ post emendationem, aut finitam causam iis conceditur, qui crimen admiserunt, est etiam absolutio *ad cautelam*, quæ datur ad majorem cautionem, ut omnis, quæ forte esse potest, dubitationis causa removeatur. Ea porro adhibetur in omnibus rescriptis, bullisque Apostolicis, ne quid impedimento sit, quominus concessa gratia vim, et exitum habeat, itemque à Sacerdotibus, qui sacramentum Pœnitentiæ administrant, sacramentali absolutioni præmittitur, ne propter censuram à jure illatam, et ignotam, inutilis absolutio sit. Denique locus est generatim absolutioni ad cautelam, cum incertum est, num quis censuram contraxerit, aut cum de vi illatæ censuræ dubitatur (1).

(1) Cap. 40 de Sentent. excommunic.

6. Est et absolutio *ad reincidentiam*, quæ datur ad certum tempus, aut ad certum actum, ita ut tempore elapso, aut actu peracto, ita absolutus iterum censura implicetur. Quæ absolutio dari solet cum certa lege, videlicet ut lædens intra definitum tempus læso satisfaciat, aut certa pietatis opera suscipiat, cui legi satisfaciendum est constituto tempore, quo elapso censura reviviscit, et qui legi non satisfecit, cum nulla justa causa impediretur, rursus in censuram incidit.

7. Nec tantum vivis excommunicatis, sed etiam post eorum obitum sæpe ab Ecclesia censuras relaxatas fuisse constat. Nimirum si quis moriens ante impetratam pacem, certa dedisset pœnitentiæ, aut emendationis argumenta, vel eo mortuo appareret, injustas esse censuras in eum latas, ab Ecclesia censuræ ipsæ removebantur, ut omnibus constaret, eum in Catholica communione decessisse. Dabatur olim hæc absolutio facto ipso, quia defuncti nomen vel sacris dyptichis restituebatur, vel ejus nomine factæ oblationes ab Ecclesia accipiebantur, atque ita ipse catholicæ communioni restitutus habebatur (1). Sed nunc ii, qui morientes censuris solvi non potuerunt, atque ab Ecclesia eo beneficio digni judicantur, certa precum, ac verborum formula absolvuntur (2).

(1) Ita Theodoretus Histor. l. 5 c. 35 p. 235 ed. Cantabrig. narrat, Alexandrum Antiochenum sacris dyptichis restituisse S. Joannis Chrysostomi nomen, quod in illis plures annos omissum fuerat. Sunt et alia absolutionis à censuris post obitum concessæ exempla apud Mabilonium Annal. Benedict. l. 58 n. 35 et l. 61 n. 42 et 43 t. 4 p. 409, 543, 544 ed. Lucæ 1739, locisque aliis. Neque tantum absolutionis mortuis concessæ, sed etiam excommunicationis in mortuos latæ, in ecclesiasticis historiis exempla sunt. Ita Cyprianus Ep. 1 ad Cler. Furnitan. p. 169 ed. Amsteled. 1700, oblationem fieri, precesque in Ecclesia fundi vetuit pro Geminio Victore, quod contra ecclesiasticam regulam, Presbyterum tutorem suo testamento constituerat. Pene simile decretum extat in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ can. 81 apud Harduinum collect. concil. t. 1 col. 907, ubi de Episcopo, qui ethnicos, aut hæreticos heredes scripserat, habentur hæc: *post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur.* Hinc Augustinus Ep. 185 ad Bonifac. n. 4 opp. t. 2 col. 644 ed. Ven 1729, de Cæciliano, quem Donatistæ accusabant, dicit hæc: «Si vera essent, quæ ab eis Cæciliano objecta sunt..... ipsum jam mortuum anathematizaremus.» Alia etiam consequenti ætate occurrunt exempla ejusdem ecclesiasticæ disciplinæ.

(2) Cap. 28 de Sentent. excommun.

APPENDIX.

EXCERPTA EX COD. PŒN. NOVIS. HISP., DE IIS QUÆ PERSONAS AC RES ECCLESIASTICAS SPECTANT.

LIB. 1 TIT. 1 CAP. 4.

Art. 10. Son circunstancias agravantes:

Art. 19. Cometer el delito en lugar sagrado, inmune, ó donde la Autoridad pública se halle ejerciendo sus funciones.

TIT. 3, CAP. 1.

Art. 25. La ley no reconoce pena alguna infamante.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Episcopo quis recipiat communionem, à quo abstentus in crimine aliquo fuerit.—Et quidem *Dominus par jus et solvendi esse voluit, et ligandi, qui utrumque pari conditione permissit*: can. 51 de Pœnit. Dist. 1: vel ejus Successor: can. 3, 5, 40 caus. 11 *Quæst. III*; aut ejus Delegatus: cap. 20 *de Offic. Ordin.*: aut denique Superior, uti Metropolita: Syn. Tolet. XIII can. 12, cui tamen servanda sunt, quæ Innocentius III præscribit in cap. 8 *ibid.* scilicet, ut neminem, qui apud ipsum de injuste ab Episcopo lata excommunicatione conqueratur, absolvat, nisi legitime, ac plene ipsi constiterit Episcopalis censuræ iniquitas: alioquin, eum ad Episcopum absolvendum remittat, nisi periculum in mora esse videatur, vel Suffraganeus absolutionem satisfacere parato impendere nolit. In quo sane veteris disciplinæ vestigia apparent, ex cujus præscripto, qui se à proprio Episcopo inique censura innodatum crederet, in Concilio Provinciali se sistere debebat, suam querimoniam expositurus, ut ibi de Censuræ justitia, vel iniquitate judicium ferri posset.

Quod vero attinet ad Censuras latas à jure, vel ab homine per sententiam generalem, iis exceptis, quas sibi earundem auctor reservavit, ab ipsis poterit quis absolvi vel ab Episcopo, vel à proprio Sacerdote: cap. 29 *de Sent. Excomm.* Nomine *proprii Sacerdotis* venire Parochum, vel etiam quemcumque Sacerdotem ad excipiendas confessiones legitime adprobatum, quippe qui in hoc adimplendo munere Parochi vices subeat, docet Suarezius «de Censuris» *Disput. VII, Sect. 4 num. 9*, aliique.)

5. Præter absolutionem à censuris, quæ post emendationem, aut finitam causam iis conceditur, qui crimen admiserunt, est etiam absolutio *ad cautelam*, quæ datur ad majorem cautionem, ut omnis, quæ forte esse potest, dubitationis causa removeatur. Ea porro adhibetur in omnibus rescriptis, bullisque Apostolicis, ne quid impedimento sit, quominus concessa gratia vim, et exitum habeat, itemque à Sacerdotibus, qui sacramentum Pœnitentiæ administrant, sacramentali absolutioni præmittitur, ne propter censuram à jure illatam, et ignotam, inutilis absolutio sit. Denique locus est generatim absolutioni ad cautelam, cum incertum est, num quis censuram contraxerit, aut cum de vi illatæ censuræ dubitatur (1).

(1) Cap. 40 de Sentent. excommunic.

6. Est et absolutio *ad reincidentiam*, quæ datur ad certum tempus, aut ad certum actum, ita ut tempore elapso, aut actu peracto, ita absolutus iterum censura implicetur. Quæ absolutio dari solet cum certa lege, videlicet ut lædens intra definitum tempus læso satisfaciat, aut certa pietatis opera suscipiat, cui legi satisfaciendum est constituto tempore, quo elapso censura reviviscit, et qui legi non satisfecit, cum nulla justa causa impediretur, rursus in censuram incidit.

7. Nec tantum vivis excommunicatis, sed etiam post eorum obitum sæpe ab Ecclesia censuras relaxatas fuisse constat. Nimirum si quis moriens ante impetratam pacem, certa dedisset pœnitentiæ, aut emendationis argumenta, vel eo mortuo appareret, injustas esse censuras in eum latas, ab Ecclesia censuræ ipsæ removebantur, ut omnibus constaret, eum in Catholica communione decessisse. Dabatur olim hæc absolutio facto ipso, quia defuncti nomen vel sacris dyptichis restituebatur, vel ejus nomine factæ oblationes ab Ecclesia accipiebantur, atque ita ipse catholicæ communioni restitutus habebatur (1). Sed nunc ii, qui morientes censuris solvi non potuerunt, atque ab Ecclesia eo beneficio digni judicantur, certa precum, ac verborum formula absolvuntur (2).

(1) Ita Theodoretus Histor. l. 5 c. 35 p. 235 ed. Cantabrig. narrat, Alexandrum Antiochenum sacris dyptichis restituisse S. Joannis Chrysostomi nomen, quod in illis plures annos omissum fuerat. Sunt et alia absolutionis à censuris post obitum concessæ exempla apud Mabilonium Annal. Benedict. l. 58 n. 35 et l. 61 n. 42 et 43 t. 4 p. 409, 543, 544 ed. Lucæ 1739, locisque aliis. Neque tantum absolutionis mortuis concessæ, sed etiam excommunicationis in mortuos latæ, in ecclesiasticis historiis exempla sunt. Ita Cyprianus Ep. 1 ad Cler. Furnitan. p. 169 ed. Amsteled. 1700, oblationem fieri, precesque in Ecclesia fundi vetuit pro Geminio Victore, quod contra ecclesiasticam regulam, Presbyterum tutorem suo testamento constituerat. Pene simile decretum extat in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ can. 81 apud Harduinum collect. concil. t. 1 col. 907, ubi de Episcopo, qui ethnicos, aut hæreticos heredes scripserat, habentur hæc: *post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur.* Hinc Augustinus Ep. 185 ad Bonifac. n. 4 opp. t. 2 col. 644 ed. Ven 1729, de Cæciliano, quem Donatistæ accusabant, dicit hæc: «Si vera essent, quæ ab eis Cæciliano objecta sunt..... ipsum jam mortuum anathematizaremus.» Alia etiam consequenti ætate occurrunt exempla ejusdem ecclesiasticæ disciplinæ.

(2) Cap. 28 de Sentent. excommun.

APPENDIX.

EXCERPTA EX COD. PŒN. NOVIS. HISP., DE IIS QUÆ PERSONAS AC RES ECCLESIASTICAS SPECTANT.

LIB. 1 TIT. 1 CAP. 4.

Art. 10. Son circunstancias agravantes:

Art. 19. Cometer el delito en lugar sagrado, inmune, ó donde la Autoridad pública se halle ejerciendo sus funciones.

TIT. 3, CAP. 1.

Art. 25. La ley no reconoce pena alguna infamante.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAP. 5, SEC. 2.

Art. 38. Cuando la pena de inhabilitacion en cualquiera de sus grados, y la de suspension, recaigan en personas eclesiásticas, se limitarán sus efectos á los cargos, derechos y honores que no tengan por la Iglesia. Los eclesiásticos incursos en dichas penas, quedarán impedidos en todo el tiempo de su duracion para ejercer en el Reino la jurisdiccion eclesiástica, la cura de almas y el ministerio de la predicacion, y para percibir las rentas eclesiásticas, salva la congrua.

CAP. 5, SEC. 2.

Art. 89. §. *fin.*

La pena de muerte no se ejecutará en dias de fiesta religiosa ó nacional.

Art. 92. *In fin.* El entierro del ejecutado no podrá hacerse con pompa.

LIB. 2, TIT. 1.

Art. 128. La tentativa para abolir ó variar en España la Religion católica, apostólica, romana, será castigada con las penas de reclusion temporal y estrañamiento perpétuo, si el culpable se hallare constituido en autoridad pública y cometiere el delito abusando de ella. No concurriendo estas circunstancias, la pena será la de prision mayor; y en caso de reincidencia, la de estrañamiento perpétuo.

Art. 129. El que celebre actos públicos de un culto que no sea el de la Religion católica, apostólica, romana, será castigado con la pena de estrañamiento temporal.

Art. 130. Serán castigados con la pena de prision corrreccional:

1.° El que inculcare públicamente la inobservancia de los preceptos religiosos.

2.° El que con igual publicidad se mofare de alguno de los misterios ó sacramentos de la Iglesia, ó de otra manera escitare á su desprecio

3.° El que habiendo propalado doctrinas ó máximas contrarias al dogma católico, persistiere en publicarlas despues de haber sido condenadas por la Autoridad eclesiástica.

El reincidente en estos delitos, será castigado con el estrañamiento temporal.

Art. 131. El que hollare, arrojare al suelo, ó de otra manera profanare las sagradas formas de la Eucaristia, será castigado con la pena de reclusion temporal.

Art. 132. El que con el fin de escarnecer la Religion, hollare ó profanare imágenes, vasos sagrados ú otros objetos destinados al culto, será castigado con la pena de prision mayor.

Art. 133. El que con palabras ó hechos escarneciere públicamente alguno de los ritos ó prácticas de la Religion, si lo hiciere en el templo ó en cualquier acto del culto, será castigado con una multa de 20 á 200 duros, y el arresto mayor. En otro caso, se le impondrá una multa de 15 á 150 duros, y el arresto menor.

Art. 134. El que maltratare de obra á un Ministro de la Religion cuando se halle ejerciendo las funciones de su ministerio, será castigado con la pena de prision mayor.

El que le ofendiere en iguales circunstancias con palabras ó ademanes,

será castigado con la pena superior en un grado á la que corresponda por la injuria irrogada.

Art. 135. Los que por medio de violencia, desórden ó escándalo impidieren ó turbaren el ejercicio del culto público dentro ó fuera del templo, serán castigados con la pena de prision correccional.

En caso de reincidencia, lo serán con la de prision menor.

Art. 136. El español que apostatare públicamente de la Religion católica, apostólica, romana, será castigado con la pena de estrañamiento perpétuo.

Esta pena cesará desde el momento en que vuelva al gremio de la Iglesia.

Art. 137. A todos los que cometieren los delitos de que se trata en los artículos anteriores, se impondrá, ademas de las penas en ellos señaladas, la de inhabilitacion perpétua para toda profesion ó cargo de enseñanza.

Art. 138. El que exhumare cadáveres humanos, los mutilare ó profanare de cualquier otra manera, será castigado con la pena de prision correccional.

TIT. 2, CAP. 2.

Art. 145. El que sin los requisitos que prescriben las leyes, ejecutare en el Reino bulas, breves, requisitos ó despachos de la corte pontificia, ó les diere curso, ó los publicare, será castigado con las penas de prision correccional y multa de 500 á 5,000 duros.

Si el delincuente fuere eclesiastico, la pena será la de estrañamiento temporal; y en caso de reincidencia, la de estrañamiento perpétuo.

Art. 150. El que en desempeño de un cargo público comprometiere la dignidad, la fé ó los intereses de la nacion española, será castigado con las penas de prision mayor é inhabilitacion perpétua para el cargo que ejerciere.

TIT. 3, CAP. 2, SEC. 1.

Art. 168. Los que induciendo y determinando á los rebeldes, hubieren promovido ó sostuvieren la rebelion, y los caudillos principales de esta, sufrirán la pena de muerte.

Art. 169. Los que ejercieren un mando subalterno en la rebelion, serán castigados con la pena de cadena perpétua á la de muerte:

1.° Si fueren personas constituidas actualmente en Autoridad civil ó eclesiástica, ó si hubiere habido combate entre los rebeldes con la fuerza pública fiel al Gobierno, ó entre unos ciudadanos contra otros, ó si hubieren causado estragos que hayan puesto en peligro la vida de las personas.

2.° Si sacaren gente, exigieren contribuciones ó distrajeren los caudales públicos de su legítima inversion.

En cualquier otro caso, serán castigados con la pena de cadena temporal, en su grado máximo á la de muerte; en cuya pena incurrirán tambien los que toquen ó manden tocar campanas ó cualquier otro instrumento para escitar á la rebelion, y los que para el mismo fin dirigieren á la muchedumbre sermones, arengas, pastorales ú otro género de discursos ó impresos, si la rebelion llegare á consumarse; á no ser que merecieren la calificacion de promovedores.

SEC. 2.

Art. 175. Los que induciendo y determinando á los sediciosos, hubieren

promovido ó sostuvieren la sedicion, y los caudillos principales de esta, serán castigados:

1.° Los que ejerzan Autoridad civil ó eclesiástica, con la pena de cadena perpétua, si se hubieren apoderado de caudales ú otros bienes públicos ó de particulares; y con la de reclusion perpétua en otro caso.

2.° Los que no ejercieren Autoridad, con la de cadena temporal, si se hubieren apoderado de los caudales ó bienes de que se habla en el número anterior: y con la de reclusion temporal en otro caso.

SEC. 5.

Art. 185. A los eclesiásticos y empleados públicos, que cometieren alguno de los delitos de que se trata en las dos secciones anteriores, se impondrá en su grado máximo la pena que le corresponda segun su culpabilidad, y ademas la de inhabilitacion absoluta perpétua. Esta disposicion no tendrá lugar en el caso de ser aplicables las de los artículos 168 y 175.

CAP. 5.

Art. 201. En el caso de hallarse constituido en Autoridad civil ó eclesiástica el que cometiere los delitos espresados en este capítulo (atentados y desacatos contra la Autoridad, y otros desórdenes públicos), será castigado con el máximo de la respectiva pena, y con la de inhabilitacion perpétua especial, á la de inhabilitacion absoluta perpétua.

Art. 202. Los eclesiásticos que en el ejercicio de su ministerio provocaren á la ejecucion de cualquiera de los delitos comprendidos en este capítulo, serán castigados con la pena de destierro, si sus provocaciones no surtieren efecto, y con la de confinamiento menor si lo produjeren.

CAP. 4. SEC. 2.

Art. 211. Es tambien ilícita toda asociacion de mas de veinte personas, que se reuna diariamente, ó en dias señalados, para tratar de asuntos religiosos, literarios ó de cualquier otra clase, siempre que no se haya formado con el consentimiento de la autoridad pública, ó se faltare á las condiciones que esta le hubiere fijado.

Art. 212. La asociacion de que trata el artículo anterior, será disuelta, y sus directores, gefes ó administradores serán castigados con la multa de 20 á 200 duros; y en caso de reincidencia, con la de arresto mayor y doble multa. En las mismas penas incurrirán los que prestaren para la asociacion las casas que posean, administren ó habiten.

TIT. 4 CAP. 4. SEC. 1.

Art. 226. Será castigado con las penas de cadena temporal y multa de 100 á 1,000 duros el eclesiástico ó empleado público que, abusando de su oficio, cometiere falsedad:

1.° Contrahaciendo ó fingiendo letra, firma ó rúbrica.

2.° Suponiendo en un acto la intervencion de personas que no la han tenido.

3.° Atribuyendo á las que han intervenido en él, declaraciones ó manifestaciones diferentes de las que hubieren hecho.

4.° Faltando á la verdad en la narracion de los hechos.

5.° Alterando las fechas verdaderas.

6.° Haciendo en documento verdadero cualquiera alteracion ó intercalacion que varíe su sentido.

7.° Dando copia en forma fehaciente de un documento supuesto, ó manifestando en ella cosa contraria ó diferente de lo que contenga el verdadero original.

8.° Ocultando en perjuicio del Estado ó de un particular cualquier documento oficial.

CAP. 7.

Art. 250. El que usurpare carácter que habilite para la administracion de Sacramentos y ejerciere actos propios de él, será castigado con la pena de presidio mayor. Si la usurpacion fuere del carácter de diácono ó subdiácono, la pena será la de presidio correccional.

Art. 252. El simple uso del hábito, insignias ó uniforme propios del estado clerical ó de un cargo público, será castigado con arresto mayor y multa de 10 á 100 duros.

TIT. 8. CAP. 3.

Art. 278. El eclesiástico ó empleado público que sustraiga ó destruya documentos ó papeles, que le estuvieren confiados por razon de su cargo, será castigado:

1.° Con las penas de prision mayor y multa de 50 á 500 duros, siempre que del hecho resulte grave daño de tercero ó de la causa pública.

2.° Con las de prision correccional y multa de 20 á 200 duros, cuando no concurrieren aquellas circunstancias.

En uno y otro caso se impondrá ademas la pena de inhabilitacion perpetua especial.

CAP. 9.

Art. 304. El eclesiástico que en sermon, discurso, edicto, pastoral ú otro documento á que diere publicidad, censurare como contrarias á la Religion cualquiera ley, decreto, órden, disposicion ó providencia de la autoridad pública, será castigado con la pena de destierro.

Art. 305. El eclesiástico que, requerido por el tribunal competente, rehusare remitirle los autos pedidos para la decision de un recurso de fuerza interpuesto, ó alzar las censuras ó la fuerza, será castigado con la pena de inhabilitacion temporal. La reincidencia se castigará con la pena de inhabilitacion perpetua especial.

Art. 306. Las penas señaladas en los capítulos precedentes de este título á los delitos que cometan los empleados públicos en el ejercicio de sus cargos, se impondrán á los eclesiásticos que abusen de la jurisdiccion ó autoridad que ejerzan, en cuanto sean aplicables.

CAP. 10.

Art. 309. El empleado público que, legalmente requerido de inhibicion, continuare procediendo antes que se decida la contienda, será castigado con una multa de 20 á 200 duros.

CAP. 12.

Art. 315. El empleado público que en el ejercicio de su cargo cometiere

algun abuso que no esté penado especialmente en los artículos precedentes de este título, incurrirá en una multa de 20 á 200 duros, cuando el daño causado por el abuso no fuere estimable, y del 20 á 100 por 100 de su valor cuando lo fuere; pero nunca bajará de 20 duros.

TIT. 9. CAP. 4.

Art. 346. Las lesiones menos graves inferidas á padres, ascendientes, tutores, curadores, sacerdotes, maestros ó personas constituidas en dignidad ó autoridad pública, serán castigadas siempre con prision correccional.

CAP. 5.

Art. 348. El marido que, sorprendiendo en adulterio á su muger, matare en el acto á esta ó al adúltero, ó los causare alguna de las lesiones graves, será castigado con la pena de destierro. Si les causare lesiones de otra clase, quedará exento de pena. Estas reglas son aplicables en iguales circunstancias á los padres respecto de sus hijas menores de 23 años y sus corruptores, mientras aquellas vivieren en la casa paterna. El beneficio de este artículo no aprovecha á los que hubieren promovido ó facilitado la prostitucion de sus mugeres ó hijas.

TIT. 10. CAP. 1.

Art. 358. El adulterio será castigado con la pena de prision menor.

Cometen el adulterio la muger casada que yace con varon que no sea su marido, y el que yace con ella, sabiendo que es casada, aunque despues se declare nulo el matrimonio.

Art. 359. No se impondrá pena por el delito de adulterio, sino en virtud de querella del marido agraviado. Este no podrá deducirla sino contra ambos culpables, si uno y otro vivieren, y nunca si hubiere consentido el adulterio ó perdonado á cualquiera de ellos.

Art. 360. El marido podrá en cualquier tiempo remitir la pena impuesta á su consorte, volviendo á reunirse con ella. En este caso se tendrá tambien por remitida la pena al adultero.

Art. 361. La ejecutoria en causa de divorcio por adulterio, surtirá sus efectos plenamente en lo penal cuando fuere absolutoria. Si fuere condenatoria, será necesario nuevo juicio para la imposicion de las penas.

Art. 362. El marido que tuviere manceba dentro de la casa conyugal, ó fuera de ella con escándalo, será castigado con la pena de prision correccional. La manceba será castigada con la de destierro.

Lo dispuesto en los artículos 359 y 360, es aplicable al caso de que se trata en el presente.

CAP. 2.

Art. 363. La violacion de una muger será castigada con la pena de cadena temporal.

Se comete violacion yaciendo con la muger en cualquiera de los casos siguientes:

1.° Cuando se usa de fuerza ó intimidacion.

2.° Cuando la muger se halle privada de razon ó de sentido por cualquiera causa.

3.° Cuando sea menor de 12 años cumplidos, aunque no concurra ninguna de las circunstancias espresadas en los dos números anteriores.

Art. 364. El que abusare deshonestamente de persona de uno ú otro sexo, concurriendo cualquiera de las circunstancias espresadas en el artículo anterior, será castigado segun la gravedad del hecho con la pena de prision correccional á prision menor.

Art. 365. Serán castigados con la pena de arresto mayor á prision correccional y reprension pública, los que de cualquier modo ofendieren el pudor ó las buenas costumbres con hechos de grave escándalo ó trascendencia, no comprendidos espresamente en otros artículos de este Código. En caso de reincidencia, con la de prision correccional á prision menor y reprension pública.

CAP. 3.

Art. 366. El estupro de una doncella mayor de 12 años y menor de 23, cometido por autoridad pública, sacerdote, criado, doméstico, tutor, maestro ó encargado por cualquier título de la educacion ó guarda de la estuprada, se castigará con la pena de prision menor. En la misma pena incurrirá el que cometiere estupro con su hermana ó descendiente, aunque sea mayor de 23 años. El estupro cometido por cualquiera otra persona interviniendo engaño, se castigará con la pena de prision correccional. Cualquiera otro abuso deshonesto cometido por las mismas personas y en iguales circunstancias, será castigado con la prision correccional.

Art. 367. El que habitualmente, ó con abuso de autoridad ó confianza, promoviere ó facilitare la prostitucion ó corrupcion de menores de edad, para satisfacer los deseos de otro, será castigado con la prision correccional.

CAP. 4.

Art. 368. El rapto de una muger, ejecutado contra su voluntad y con miras deshonestas, será castigado con la pena de cadena temporal. En todo caso se impondrá la misma pena si la robada fuere menor de 12 años.

Art. 369. El rapto de una doncella menor de 23 años y mayor de 12, ejecutado con su anuencia, será castigado con la pena de prision menor.

Art. 370. Los reos del delito de rapto que no dieren razon del paradero de la persona robada, ó esplicacion satisfactoria sobre su muerte ó desaparicion, serán castigados con la pena de cadena perpétua.

CAP. 5.

Art. 371. No puede procederse por causa de estupro sino á instancia de la agraviada ó de su tutor, padres ó abuelos. Para proceder en las causas de violacion y en las de rapto ejecutado con miras deshonestas, bastará la denuncia de la persona interesada, de sus padres, abuelos ó tutores, aunque no formalicen instancia. Si la persona agraviada careciese por su edad ó estado moral de personalidad para estar en juicio, y fuere ademas de todo punto desvalida, careciendo de padres, abuelos, hermanos, tutor ó curador que denuncien, podrán verificarlo el procurador síndico ó el fiscal por fama pública. En todos los casos del presente artículo, el ofensor se libra de la pena casándose con la ofendida, cesando el procedimiento en cualquier estado de él en que lo verifique.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Art. 372. Los reos de violacion, estupro ó rapto serán tambien condenados por via de indemnizacion:

1.° A dotar á la ofendida, si fuere soltera ó viuda.

2.° A reconocer la prole, si la calidad de su orígen no lo impidiere.

3.° En todo caso á mantener la prole.

Art. 373. Los ascendientes, tutores, curadores, maestros, y cualesquiera personas que con abuso de autoridad ó encargo cooperaren como cómplices á la perpetracion de los delitos comprendidos en los tres capítulos precedentes, serán castigados como autores. Los maestros ó encargados en cualquier manera de la educacion ó direccion de la juventud, serán además condenados á la inhabilitacion perpétua especial.

Art. 374. Los comprendidos en el artículo precedente, y cualesquiera otros reos de corrupcion de menores en interés de tercero, serán condenados con las penas de interdiccion del derecho de ejercer la tutela y ser miembros del consejo de familia, y de sujecion á la vigilancia de la autoridad por el tiempo que los tribunales determinen.

TIT. 12. CAP. 2.

Art. 395. El que contrajere segundo ó ulterior matrimonio sin hallarse legítimamente disuelto el anterior, será castigado con la pena de prision mayor. En igual pena incurrirá el que contrajere matrimonio estando ordenado *in sacris*, ó ligado con voto solemne de castidad.

Art. 396. El que con algun otro impedimento dirimente no dispensable por la Iglesia contrajere matrimonio, será castigado con la pena de prision menor.

Art. 397. El que contrajere matrimonio mediando algun impedimento dispensable por la Iglesia, será castigado con la multa de 10 á 100 duros. Si por culpa suya no revalidare el matrimonio, prévia dispensa, en el término que los tribunales designen, será castigado con la pena de prision menor, de la cual quedará relevado cuando quiera que se revalide el matrimonio.

Art. 398. El que en un matrimonio ilegal, pero válido segun las disposiciones de la Iglesia, hiciere intervenir al párroco por sorpresa ó engaño, será castigado con la pena de prision correccional. Si le hiciere intervenir con violencia ó intimidacion, será castigado con la de prision menor.

Art. 399. El menor que contrajere matrimonio sin el consentimiento de sus padres ó de las personas que para el efecto hagan sus veces, será castigado con prision correccional. La pena será de arresto mayor si las personas espresadas aprobaren el matrimonio despues de contraido.

Art. 400. La viuda que casare antes de los 301 dias desde la muerte de su marido, ó antes de su alumbramiento si hubiere quedado en cinta, incurrirá en las penas de arresto mayor y multa de 20 á 200 duros. En la misma pena incurrirá la muger, cuyo matrimonio se hubiere declarado nulo, si casare antes de su alumbramiento ó de haberse cumplido 301 dias de la separacion legal.

Art. 401. El adoptante que sin prévia dispensa civil contrajere matrimonio con sus hijos ó descendientes adoptivos, será castigado con la pena de arresto mayor.

Art. 402. El tutor ó curador que antes de la aprobacion legal de sus cuentas, contrajere matrimonio ó prestare su consentimiento para que lo contraigan sus hijos ó descendientes, con la persona que tuviere ó hubiere tenido

en guarda, será castigado con las penas de prision correccional y multa de 100 á 1,000 duros.

Art. 403. El Eclesiástico que autorizare matrimonio prohibido por la ley civil, ó para el cual haya algun impedimento canónico no dispensable, será castigado con las penas de confinamiento menor y multa de 50 á 500 duros. Si el impedimento fuere dispensable, las penas serán destierro y multa de 20 á 200 duros. En uno y otro caso se le condenará, por via de indemnizacion de perjuicios, al abono de los costos de la dispensa mancomunadamente con el cónyuge doloso. Si hubiera habido buena fé por parte de ambos contrayentes será condenado por el todo.

Art. 404. En todos los casos de este capítulo, el contrayente doloso será condenado á dotar, segun su posibilidad, á la muger que hubiere contraido matrimonio de buena fé.

TIT. 13. CAP. 6.

Art. 420. El que sin estar legítimamente autorizado, impidiere á otro con violencia hacer lo que la ley no prohibe, ó le compeliere á ejecutar lo que no quiera, sea justo ó injusto, será castigado con las penas de arresto mayor y multa de 5 á 50 duros.

TIT. 14. CAP. 1 SEC. 2.

Art. 431. Los malhechores que, llevando armas, robaren en iglesia ó lugar sagrado, incurrirán en la pena de presidio mayor en su grado medio á cadena temporal, si cometieren el delito:

1.° Con escalamiento. Hay escalamiento cuando se entra por una via que no sea la destinada al efecto.

2.° Con rompimiento de pared ó techo, ó fractura de puertas ó ventanas.

3.° Haciendo uso de llaves falsas, ganzúas ú otros instrumentos semejantes, para entrar en el lugar del robo

4.° Introduciéndose en el lugar del robo á favor de nombres supuestos ó simulacion de Autoridad.

5.° En despoblado y en cuadrilla.

En caso de reincidencia, serán castigados con la pena de cadena temporal en su grado medio al máximo. En las mismas penas incurrirán respectivamente los que con iguales circustancias robaren en lugar habitado. Cuando en este último caso no mediare reincidencia, y el valor de los objetos robados no llegare á 100 duros, la pena será la de presidio mayor.

Art. 432. Los que sin armas robaren en iglesia ó lugar habitado con alguna de las circunstancias del artículo anterior, serán castigados con la pena de presidio menor en su grado máximo, á presidio mayor en su grado medio.

Art. 455. En los casos de robo en lugar no habitado con armas y fractura, y de robo menor de 100 duros, el robo de objetos destinados al culto, cometido en lugar sagrado ó en acto religioso, será castigado con pena de presidio mayor.

CAP. 2.

Art. 439. El hurto se castigará con las penas inmediatamente superiores en grado á las respectivamente señaladas en el artículo anterior (presidio menor, presidio correccional y arresto mayor en su grado mínimo).

1.° Si fuere de cosas destinadas al culto, y se cometiere en lugar sagrado ó en acto religioso.

2.° Si fuere doméstico ó interviniere grave abuso de confianza.
3.° Si el reo fuere reincidente en la misma ó semejante especie de delito.

LIB. 3. TIT. 1.

Art. 481. Serán castigados con las penas de arresto de uno á diez dias, multa de 3 á 15 duros y reprension:

1.° El que blasfeme públicamente de Dios, de la Virgen, de los Santos ó de las cosas sagradas

2.° El que en la misma forma con dichos, con hechos. ó por medio de estampas, dibujos ó figuras cometiere irreverencia contra las cosas sagradas ó contra los dogmas de la Religion. sin llegar al escarnio de que habla el art. 133.

3.° Los que en menor escala que la determinada en dicho artículo, cometieren simple irreverencia en los templos ó á las puertas de ellos, y los que en las mismas inquieten, denuesten ó zahieran á los fieles que concurren á los actos religiosos.

4.° El que públicamente maldigere al Rey, ó con otras espresiones cometiere desacato contra su sagrada Persona.

Art. 482. Incurren en las penas de uno á cinco dias de arresto, de 1 á 10 duros de multa y reprension:

1.° Los que públicamente ofendieren al pudor con acciones ó dichos deshonestos.

2.° El que esponga al público, y el que, con publicidad ó sin ella, espenda estampas, dibujos ó figuras que ofendan al pudor y á las buenas costumbres. Los Jueces y Tribunales calificarán prudencialmente cuando hay publicidad en los casos del presente artículo y del anterior, segun las circunstancias del lugar, tiempo y personas, y escándalo producido por la falta.

Art. 493. Incurrirá en la multa de medio duro á 4:

1.° El que teniendo obligacion de presentar al párroco un recien nacido para su bautismo, no lo hiciere dentro del término de la ley.

2.° El que no diere los partes de defuncion contraviniendo á la ley ó reglamentos.

6.° El que con objeto de lucro, interpretare sueños, hiciere pronósticos ó adivinaciones, ó abusare de la credulidad de otra manera semejante

MONITUM.

De nova expediendi civilis Processus methodo, Reg. decreto 30 Sept. 1853 inducta, quam ad tertii libri calcem inseruimus, prodiit 18 Aug. labentis an. 1854 similis alia dispositio, quæ sic se habet:

«En consideracion á lo que me ha espuesto el Ministro de Gracia y Justicia, de conformidad con el parecer del Consejo de ministros, vengo en »decretar lo siguiente:

Artículo 1°. «Se suspende la observancia de la Real Instruccion de »30 de Setiembre de 1853 sobre el procedimiento civil con respecto á la »Real jurisdiccion ordinaria.

Art. 2.° «Los tribunales y juzgados se atemperarán en la sustanciacion »sucesiva de los pleitos pendientes y de los que se suscitaren, á lo que »prescriben las leyes recopiladas, y demas disposiciones vigentes con an»terioridad á dicha Instruccion.»

SYLLABUS CHRONOLOGICUS

Romanum Pontificum ex Florezio in clave Historiali.

S. Petrus cœpit	An. 43	*Eulalius, Antipapa.*	
S. Linus	An. 67	S. Cælestinus I	An. 423
S. Cletus	An. 78	S. Sixtus III	An. 432
S. Clemens I	An. 91	S. Leo I (M.)	An. 440
S. Anacletus	An. 101	S. Hilarius	An. 461
S. Evaristus	An. 110	S. Simplicius	An. 467
S. Alexander I	An. 119	S. Felix III	An. 483
S. Sixtus I	An. 130	S. Gelasius I	An. 492
S. Telesphorus	An. 140	S. Anastasius II	An. 496
S. Hyginus	An. 152	S. Symachus	An. 498
S. Pius I	An. 156	*Laurentius, Antipapa.*	
S. Anicetus	An. 167	S Hormisdas	An. 514
S. Soter	An. 173	S. Joannes I	An. 523
S. Eleutherus	An. 177	S. Felix IV	An. 527
S. Victor I	An. 192	S. Bonifacius II	An. 530
S. Zepherinus	An. 201	*Dioscorus, Antipapa.*	
S. Calixtus I	An. 219	Joannes II	An. 532
S. Urbanus I	An. 224	S. Agapetus I	An. 535
S. Pontianus	An. 231	S. Silverius	An. 536
S. Anterus	An. 235	Vigilius	An. 540
S Fabianus	An. 236	S. Pelagius I	An. 555
S. Cornelius	An. 251	S. Joannes III	An. 559
Novatianus, Antipapa.		S. Benedictus I	An. 573
S. Lucius I	An. 253	Pelagius II	An. 577
S. Stephanus I	An. 253	S. Gregorius M.	An. 590
S. Sixtus II	An. 257	Sabinianus	An. 604
S. Dionysius	An. 258	Bonifacius III	An. 606
S. Felix I	An. 270	Bonifacius IV	An. 607
S. Euthychianus	An. 275	Deusdedit	An. 614
S. Cajus	An. 283	Bonifacius V	An. 617
S. Marcellinus	An. 296	Honorius I	An. 625
S. Marcellus I	An. 304	Severinus	An. 639
S. Eusebius	An. 309	Joannes IV	An. 640
S. Melchiades	An. 311	Theodorus I	An. 642
S. Sylvester I	An. 314	S. Martinus I	An. 649
S. Marcus	An. 336	Eugenius I	An. 655
S. Julius I	An. 336	Vitalianus	An. 655
S. Liberius	An. 352	Adeodatus	An. 669
S. Felix II	An. 354	Donus I	An. 676
S. Damasus I	An. 367	S. Agatho	An. 678
Ursicinus, Antipapa.		S. Leo II	An. 683
S. Siricius	An. 385	S. Benedictus II	An. 684
S. Anastasius I	An. 398	Joannes V	An. 685
S. Innocentius I	An. 402	*Petrus, et Theodrous, Antipapæ.*	
S. Zosimus	An. 417	Conon	An. 686
S. Bonifacius I	An. 418	S. Sergius I	An. 687

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2.° Si fuere doméstico ó interviniere grave abuso de confianza.
3.° Si el reo fuere reincidente en la misma ó semejante especie de delito.

LIB. 3. TIT. 1.

Art. 481. Serán castigados con las penas de arresto de uno á diez dias, multa de 3 á 15 duros y reprension:

1.° El que blasfeme públicamente de Dios, de la Virgen, de los Santos ó de las cosas sagradas

2.° El que en la misma forma con dichos, con hechos. ó por medio de estampas, dibujos ó figuras cometiere irreverencia contra las cosas sagradas ó contra los dogmas de la Religion. sin llegar al escarnio de que habla el art. 133.

3.° Los que en menor escala que la determinada en dicho artículo, cometieren simple irreverencia en los templos ó á las puertas de ellos, y los que en las mismas inquieten, denuesten ó zahieran á los fieles que concurren á los actos religiosos.

4.° El que públicamente maldigere al Rey, ó con otras espresiones cometiere desacato contra su sagrada Persona.

Art. 482. Incurren en las penas de uno á cinco dias de arresto, de 1 á 10 duros de multa y reprension:

1.° Los que públicamente ofendieren al pudor con acciones ó dichos deshonestos.

2.° El que esponga al público, y el que, con publicidad ó sin ella, espenda estampas, dibujos ó figuras que ofendan al pudor y á las buenas costumbres. Los Jueces y Tribunales calificarán prudencialmente cuando hay publicidad en los casos del presente artículo y del anterior, segun las circunstancias del lugar, tiempo y personas, y escándalo producido por la falta.

Art. 493. Incurrirá en la multa de medio duro á 4:

1.° El que teniendo obligacion de presentar al párroco un recien nacido para su bautismo, no lo hiciere dentro del término de la ley.

2.° El que no diere los partes de defuncion contraviniendo á la ley ó reglamentos.

6.° El que con objeto de lucro, interpretare sueños, hiciere pronósticos ó adivinaciones, ó abusare de la credulidad de otra manera semejante

MONITUM.

De nova expediendi civilis Processus methodo, Reg. decreto 30 Sept. 1853 inducta, quam ad tertii libri calcem inseruimus, prodiit 18 Aug. labentis an. 1854 similis alia dispositio, quæ sic se habet:

«En consideracion á lo que me ha espuesto el Ministro de Gracia y Justicia, de conformidad con el parecer del Consejo de ministros, vengo en »decretar lo siguiente:

Artículo 1°. «Se suspende la observancia de la Real Instruccion de »30 de Setiembre de 1853 sobre el procedimiento civil con respecto á la »Real jurisdiccion ordinaria.

Art. 2.° «Los tribunales y juzgados se atemperarán en la sustanciacion »sucesiva de los pleitos pendientes y de los que se suscitaren, á lo que »prescriben las leyes recopiladas, y demas disposiciones vigentes con an»terioridad á dicha Instruccion.»

SYLLABUS CHRONOLOGICUS

Romanum Pontificum ex Florezio in clave Historiali.

S. Petrus cœpit	An. 43	*Eulalius, Antipapa.*	
S. Linus	An. 67	S. Cælestinus I	An. 423
S. Cletus	An. 78	S. Sixtus III	An. 432
S. Clemens I	An. 91	S. Leo I (M.)	An. 440
S. Anacletus	An. 101	S. Hilarius	An. 461
S. Evaristus	An. 110	S. Simplicius	An. 467
S. Alexander I	An. 119	S. Felix III	An. 483
S. Sixtus I	An. 130	S. Gelasius I	An. 492
S. Telesphorus	An. 140	S. Anastasius II	An. 496
S. Hyginus	An. 152	S. Symachus	An. 498
S. Pius I	An. 156	*Laurentius, Antipapa.*	
S. Anicetus	An. 167	S Hormisdas	An. 514
S. Soter	An. 173	S. Joannes I	An. 523
S. Eleutherus	An. 177	S. Felix IV	An. 527
S. Victor I	An. 192	S. Bonifacius II	An. 530
S. Zepherinus	An. 201	*Dioscorus, Antipapa.*	
S. Calixtus I	An. 219	Joannes II	An. 532
S. Urbanus I	An. 224	S. Agapetus I	An. 535
S. Pontianus	An. 231	S. Silverius	An. 536
S. Anterus	An. 235	Vigilius	An. 540
S Fabianus	An. 236	S. Pelagius I	An. 555
S. Cornelius	An. 251	S. Joannes III	An. 559
Novatianus, Antipapa.		S. Benedictus I	An. 573
S. Lucius I	An. 253	Pelagius II	An. 577
S. Stephanus I	An. 253	S. Gregorius M.	An. 590
S. Sixtus II	An. 257	Sabinianus	An. 604
S. Dionysius	An. 258	Bonifacius III	An. 606
S. Felix I	An. 270	Bonifacius IV	An. 607
S. Euthychianus	An. 275	Deusdedit	An. 614
S. Cajus	An. 283	Bonifacius V	An. 617
S. Marcellinus	An. 296	Honorius I	An. 625
S. Marcellus I	An. 304	Severinus	An. 639
S. Eusebius	An. 309	Joannes IV	An. 640
S. Melchiades	An. 311	Theodorus I	An. 642
S. Sylvester I	An. 314	S. Martinus I	An. 649
S. Marcus	An. 336	Eugenius I	An. 655
S. Julius I	An. 336	Vitalianus	An. 655
S. Liberius	An. 352	Adeodatus	An. 669
S. Felix II	An. 354	Donus I	An. 676
S. Damasus I	An. 367	S. Agatho	An. 678
Ursicinus, Antipapa.		S. Leo II	An. 683
S. Siricius	An. 385	S. Benedictus II	An. 684
S. Anastasius I	An. 398	Joannes V	An. 685
S. Innocentius I	An. 402	*Petrus, et Theodrous, Antipapæ.*	
S. Zosimus	An. 417	Conon	An. 686
S. Bonifacius I	An. 418	S. Sergius I	An. 687

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Joanes VI	An. 701
Joannes VII	An. 705
Sinsinnius	An. 708
Constantinus	An. 708
Gregorius II	An. 714
Gregorius III	An. 731
S. Zacharias	An. 741
Stephanus II	An. 752
Stephanus III	An. 752
Theophilactus, Antipapa.	
Paulus I	An. 757
Constantinus, adhuc laicus, Antipapa.	
Philippus, Monachus, Antipapa	
Stephanus IV	An. 768
Hadrianus I	An. 772
Leo III.	An. 795
Stephanus V	An. 816
Paschalis I	An. 817
Eugenius II	An. 824
Zinzinus, Antipapa.	
Valentinus	An. 827
Gregorius IV	An. 827
Sergius II	An. 844
Leo IV	An. 847
Hic inserunt fabulam Joannæ Papissæ.	
Benedictus III	An. 855
Anastasius, Antipapa.	
S. Nicolaus I	An. 858
Hadrianus II	An. 867
Joannes VIII	An. 872
Martinus II aut Marinus I	An. 882
Hadrianus III	An. 884
Stephanus VI	An. 885
Formosus	An. 891
Sergius, Antipapa.	
Bonifacius VI	An. 896
Stephanus VII	An 896
Romanus	An. 897
Theodorus II	An. 898
Joannes IX	An. 898
Benedictus IV	An. 900
Leo V	An. 903
Christophorus	An. 903
Sergius III	An. 904
Anastasius III	An. 911
Landus	An. 913
Joannes X	An. 914
Leo VI	An. 928
Stephanus VIII	An. 929
Joannes XI	An. 931
Leo VII	An. 936
Stephanus IX	An. 939
Martinus III, aut Marinus II	An. 942
Agapetus II	An. 946
Joannes XII	An. 956
Leo VIII, Antipapa.	
Benedictus V	An. 964
Joannes XIII	An. 965
Benedictus VI	An. 972
Bonifacius VII, Antipapa.	
Donus II	An. 974
Benedictus VII	An. 975
Joannes XIV	An. 984
Joannes XV	An. 985
Gregorius V	An. 996
Joannes XVI, Antipapa.	
Sylvester II	An. 999
Joannes XVI, aut XVII	An. 1003
Joannes XVIII	An. 1003
Sergius IV	An. 1009
Benedictus VIII	An. 1012
Gregorius, Antipapa.	
Joannes XIX	An. 1024
Benedictus IX	An. 1033
Sylvester, Antipapa.	
Gregorius VI	An. 1044
Clemens II	An. 1046
Benedictus X iter.	An. 1047
Damasus II	An. 1048
S. Leo IX	An. 1049
Victor II	An. 1055
Stephanus X	An. 1057
Nicolaus II	An. 1058
Benedictus X, Antipapa.	
Alexander II	An. 1061
Honorius II, Antipapa.	
S. Gregorius VII	An. 1073
Clemens III, Antipapa.	
Victor III	An. 1086
Urbanus II	An. 1088
Paschalis II	An. 1099
Albertus, Theodoricus, et Sylvester III, Antipapæ.	
Gelasius II	An. 1118
Gregorius VIII, antea Mauritius, Antipapa.	
Calixtus II	An. 1119
Honorius II	An. 1124
Innocentius II	An. 1130

Anacletus II, et Victor IV, antea Gregorius, Antipapæ.	
Cælestinus II	An. 1143
Lucius II	An. 1144
Eugenius III	An. 1145
Anastasius IV	An. 1153
Hadrianus IV	An. 1154
Alexander III	An. 1159
Victor IV antea Octavianus, Paschalis III, Calixtus III, et Innocentius III. Antipapæ.	
Lucius III	An. 1181
Urbanus III	An. 1185
Gregorius VIII	An. 1185
Clemens III	An. 1187
Cælestinus III	An. 1191
Innocentius III	An. 1198
Honorius III	An. 1216
Gregorius IX	An. 1227
Cælestinus IV	An. 1241
Innocentius IV	An. 1243
Alexander IV	An. 1254
Urbanus IV	An. 1261
Clemens IV	An. 1265
Gregorius X	An. 1271
Innocentius V	An. 1276
Hadrianus V	An. 1276
Joannes XX	An. 1276
Nicolaus III	An. 1277
Martinus IV	An. 1281
Honorius IV	An. 1285
Nicolaus IV	An. 1288
S. Cælestinus V	An. 1294
Bonifacius VIII	An. 1294
S. Benedictus XI	An. 1303
Clemens V	An. 1305
Joannes XXI aut XXII	An. 1316
Nicolaus V, Antipapa.	
Benedictus XII	An. 1334
Clemens VI	An. 1342
Innocentius VI	An 1352
Urbanus V	An. 1362
Gregorius XI	An. 1371
Urbanus VI	An. 1378
Clemens VII, antipapa.	
Bonifacius IX	An. 1389
Innocentius VII	An. 1404
Benedictus XII, Antipapa.	
Gregorius XII	An. 1406
Alexander V	An. 1409
Joannes XXII, aut XXIII	An. 1410
Martinus V	An. 1417
Clemens VIII, Antipapa.	
Eugenius IV	An. 1431
Felix V, antea Amadeus, Dux Sabaudiæ, dein Monachus, Antipapa.	
Nicolaus V	An. 1447
Calixtus III	An. 1455
Pius II	An. 1458
Paulus II	An 1464
Sixtus IV	An. 1471
Innocentius VIII	An. 1484
Alexander VI	An. 1492
Pius III	An. 1503
Julius II	An. 1503
Leo X	An. 1513
Adrianus VI	An. 1522
Clemens VII	An. 1523
Paulus III	An. 1534
Julius III	An. 1550
Marcellus II	An. 1555
Paulus IV	An. 1555
Pius IV	An. 1559
S. Pius V	An. 1566
Gregorius XIII	An. 1572
Sixtus V	An. 1585
Urbanus VII	An. 1590
Gregorius XIV	An. 1590
Innocentius IX	An. 1591
Clemens XIII	An. 1592
Leo XI	An. 1605
Paulus V	An. 1605
Gregorius XV	An. 1621
Urbanus VIII	An. 1623
Innocentius X	An. 1644
Alexander VII	An. 1655
Clemens IX	An. 1667
Clemens X	An. 1670
Innocentius XI	An. 1676
Alexander VIII	An. 1689
Innocentius XII	An. 1691
Clemens XI	An. 1700
Innocentius XIII	An. 1721
Benedictus XIII	An. 1724
Clemens XII	An. 1750
Benedictus XIV	An. 1740
Clemens XIII	An. 1758
Clemens XIV	An. 1769
Pius VI	An. 1775
Pius VII	An. 1800
Leo XII	An. 1823
Pius VIII	An. 1829
Gregorius XVI	An. 1831
Pius IX	An. 1846

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

SYLLABUS

Conciliorum generalium, et particularium.

Concilia Generalia Græca.

I Nicænum I, an. 325
II Constantinopolit I 381
III Ephesinum 431
IV Chalcedonense 451
V Constantinopolit. II 553
VI Constantinopolit. III 680
681
VII Nicænum II 787
VIII Constantinopolit. IV 869
870

Latina.

IX Lateranense I 1123
X Lateranense II 1129
XI Lateranense III 1179
1180
XII Lateranense IV 1215
XIII Lugdunense I 1245
XIV Lugdunense II 1274
XV Viennense 1311
XVI Constantiense 1423
XVII Basileense, quod postea Florentiam translatum fuit, 1431, et seq.
XVIII Florentinum 1441
XIX Lateranense V 1511
XX Tridentinum, ab 1545 ad 1563

Concilia Particularia.

*Hac nota * designantur Concilia hæretica, vel non recepta.*

Hierosolymitanum I
Act. 1. 34
Hierosolymitanum II
Act. 6. 34
Hierosolymitanum III
Act 15. 51
Plura Asiatica, et Græca in Montanistas 173
Palæstinum, Ponticum, Galliæ, Osrhoenum, et duo Romana de Paschate 198
* Asianum de Paschate 198
* Africanum de Baptismo hæret. 217
Lambesitanum 240
Philadelphiæ 242
Arabiæ 249
Romanum de Lapsis 253
Carthaginense I 253
Romanum de Lapsis 254
Romanum adversus Novatianos 255
Carthaginense II 255
Africanum I 257
Romanum de hæreticorum baptismate 257
Africanum II 258
* Iconiense de hæreticorum baptismate 258
* Tria Carthaginensia de eodem 258
Neocæsareense 261
Romanum de Dionysio Alex. 264
Antiochenum I 265
Antiochenum II 272
Sinuessanum 302
Illiberitannm 303
* Cyrtense 305
* Carthaginense I 306
* Carthaginense II 308
Romanum 313
Arelatense 314
Ancyranum 314
Neocæsareense II 314
Romanum I 315
Alexandrinum I 315
Alexandrinum II 319
Laodicenum 320
Gangrense 324
Romanum II 324
Romanum III 325
Tyrium 335
Hierosolymitanum 335
Constantinopolitanum 336
Romanum I 337
Alexandrinum III 339
Antiochenum 341
Romanum II 341
Romanum III 342
* Antiochenum 344
Mediolanense 344

Agrippinense I 346
Sardicense 347
* Sardicense 347
Mediolanense II 347
Carthaginense I 348
Sirmiense III 349
Hierosolymitanum 350
Sirmiense II 351
Romanum 352
* Arelatense 353
* Mediolanense 355
* Biterrense 356
Sirmiense II 357
* Ancyranum 357
* Ariminense I 358
* Ariminense II 359
Selenciense 359
* Constantinopolitanum 359
* Antiochenum 360
Alexandrinum IV 362
Parisiense 363
Alexandrinum V 363
Antiochenum II 363
Lampsacenum 364
Siciliæ, Illiriæ, et Tyannense pro Nicæna fide 364
Tyannense II 365
Mediolanense III 365
Singedunense 366
Conciliabulum 366
Romanum I 368
Romanum II 369
Lampsacenum II 369
Romanum III 373
Valentinum 374
Antiochenum III 378
Cæsaraugustanum I 380
Aquilejense 381
Romanum IV 382
Constantinopolitanum 382
Sidæ 383
Burdigalense 385
Romanum 386
Trevirense 386
Capuense 389
Nemausense 389
Carthaginense II 390
Mediolanense IV 390
Ancyranum II 391
Hipponense 393
Constantinopolitanum 394
Adrumentinum 394
Bagajense 394
Taurinense 397
Quatuor Carthag 397 398
Alexandrinum 398
Constantinopolitanum 400
Toletanum I 400
Africanum 401
Africanum 401
Milevitanum 402
Ad Quercum 403
Africanum I 405
Africanum II 404
Africanum III 405
Africanum IV 407
Tria Africana 408
Africanum VIII 410
Ptolemaide 411
Collatio Cartaginensis 411
Cyrtense 412
Cartaginense III 412
Africanum 414
Macedonicum 414
Diospolitanum 415
Carthaginense IV 416
Milevitanum II 416
Africanum 418
Teleptense 418
Carthaginense V 418
Carthaginense VI 419
Carthag. sive African. 424
Orientale 427
Romanum 430
Alexandrinum VI 430
* Epherinum 431
Antiochenum IV 432
Romanum 433
Armeniæ 435
Constantinopolitanum 439
Reiense, seu Rhegiense 439
Arausicanum 441
Vasense 442
Romanum I 444
Romannm II 445
Incerti loci in Gallia 446
Hispanicum, sive Tolet. 447
Constantinopolitanum V 448
Tyri, et Beryti 448
* Constantinopolit. II 449
* Ephesinum 449
Romanum III 449
Constantinopolitanum 450
In Hibernia 450

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Mediolanense V	451	Constantinopolitanum	536
In Gallia, forte Arelate	451	Hierosolymitanum	536
Alexandrinum VII	452	Aurelianense	536
Andegavense	453	Aurelianense III	538
Hierosolymitanum	454	Barcinonense	540
Arelatense II	455	Byzacenum	541
Constantinopolitanum	459	Aurelianense IV	545
Turonicum	461	Ilerdense	546
Veneticum	463	Valentinum Hisp.	546
Cambricum	463	Constantinopolitanum	547
Viennense	474	Mopsuestiæ	550
Arelatense III et Lugdunense	475	Aurelianense V	552
Romanum I	483	Arvernense II	552
Constantinopolitanum	483	Hierosolymitanum	553
Romanum II	484	* Aquilejense	553
Romanum III	487	Arelatense V	554
Romanum I	494	Parisiense II	555
Romanum II	495	Parisiense III	557
Romanum I	499	Landavense I, II et III	560
Romanum II	500	Bracarense I	563
Romanum III	501	Santonense	566
Romanum IV	502	Turonense II	567
Romanum V	503	Lucense	569
Romanum VI	504	Lugdunense III	570
Byzacenum	504	Bracarense II	572
Agathense	506	Parisiense III	576
Aurelianense	511	Parisiense IV	580
* Sidonia Eutychianorum, et Acephalorum	512	Matisconense	581
		Cabilonense	582
Britannicum	512	Santonense II	582
Remense	514	Brennacense	583
Epiri	516	Antisiodorense	586
Tarraconense	516	Lugdunense IV	587
Gerundense	517	Valentinum	589
Epaonense	517	Constantinopolitanum	589
Lugdunense II	517	Toletanum III	589
Constantinopolitanum	518	Narbonense	589
Hierosolymitanum	518	Hispalense I	589
Tyri III	518	Romanum I	590
Romanum	518	Pictaviense	592
Britannicum II	519	Metense	592
Constantinopolitanum	520	Nemptodorense	592
Arelatense IV	524	Cæsaraugustanum II	592
Toletanum II	527	Romanum II	595
Carpentoractense	527	Toletanum	597
Arausicanum II	529	Oscense	598
Vasense II, et III	529	Barcinonense	599
Romanum I	530	Romanum III	601
Romanum II	530	Romanum IV	601
Romanum III	532	Wigorniense	601
Africanum	534	Byzacenum II	602
Arvernense	535	Cabilonense II	603

Numidiæ	604	Berghanstedense	697
Cantuariense	605	Aquilejense II	698
Romanum	606	Toletanum XVIII	701
Romanum	610	Romanum	705
Toletanum	610	Niddense	705
Egarense	614	Alnense	709
Parisiense V	615	Constantinopolitanum	712
Cantianum	617	Romanum I	721
Hispalense II	619	Romanum II	724
Matisconense II	624	Romanum III	726
Remense II	630	Romanum I	731
Alexandrinum	633	Romanum II	732
Toletanum IV	633	Clovesbonense	742
Toletanum V	636	Ratisbonense	742
Toletanum VI	638	Liptinense, vel Lestinense	743
Constantinopolitanum	639	Romanum I	743
Romanum	640	Suessionense	744
Aurelianense VI	645	Germaniæ	745
Numidiæ II	646	Romanum II	745
Byzacenum III	646	Clovesbonense II	747
Carthaginense VII	646	Vermeriense	752
Toletanum VII	646	Metense II	753
Romanum I	648	* Constantinopolitanum	754
Cabilonense III	650	Vernense	755
Toletanum VIII	653	Compendiense	757
Toletanum IX	655	Germaniæ II	759
Toletanum X	656	Romanum	761
Nannetense	658	Gentiliacense	766
Clipiacense	659	Romanum	769
Emeritense	666	Wormatiense	772
Romanum	667	Dilgolvingense	772
Anglicanum	672	Genuense	773
Augustodunense	672	Duriense	775
Hierdfordiense	673	Wormatiense II	776
Toletanum XI	675	Paderbornense I	777
Bracarense III	675	Lippiense	780
Anglicanum II	679	Paderbornense II	786
Mediolanense	679	Calchutense	787
Romanum	680	Ingilenheimense	788
Romano Britannicum	680	Narbonense II	788
Toletanum XII	681	Acleense	788
Rothomagense	682	Forojuliense	791
Toletanum XIII	683	Ratisbonense II	792
Toletanum XIV	684	Francofordiense	794
Galliarum	684	Finchalense	798
Toletanum XV	688	Bacanceldense	798
Cæsaraugustanum III	691	Romanum I	799
Constantinopolitanum	692	Aquisgranense	799
Toletanum XVI	693	Clovesbonense III	800
Toletanum XVII	694	Romanum II	800
Becansfeldense	694	Altianense	802
Ultrajectense	697	Aquisgranense II	802

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Clobesbonense IV 803
* Constantinopolit. III 806
Apud Theodonis Villam 806
Aquisgranense III 809
Arelatense VI 813
Turonense III 813
Cabilonense IV 813
Moguntinum 813
Remense III 813
* Constantinopolitanum 814
Apud Theodonis Villam 814
Noviomense 814
Aquisgranense IV 816
Celichytense 816
Aquisgranense V 817
Ingelmense 817
Altiniacense 821
* Parisiense 824
Romanun 826
Parisiense VI 829
* Compendiense 833
Metense III 835
Apud Theodonis Villam 835
Aquisgranense VI 836
Lugdunense 836
Catalaunense 839
Apud Aquas Sextias 842
Constantinopolitanum 842
Bellovacense 845
Meldense 845
Parisiense VII 846
Moguntinum II 847
Parisiense VIII 847
Moguntinum III 848
Turonense IV 849
Ticinense 849
* Cordubense 852
Suessionense II 853
Romanum 853
Constantinopolitanum 854
Valentinum 855
Ticinense II 855
Cressiacum 856
Moguntinum IV 857
* Constantinopolitanum 858
Tullense II 859
Constantinopolitanum 859
Ad Confluentem 860
*Romanum I 861
*Ad Aquas Sextias 862
Saponariæ 862
Metense IV 863
Romanum II 863
Romanum III 863
Sylvanectense 863
Romanum IV 863
Pistrinum 863
Romanum V 864
Romanum VI 865
Suessionense III 866
Trecense 867
Romanum 868
Wormatiense III 868
* Metense 869
* Vermeriæ 870
* Attiniacense 870
Coloniense 870
Duziacense 871
Ovetense 873
Ticinense III 876
Ponticonense II 876
Neustriæ 877
Trecense II 878
Romanum I 879
Romanum II 879
Romanum III 881
Coloniense II 887
Moguntinum, et Metense 888
Remense 893
Triburiense 895
· Romanum 897
Compostellanum 901
Romanum 901
Ravennatense 904
Barcinonense 906
Suessionense IV 909
Ad Confluentem 912
Troslejanum 924
Duisbergense 927
Erfordiense 932
Remense IV 935
Narbonense III 940
Suessionense V 941
* Constantinopolitanum 944
Virodunense 947
Astorgæ 947
Helenense 947
Musoniense 948
Ingelmense 948
Trevirense 948
Romanum 949
Ausburgense 952
Meldense II 962
*Romanum 963

Constantinopolitanum 963
Romanum 964
* Romanum 965
Ravennatense II 967
Anglicanum III 969
Romanum 971
Ingelmense II 972
Mutinense 973
Constantinopolitanum 975
Winchestrense 975
Rivipullense 977
Romanum 985
Landaviense 988
Romanum I 989
Remense V 989
Sylvanectense II 990
Remense VI 991
Urgellense 991
Romanum II 993
Musoniense II 995
Remense VII 995
Romanum III 996
Ravennatense III 997
Ticinense IV 997
Sandionysiacum 997
Romanum 998
Dortmondi 1005
Francofordiense II 1006
Barcinonense 1009
Bambergense 1011
Aurelianense VII 1017
Legionense 1020
Selgenstadense 1022
Leyrense 1022
Rotense 1022
Aquisgranense VIII 1022
Pampilonense 1023
Helenense 1027
Ausonense* 1027
Lemovicense 1029
Rivipullense 1032
Triburiense II 1035
Gerundense 1038
Fluvianense 1045
Arulense 1046
Sutriense 1046
Romanum I 1049
Remense VIII 1049
Moguntinum VI 1049
Romanum II 1050
Vercellense 1050
Cojacense 1050
Romanum 1051
Romanum 1053
Florentinum 1055
Lugdunense VI 1055
Turonense V 1055
Tolosanum 1056
Compostellanum 1056
Barcinonense 1058
Helenense 1058
Sutrinum II 1059
Romanum 1059
Parisiense VIII 1059
Faccense 1060
Basileense 1060
Osboritanum 1062
Pinnatense 1062
Romanum I 1063
Jaccense 1063
Mantuense 1064
Barcinonense 1064
Romanum II, et III 1065
Leyrense 1068
Gerundense 1068
Ausonense 1068
Wincestriense 1069
Moguntinum VII 1069
Moguntinum VIII 1070
Anglicanum IV 1072
Erfordiense II 1073
Romanum I 1074
Apud S. Genesium prope Lucam 1074
Anglicanum V 1074
Moguntinum IX 1074
Anglicanum VI 1075
Romanum II 1075
Wormatiense IV 1076
Romanum III 1076
*Ticinense 1077
Romanum IV 1078
Romanum V 1078
Romanum VI 1079
Britanniæ 1079
Romanum VII 1080
*Bressiæ 1080
Lugdunense VII 1080
Avenionense 1080
* Meldense 1080
Burgense 1080
Romanum VIII 1081
Romanum IX 1083
Romanum X 1083
Quintilemburgense 1085

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

* Moguntinum	1085
Balneolense	1086
Capuense II	1087
Beneventanum I	1087
Romanum	1089
Tricassinum	1089
Melfitanum	1089
Salmanticense	1090
Tolosanum II	1090
Legionense	1091
Placentinum	1095
Claromontanum	1095
* Anglicanum	1095
* Turonense	1096
Bariense	1097
Gerundense	1097
Romanum I	1099
Hierosolymitanum	1099
Gissonense	1099
Apud Villam Bertrandum	1100
Pictaviense II	1100
Lateranense, aut Romanum II	1102
Londinense I	1102
Londinense II	1102
Trecense III	1104
Fusselense	1104
Florentinum II	1105
Quintelemburgense II	1105
Moguntinum X	1105
Guastallinum	1106
Hierosolymitanum	1107
Trecense	1107
Londinense III	1107
Beneventanum II	1108
Remense IX	1109
Hierosolymitanum	1111
Carrionense	1111
Lateranense II	1112
Viennense II	1113
Beneventanum III	1114
Legionense	1114
Palentinum	1114
Ovetense	1115
Bellovacense II	1115
Syriæ	1116
Coloniense III	1116
Lateranense III	1116
Romanum	1118
Capuense III	1118
Coloniense IV	1119
Frislariense	1119
Remense X	1119
Viennense III	1119
Samaritanum	1120
Romanum I	1122
Romanum II	1123
Talosanum III	1124
Londinense IV	1124
Tracense V	1127
Londinense V	1127
Ravennatense IV	1128
Palentinum	1129
Claramontanum II	1130
Foarrense	1130
Remense XI	1131
Leodinense	1131
Muguntinum XI	1131
Placentinum II	1132
Pisanum	1134
Legionense	1135
Burgense	1136
Vallisoletanum	1137
Northamptoni	1138
Londinense VI	1138
Wincestriense II	1139
Senonense	1140
Wincestriense III	1142
Antiochenum	1142
Hierosolymitanum	1142
Londinense VII	1143
Gerundense	1143
Tarraconense	1146
Verceliazi	1146
Parisiense X	1147
Remense XII	1148
Palentinum	1148
Trevirense II	1148
Beaugentiacum	1151
Salmanticense	1154
Vallisoletanum	1155
Arulense	1157
Salmanticense incerto anno.	
* Ticinense	1160
* Lodianum	1161
Londinense VIII	1162
Turonense VI	1163
* Clariense	1164
* Northamptoni	1164
Lateranense	1168
Casseliense	1171
Abrincense	1172
Londinense IX	1175
Lambesitanum II	1176

Veneticum II	1177
Tarraconense	1180
Parisiense XI	1186
Anglicanum VII	1188
Parisiense XII	1188
Eboracense	1195
Dalmatiæ	1199
Divionense	1199
Londinense X	1202
Scotiæ	1203
Romanum	1210
Lavaurense	1213
Mureti in Occitania	1213
Londinense XI	1214
Montispessuloni	1215
Oxoniense	1222
Germaniæ, vel Alemanicum	1225
Westminsteriense	1226
Narbonense IV	1227
Ilerdense	1229
Turiasonense	1229
Tarraconense.	1229
S. Quintini	1230
Laudunense	1231
Noviodunense	1231
Castelli Gonterii	1231
Romanum	1234
Narbonense V	1235
Londinense XII	1237
Coniacense	1238
Tarraconense	1239
Tarraconense	1240
Tarraconense	1242
Tarraconense	1244
Tarraconense	1246
Ilerdense	1246
Tarraconense	1247
Tarraconense	1248
Tarraconense	1253
Ilerdense	1257
Tarraconense	1279
Salisburiense	1281
Ravennatense V	1286
Wirtzburgense	1287
Mediolanense VII	1287
Salisburiense II	1291
Londinense XIII	1291
Mediolanense VIII	1292
Aschasemburgense	1292
Lugdunense VIII	1297
Londinense XIV	1297
Bajocense	1300
Romanum	1302
Penna-fidelense	1302
Salisburiense III, et IV	1310
Coloniense V	1310
Ravennatense V	1310
Moguntinum XII	1310
Salmanticense	1310
Ravenatense VI	1311
Tarraconense	1312
Salmanticense	1312
Ravennatense VII	1314
Salmuriense	1315
Nogiense	1315
Sylvanectense III	1317
Ravennatense VIII	1317
Cæsaraugustanum	1318
Tarraconense	1318
Vallisoletanum	1322
Toletanum	1323
Toletanum	1324
Complutense	1325
Complutense	1326
Toletanum	1326
Avenionense III	1326
Avenionense IV	1327
Tarraconense	1331
Complutense	1333
Salmanticense	1335
Toletanum	1339
Barcinonense	1339
Constantinopolitanum	1341
Anglicanum VIII	1341
Londinense XV	1342
Noviodunense II	1344
Parisiense XIII	1347
Complutense	1347
Toletanum	1347
Biterrense	1351
Hispalense	1352
Toletanum	1355
Lambetanum	1362
Andegabense II	1365
Labaurense II	1368
Complutense	1379
Toletanum	1379
Salmanticense	1381
Londinense XVI	1382
Salisburiense III	1388
Palentinum	1388
Londinense XVII	1398
Londinense XVIII	1398
Cantuariense II	1409

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Friulinum	1409	Eborense	1565
*Aragoniæ	1409	Mediolanensia S. Caroli Borromæi, ab an. 1575 usque ad an.	1582
*Perpinianense	1409		
Salmanticense	1410	Constantinopolitanum I	1575
Hispalense	1412	Tortosanum	1575
Ticinense V	1420	Neapolitanum	1576
Siennense	1422	Rothomagense II	1581
Dertusanum	1424	Cairitanum	1582
Basileense	1429	Limanum I	1582
Biturícense	1431	Toletanum	1582
Frisinghense	1439	Remense XIII	1583
Turonense VII	1440	Burdigalense II	1583
Constantinopolitanum.	1441	Turonense IX	1583
*Lugdugnense	1442	Andegabense III	1583
Coloniense VI	1449	Biturícense III	1584
Suessionense V	1452	Mexicanum	1585
Eboracense II	1456	Tolosanum	1590
Coloniense VII	1470	Limanum II	1591
Matritense	1473	Avenionense	1594
Arandense	1473	Dampriense	1599
Senonense	1473	Limanum III	1601
Turonense VIII	1485	Mechliniense	1607
*Pisanum	1490	Narvonense VI	1609
Hispalense	1412	Senonense II	1612
Biturícense II	1545	Aquense	1612
Coloniense VIII	1548	Mesopotamiæ	1612
Trevirense III	1549	Burdigalense III	1624
Coloniense IX	1565	Constantinopolitanum. II	1639
Trevirense IV	1565	Constantinopolitan III	1652
Toletanum	1565	Neapolitanum	1699
Valentinum Hisp	1565	Tarraconense	1700
Compostellanum	1565	Tarraconense	1731
Grannatense	1565	Tarraconense	1741
Cæsaraugustanum	1565	Tarraconense	1757
Bracarense	1565		

RECENSIO
TITULORUM TOMI QUARTI.

TITULUS I.

PAGS.

De Ecclesiæ in coercendis criminibus potestate. 1

TITULUS II.

De Delictis, et eorum divisione. 18

TITULUS III.

De Apostasia. 22

TITULUS IV.

De Hæresi. 29

TITULUS V.

De Schismate. 43

TITULUS VI.

De vetita tolerantia hostium Religionis. 46

TITULUS VII.

De libris improbatæ lectionis. 55

TITULUS VIII.

De hæreticæ pravitatis Inquisitoribus. 67

TITULUS IX.

De Simonia. 77

TITULUS X.

De Maledicto sive blasphemia. 86

TITULUS XI.

De Sacrilegio. 90

TITULUS XII.

De Perjurio. 92

TITULUS XIII.

De Divinatione. 95

TITULUS XIV.

De Magia. 99

TITULUS XV.

De delictis venereis. 100

TITULUS XVI.

De Usuris. 105

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Friulinum	1409	Eborense	1565
*Aragoniæ	1409	Mediolanensia S. Caroli Borromæi, ab an. 1575 usque ad an.	1582
*Perpinianense	1409		
Salmanticense	1410	Constantinopolitanum I	1575
Hispalense	1412	Tortosanum	1575
Ticinense V	1420	Neapolitanum	1576
Siennense	1422	Rothomagense II	1581
Dertusanum	1424	Cairitanum	1582
Basileense	1429	Limanum I	1582
Biturícense	1431	Toletanum	1582
Frisinghense	1439	Remense XIII	1583
Turonense VII	1440	Burdigalense II	1583
Constantinopolitanum.	1441	Turonense IX	1583
*Lugdugnense	1442	Andegabense III	1583
Coloniense VI	1449	Biturícense III	1584
Suessionense V	1452	Mexicanum	1585
Eboracense II	1456	Tolosanum	1590
Coloniense VII	1470	Limanum II	1591
Matritense	1473	Avenionense	1594
Arandense	1473	Dampriense	1599
Senonense	1473	Limanum III	1601
Turonense VIII	1485	Mechliniense	1607
*Pisanum	1490	Narvonense VI	1609
Hispalense	1412	Senonense II	1612
Biturícense II	1545	Aquense	1612
Coloniense VIII	1548	Mesopotamiæ	1612
Trevirense III	1549	Burdigalense III	1624
Coloniense IX	1565	Constantinopolitanum. II	1639
Trevirense IV	1565	Constantinopolitan III	1652
Toletanum	1565	Neapolitanum	1699
Valentinum Hisp	1565	Tarraconense	1700
Compostellanum	1565	Tarraconense	1731
Grannatense	1565	Tarraconense	1741
Cæsaraugustanum	1565	Tarraconense	1757
Bracarense	1565		

RECENSIO
TITULORUM TOMI QUARTI.

TITULUS I.

PAGS.

De Ecclesiæ in coercendis criminibus potestate. 1

TITULUS II.

De Delictis, et eorum divisione. 18

TITULUS III.

De Apostasia. 22

TITULUS IV.

De Hæresi. 29

TITULUS V.

De Schismate. 43

TITULUS VI.

De vetita tolerantia hostium Religionis. 46

TITULUS VII.

De libris improbatæ lectionis. 55

TITULUS VIII.

De hæreticæ pravitatis Inquisitoribus. 67

TITULUS IX.

De Simonia. 77

TITULUS X.

De Maledicto sive blasphemia. 86

TITULUS XI.

De Sacrilegio. 90

TITULUS XII.

De Perjurio. 92

TITULUS XIII.

De Divinatione. 95

TITULUS XIV.

De Magia. 99

TITULUS XV.

De delictis venereis. 100

TITULUS XVI.

De Usuris. 105

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TITULUS XVII.

De Pœnis, et Censuris ecclesiasticis. 127

TITULUS XVIII.

De Excommunicatione. 133

TITULUS XIX.

De Interdicto. 157

TITULUS XX.

De Suspensione. 163

TITULUS XXI

De Absolutione à censuris. 166

APPENDIX.

Excerpta ex Cod. pœn. novis. Hisp., de iis quæ personas ac res ecclesiasticas spectant. 169

Syllabus chronologicus Rom. Pontificum. 179

Syllabus Conciliorun generalium et particularium. . . . 182

FINIS.

ERRATA NOTANDA.

PAG.	LIN.	LEGITUR	CORRIGE.
6	46	Ariani	Arian.
8	19	an	ac
21	48	pertinet	pertinent
51	29	magnum	magum
99	10	benefici	venefici
104	38	juræ	jura
148	45	tum	cum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS